6
39-e
15

6
28 E
17

XXX. p. 5

VIRORUM
CLL. ET DOCTORUM
Ad
MELCHIOREM GOLDASTUM
JCtum & Polyhiſtorem celebratiſſimum

EPISTOLÆ

ex Bibliotheca

HENRICI GÜNTERI THÜLEMARII, JC.

editæ.

Accedit in calce

FORSTNERIANARUM EPISTOLARUM
Mantiſſa.

FRANCOFURTI & SPIRÆ,
Sumtibus CHRISTOPHORI Olſſen Bibliopolæ.
ANNO clɔ Iɔc LXXXVIII.

VIRORVM CLL.
ad
MELCHIOREM GOLDASTVM
EPISTOLÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I.

Mi Melchior.

VIde ne ſis ſubruſticè verecundus & ubi minimè opus erat, qui te quidem tam ambitioſè & ſollicitè de literarum tuarum impolitiâ & incultu (ut ſic dicam) mihi purges, quaſi verò vel tàm diligenter, ad me oporteat, vel à te quoque doctiores mitti debuerint. Ego ſanè ſi ſic ſcribere pergas, cur me præceptionum mearum pœnitere debeat non habebo, nec tibi ulla res tam gravis videri debet, quæ te à literis ad me ſcribendis avocare poſſit: quippe in quibus nihil mihi gratius mitti queat, nam potero ex iis experimentum induſtriæ tuæ capere, ſatisne diligenter ea, quæ à me accepiſti, recolas. Pro ſuppleta Moſtellaria plurimas tibi ago gratias. Politicis veſtris lectionibus & diſputationibus abſens tamen faveo, optoque ut quam plurimum inde ad vos utilitatis redundet: quanquam (ſi me audies) fortaſſe non nimis de hoc ſtudio ſollicitus eſſe debes, cujus

non tàm præcepta, quàm uſus difficilis eſt. Laſt euch das einen Narren geſagt haben / ex conſilio tamen conſultiſſimo, ut aliquando ex me audies. Scias interim & me totam hîc abſolviſſe Ariſtotelis Politicam, ut ita magnis & verboſis Commentariis nihil mihi opus eſſe putem, & fortè aliquid videam, quo ad illas præceptiones. Et fortaſſis in hoc quoque tibi utilis eſſe poſſim, quod ſanè non recuſo. Et exiſtimabis tu, me hîc ſummorum Virorum familiariſſima converſatione (non hoc ſcribo more quorundam pervulgato doctorum literas & amicitias ementitas jactantium & videbis hoc aliquando publice verum) plus fortè didiciſſe brevi intervallo quam multis annis in Academia aliqua quantumvis celebri. Si mihi velis eſſe dicto audiens, iis te præſens aliquando conſiliis adjuvabo, quorum te nunquam pœnitere poterit. Interim tamen perge, ut cœpiſti feliciter; nec dubito quin Scherbius non niſi optima & quam breviſſimè vobis traditurus ſit. Eam novi hominis eruditionem. Cui tu velim à me ſalutem & amorem prolixè nuncies, meque ejus ſæpè honorificentiſſimam facere mentionem cum apud alios viros doctos, tùm maximè apud Dn. Joh. Matthæum Wackerum à Wackenfels Iuris Conſ. & Philologum ſummum & magni nominis in Aula Cæſarea, quo cum vivo cotidie, qui Scherbium ſuum veterem condiſcipulum & amat & æſtimat. Suadeo tibi, ut mittas illi Wackero V. Ampliſſ. & Nobiliſſ. exemplum theſium tuarum, quamvis eas jam viderit. Unum à te peto, ut clàm & quaſi aliud agens Scherbii judicium expiſceris de libro cujuſdam Sileſii, quem ſcripſit de monſtris & dedicavit Wackero, puto vocari Windrichium. Potes quærere, an habeat illum librum, ut ejus uſum ad paucas horas tibi cedat. Poſt, quære, quid ſentiat, & mihi ſtatim reſcribe. Etiam cum Kaufmanno aliud agens hoc age, ſi velit Moſtellariam meam imprimere. Es wird wohl abg[...] ad mercatum proximum adferret. Brevi fortaſſis quædam à nobis habebitis contra Lipſii Crucem, qui quid furca eſſet, planè ignoravit, ut docebitur. Tento jam quoque aliquid de Militia & Conviviis, & ſacris antiquorum novo planè modo. Sed nimis ſæpe occupatus ſum ita, ut vix credere poſſitis. In Poloniam quidem hac hyeme abiiſſem, ſed ad meum adventum frigus hîc

hîc adeò ſæviit, ut toto fere tempore, quo hîc ſum, Mulda fluvius ſemper glacie concretus ſteterit, & vix domo prodire temere auſim. Scribo quæſo, quid ibi ſermonum ſit inter veſtros homines de nobis, quid hic rerum agitem ? & ſi quæ alia noſti. Habes ex his literis, quæ quærentibus reſpondeas. Nunc vix erit integrum in Poloniam abire propter frigus etiamnum durans & appetentem mercatum Francfurtinum. Et tu ſi quid præterea ſcis ne ſcias NB. Coram aliquando pluribus, nec enim velim te ante reditum meum quoquam inde concedere: pœnitebit te ſi faxis. Si peregrinari voles, quædam tibi prius indicanda erunt. Interim eme tibi à Kauffmanno editum libellum de arte peregrinandi & lege Zwingeri methodum Apodemicam. Nec debes peregrinari antequam Politica tota perlegeris. Herculem Prodicium Stephani Pighii ſimiliter leges & neceſſario in Italiam iturus tecum habebis. In Melo meo velim corrigas illud in omnibus exemplaribus: *feros tenere prædones*. Corrige: *novos tenere prætores*, ſicut me hic vides correxiſſe. Et hoc tam diligenter curabis quam tibi chara eſt vita & ſalus mea, quàm imprudens mille periculis exponerem hoc carmine. Noſtros duos chariſſimos & egregios dominos Krafftium & Kuchelium ſaluta. Utrique etiam hoc dices: aliquando tandem ex animo bene ſuaſiſſe Giphanium Krafftio ut ſe Pragam conferat. Et ſi quid mei eſt judicii; omnino quando Altdorpho diſceſſerint, huc venire debent. Cauſas fortè ex me coram intelligent maximè idoneas. Tibi cur hoc non ſuadeam aliæ ſunt cauſæ. Et ſi huc veniant, ita illos quibuſdam commendabo, ut mihi olim gratias acturi ſint. Plura nunc non ſuccurrunt. Et verò ſic jam epiſtola ſatis longa eſt, cui excuſandæ tua tibi verba forſan reddere deberem, illa inquam, quibus tu nuper pro tua uſus. B. V. Pragæ $\frac{4}{14}$ Febr. anno 1598.

Tuus Totus

Caſpar Schoppius Francus.

Eruditiſſimo Juveni
Dn. Melchiori Guldinaſto ab Heiminsfeld,
Legum & Politiorum Literarum Studioſo,
Amico Suo integerrimo.
Altdorf.

II.

S. Eodem die, quo hinc diſceſſiſti, Domine & Affinis chariſſime, veſperi reſponſum à D. Daniele Studero affine meo accepi hujuſmodi. Primum gratias mihi agit magnas pro cura mea atque ſollicitudine fideli de ejus filiolo, ut is morum ſtudiorumque moderatorem nanciſcatur pium, doctum & fidelem. Laudes quoque, quas tibi tribuerim, libenter ſe ex meis literis intellexiſſe. Sed addit ſibi & uxori ſuæ chariſſimæ nondum in animo eſſe filiolum illum ſuum peregrinas in oras mittere, idque propter teneram ejus ætatem & valetudinis infirmitatem. Hæc te primo quoque tempore ſcire volui. Sed illud quoque nolo te ignorare, cujus proximè quoque hîc coram mentionem feci, me conſtituiſſe brevi, Deo volente, Santogallum ad affines illos meos propter alia quædam mea negotia proficiſci, ſimulatque cognovero Danielem Studerum ex prædio illo ſuo Rhenivallenſi in urbem rediiſſe. Tum commoda ſeſe mihi cum affinibus meis, & cum Dn. Schobingero de te colloquendi, & rebus commodiſque tuis quoquo modo conſulendi offeret occaſio, quam non negligam, teque eade re adventuque meo certiorem faciam, ut illuc uſque poſſis excurrere. Plura hoc tempore ad te ſcribendi mihi otium non eſt. Vale & matri tuæ honorandæ, vitrico, cognato meo, eccleſiæ miniſtris, omnibus denique tui meique amantibus amicam officioſamque quæſo meis verbis ſalutem dicas. Conjux familiolaq; mea chariſſima te peramanter ſalutat. Tiguri 4. Auguſti, qui, faxit Deus ut vites noſtras augeat & ad maturitatem perducat; Anno 98.

Tui Studioſiſſimus.

Jo. Guil. Stuckius.

Nobili Ornatoque Viro
Dn. Melhiori Guldenaſtio,
Jurisprudentiæ Candidato,
Domino & affini ſuo chariſſimo.
Epiſcopocellæ.

III.

S. Valde miror, *mi Dn. Guldinaſte*, tàm diuturnum ſilentium tuum. Nam poſt illas quas Ulmâ ad me dediſti, nihil prorſus neque epiſtolæ neque pecuniæ abs te accepi. Atqui ſex illæ hebdomadæ, quas tibi ipſi præfixeras ad ſolutionem nobis certò procurandam, jam diu exierunt, & ego jam egeo ut qui maximè deſtitutus & à te & à Tranſylvano noſtro, qui mihi ad 90 flor. debet. Non ſic decet. Ego interim & à creditoribus meis, laniis, piſtoribus. cereviſiariis varias interpellationum moleſtias ſuſtinui, & pecuniam fenore ſumere mutuam coactus ſum, ut ipſis os obturarem. Id adeò per Te mihi uſu venit: ejuſque te rationem habere æquum eſt, non ſolùm ſorte mihi maturè perſolvenda, ſed etiam interuſurio: quod & Dn. Taurellum & alios in ſimili caſu à ſuis convictoribus accepiſſe ſcio. Quanquam enim audio non tàm tua quàm tuorum culpâ hanc moram interponi, tamen mihi hac excuſatione non ſatisfit. Rogo te, ne hanc appellationem in malam partem à me accipias, tibique perſuadeas, me cæteroqui tui amantem vivere. B. V. Salutem Dn. Stuckio, ſi ad eum veneris vel ſcripſeris. Schoppius olim noſter jam in Italia eſt cum legato ad Pontificem. Is religionem propalam mutavit. Iterum Vale. 22 Auguſti anno 98. Altorphii.

T. A.

Cunradus Rittersbuſius D.

Ornatiſſimo Juveni
Dn. Melchiori Guldinaſto
Amico ſuo dilecto
Biſchoffſzell.

IV.

S. Valde alienus à Gratiis omnibus ſim, doctiſſime Guldinaſte, cui non & litteræ tuæ gratæ, & hæc ad amicitiam invitatio tàm amica tàm honeſta: imò durus planè & inhumanus ſi amorem hunc tuum, manantem è tam puro fonte, mutuo non amem: Atqui ego

te, jam ante, & communia propter ſtudia, & quod multa de tua virtute & ſtudio ſapientiæ & doctrinæ ex Stuckio noſtro audiebam, inter junctos habebam & inter charos: nunc à te litteris tam amantibus provocatus ſequar in hunc amicitiæ campum, nec vinci me patiar officiis, quæ ab animo quidem ſunt & affectu: quod binis tuis hactenus non reſponderim contemptu vel negligentia factum ne cenſeas; cum priores allatæ ſunt, domo abfui, nuper verò cum poſteriores redderentur, adverſa valetudo parentem chariſſimum ex improviſo adorta impediit. Excuſa ſilentium à cauſa juſta. Cum Studero affine meo tuâ cauſâ ſeriò egi, quid è re filii, deliberaturum ſe dixit, de gnati unici tenella ætate & infirma valetudine nimis anxius parens, & ſtudiorum tuorum curſum remorari. Tu, ſi videbitur, proximis feriis ad nos excurrere poteris, ubi plura coram. Ego ſanè nihil eorum quæ ad ſtudia tua promovenda attinent, me prætermiſſurum polliceor, cui hercle nihil prius, quàm ſi tibi tuiſque ſimilibus gratificari queam. Vale & ignoſce feſtinationi. Santgallo 14 Kalend. Januarii anno 1599.

T.

Bartholomæus Schobingerus. JC.

Ingenuo, Adoleſcenti
Melhori Guldinaſto,
Legum Candidato, Amico ſingulari.
Biſchoffszell.

V.

S. Carmen priſca elegantia refertum, quod in obitum parentis pientiſſimi ad me ſcripſiſti, à reditu meo accepi: quam gratum mihi fuerit ſcire debes etiam me ſilente, quidem enim teſtimonium hoc à pectore tàm amico? Verè Euripides: non ſerenitatem nautis gratiorem in tempeſtate, quàm lugenti amico amicum. Gratias Tibi ago pro amico iſto tuo in me animo. Maneat feliciter hic cœptus amor inter nos, qui genio & ingenio non diſpares. Ego tibi ſpondeo

deo futurum prius, ut à me excidam, quàm ut ex animo meo Tu, qui tàm proclivis ad me amandum. Carmen hoc tuum typis demandari, meis impenſis, tuo tamen nomine cuperem: parænesi quidem non ad Danielis Studeri; Sed filium meum Davidem directa. Studeri filius, patris olim mei non ex filia ſed ex ſorore homopatria nepos mihi amitinus eſt, quem parens homo prædives, ſed à bonis literis alienus, non Muſis ſed Mercurio conſecrare conſtituit. Veriſſimè Ambroſii illud in noſtros convenire quis non videt: Eſſe hominum genus, quibus nihil dulce, quàm quod queſtuoſum, & ignoti nullam eſſe cupidinem, vetus verbum eſt. Etſi ſpe tua hîc fruſtratus ſis, non tamen animo deſponde, melior te exſpectat ſors, & ſi non hâc, aliâ ſuccedat viâ planè. Grata ſuperveniet quæ non ſperabitur hora. Quid proximo vere Tibi porro faciendum deliberabimus quamprimum convenerimus. Ego quidem non opem ſolum meam, ſed opes ad ſtudia tua promovenda polliceor: plura nunc non addam, ad comitia gentis noſtræ, Rupennatum & Epiſcopi Baſilienſis causâ accinctus: hoc tantum: me inſcribtionem ſeu frontiſpicium Carminis, tuâ veniâ in hunc modum immutaſſe:

Epicedion
Super obitu (ſi mavis Senatoris)
Davidis Schobingeri Patricii Sanctigalluni,
Viri inter bonos & Eruditos Illuſtris.
Ad
Bartholomæum F. Juris Conſ.

In Pareneſi pro Generoſum: Ingenuum ſubſtituas malim: abhorreo enim fumos hos titulorum: in reliquis nihil muto. Vale & mutuiter me ama: raptim Kal. Febr. anno 1599.

T. ex aſſe

Barthol. Schobinger. JC.

Ingenuo & Egregrio Juveni
Melchiori Guldinaſto Legum
Candidato, Amico ſingulari
Biſchoffszell.

V I.

S. Redditæ tuæ mihi ſunt epiſtolæ, Guldinaſte ornatiſſime, amice ſingularis, quas magno certé cum deſiderio exſpectavi jamdiu; cum majore verò voluptate perlegi omnes: quarum unâ quod tam honoreficè mei meminiſti, quas tibi quæſo gratias agam? Cæterum de duab. quid videàtur, hoc eſt, quomodo eas Nepoti, qui expreſſus dum eſt, nihilominus annectamus (digniſſimæ enim ſunt, ut ipſe quoq. exprimantur) videbo unâ cum Eglino, ubi is è Bajis Fidenſib. craſtinâ rediturus eſt. Tum etiam de notatione illa in Caſſio Longino quid videatur, monebo. O inſignis tua induſtria, ſolertia acrimonia in authorib. corrigendis! quam celebrare prædicare, ad cœlos efferre non deſiſtam: In qua ut ne defatigeris, te etiam atq. etiam oro vehementer, propter rei litterariæ duplicæ bonum. Quod ſi hac adoleſcentia tanta præſtas, Deus bone quid præſtabis deinceps, ope Optimi Maximi? Plura neq, ego poſſum propter gerulum, abiturientem. Vale, litterarum decus inſigne, & clariſſ. nobiliſſimumq. Schobingerum ſaluta. Reſalutant te mei actui omnes. Tiguri KL. Sextilib. 1599.

Tuus

Waſerus.

Erudituſſimo Viro:
Melhori Guldinaſto,
amico ſingulari.
Sanctgalli.

V I I.

S. Accepi etiam alteras tuas litteras, ornatiſſime Guldinaſte, unâ cum manuſcripto libro Aſtronomico, pro quo tibi ſingulares gratias ago, aliquando ἀντίδωρον daturus. Cæterum quæ corrigenda in epiſtolis tuis adſcripſiſti, ea corrigemus ſuo tempore. Nam ſecundam editionem adornat Eglinus. Interim, ſi quæ alia putas corrigenda, fac tempore ſciam. Efficiam, ut tibi ſatisfiat. De Sybil-

Sybillis inquiſivi, ſed nullum adhuc occurrit exemplum, quod ad te mittam. Monui Eglinum, qui heri reverſus è balneis eſt, ut ſi ipſe haberet, mitteret, qui aliquod exemplar ſe miſſurum promiſit. De Dn. Stuckio neſcio, an ipſe habeat: qui libenter communicabit, ſi habet. Facies rem gratam mihi, ſi oblatâ occaſione remiſeris lexicon illud manuſcrip. meum: ſiquidem eo non amplius uteris. Si quid habeo aliud, quod tuis uſibus queat ſervire, mone, & impetrabis. Vale, decus & ornamentum litterarum, & ignoſce brevitati. Nam plura non licuit ob colloquium, quod Dn. Boumlero & mihi hodie habendum fuit cum Anabaptiſta captivo apud nos. Uxor mea te ſalutat unà cum ſocru. Saluta nobiliſſimum Schobingerum noſtrum, & in parentis ejus obitum epicedia plura accipe ab exhibitore iſtarum. Vale iterum, meq. ama. Tiguri. 3. Aug. anno 1599.

Tuus

Waſerus.

Eruditiſſimo Viro:
Melchiori Hamenveltoni Goldaſto,
Amico ſingulari.
Sanctgalli.

VIII.

S. Binas etiam abs te accepi litteras, hac hebdomade. Guldinaſte eruditiſſime; cum prioribus quidem unâ Aurelium Victorem, & membranam illam manuſcriptam: cum poſterioribus verò tuas diſputationes, pro quibus gratias tibi ago ingentes: quamvis non meæ profeſſionis. Cæterum remittere hac ſcribendi commoditate Aurelium mihi erat planè adynaton: ſiquidem vix dum eum acceperam. Sed planè tibi perſuadeas velim, brevi recepturum, ſcriptoren me hercule inſignem, & antiquitatis ſcrutatorem induſtrium. Hunc ubi perlegero ego, tradam etiam Don. Eglino. Is, ut nuper ſcripſi, conſtituerat edere Nepotem unâ cum Notis: quæ editio ſecunda eſſet futura, cum hæc prima non niſi tyrunculis Scholarum ſerviret. Sed fortaſſe mutabit Conſilium, ubi Schottum

legerit. Remittemus ſine dubio etiam epiſtolas tuas, quandoquidem ita tibi placet: cæteroqui non indignas luce eas cenſuiſſem propter variorum locorum, quæ illic ſunt, emundationem.

Obſecro quomodo non obſervavimus, verſum tui Heroïci, cujus initium. *Quique Senato, qui populo.* &c. Pluribus incedere, quàm ſex pedibus, hoc eſt, ſeptem? Ejus noſtræ utriuſque indiligentiæ non potui non te hiſce meis monere. Cura ut valeas, ac plurimum ſalve à clarisſimo Stuckio, Beumlero, Eglino, Simlero tuoque affine Lochero. Ego officioſiſſimam ſalutem adſcribo nobiliſſimo Schobingero. Tiguri. 16. KL. Sept. 1599.

Tuus

Waſerus.

Eruditiſſimo Viro:
Melchiori Guldinaſto,
Philologo præſtantiſſimo,
Amico ſingulari.
SanEtgalli.

IX.

S. Proximè, Domine & Affinis chariſſime, cum D. Bartholom. Schobingerus hîc eſſet, amica & honorifica Tui à nobis in familiari noſtro colloquio facta eſt mentio. Etſi D. Schobingerus jam ſua ſponte ſatis erat promptus ad ſtudiis commodisque tuis quovis modo conſulendum, tamen currentem, ut ſic loquar, incitavi commendatione mea, eique ſtimulos addidi. Hoc tempore eſt quod ad te ſcribam, & de quo te admoneam, quod quidem ad exiſtimationem tuam pertinet. Accepi nudius tertius literas à D. D. Ritterſhuſio, hoſpite quodam & præceptore tuo fideliſſimo 12. Januarii ſcriptas, quibus graviter admodum queritur de mora tua ſatis diuturna quam interpoſuiſti in ſolvendo debito circiter 52. flor. aureorum. Rogavit itaque me magnopere, ut te de nomine hoc appellem & admoneam & ad ejus ſolutionem adhorter, ne ejus flagitandi & exigendi gratia nuntium ad matrem tuam venerandam mittere cogatur cum ipſius

ipſius dolore & tuo dedecore. Pro ſingulari igitur meo in te amore te hortor atque oro, ut optimo clariſſimoque illi viro primo quoque tempore ſatisfacere ſtudeas, ne honeſtiſſimo laudabiliſſimoque tuo nomini atque famæ diuturniori ſolutionis morâ atque dilatione aliqua ignominiæ atque dedecoris labes ſeu macula aſpergatur. Satius pecuniæ magnæ quàm famæ jacturam facere, quod vel me tacente facile intelligis. Hæc bono à me Tuique amantiſſimo ſcripta animo, bono, ut non dubito, accipies animo, minimeque dubitabis de mea fide & taciturnitate in his celandis, nec cuiquam communicandis. Vale & archigrammateo cognato meo plurimam meo nomine ſalutem dicito. Tiguri 1599.

Tui amantiſſimus.

Jo. Guil. Stuckius.

Doctrina, genere & virtutibus ornatiſſimo adoleſcenti Dn. Melchiori Guldinaſto, Juriſprudentiæ Candidato, Domino & affini ſuo chariſſimo. Abbatiſcellæ.

X.

Frater Jodocus Metzler monachus S. Galli, doctiſſimo Domino M. Guldaſto S.

STudium antiquitatis (Domine Guldaſte) tuum probo & laudo, atque ſuper quæſtionibus à te propoſitis breviter judicium meum do libens, vel eo nomine, quod in iis enodandis plerique hactenus (quantum ego quidem adverto) hallucinati ſint, maximè in diſtinguendis Notkeris; Et deinde etiam, quod eo facto futurum credam, ut tecum amicitiam vel ineam, vel certè initam confirmem. Utrumque hoc ſi aſſequar, jucundum erit & gratum. Quæris primo. Quid ſibi velint litteræ illæ F. KK. in fronte illius vetuſti codicis, quem ſimul cum reliquis ex Bibliotheca noſtra à te aſportatum, cum ſcheda tua ad me remiſiſti. Reſpondeo minus te curiosè litteras illas inſpexiſſe, cum non ſint, ut depingis F. KK. ſed EKK, quod

 equidem

equidem EKKEHARDI patris noſtri nomen eſſe certum eſt tum ex aliis libris vetuſtis, ubi paſſim ita pingitur, tum ex hujus ipſius codicis contextu, ubi ſæpius nomen illud repetitur, ſicut & exterius in cortice ſeu aſtere. Quis autem EKKERARDUS ſeu ut alii EKKERARDUS ille fuerit, dubitari non immeritò poteſt. Tres enim hujus nominis fuiſſe conſtat, ſicut & tres Notkeros, eosque omnes ferè contemporaneos. Atque unus quidem fuit Ekkehardus ſenior, qui in Monaſterio Decanum egit in diebus Abbatis Burckardi Ingeniti, Vir doctus & pius, qui edidit inter cætera ſequentias. Qui benedici cupitis. Summum præconem Chriſti. A ſolis occaſu Prompta mente &c. Antiphonas, itemque ſequentiam de Sancta Affra, ad Luitoldum Epiſcopum Auguſtanum & hymnum O martyr æterni patris, & item alias Antiphonas ambulans JESUS; Adoremus glorioſiſſimi. Et præterea cum in ſcholis eſſet, cecinit Vitam Waltharii manufortis, ſic enim appellatur. Atque obiit anno proximè præcedente obitum Burckardi abbatis ſui, videlicet 10. 33. Alter EKKEHARDUS fuit (quem vocabant minorem) Senioris ex ſorore nepos, qui monaſterii ſcholis Interiori & Exteriori diu & magna cum laude præfuit, atque plures egregios juxta & doctos Viros creavit, quorum de numero aliquando ipſe ſex Epiſcopos Moguntiæ vidit. Is demum Portarium Clauſtralem dum ageret, invitus licet evocatus ad Ottonum Aulam, agente Haduuiga Suevorum Duciſſa in ſecretioribus conſiliis Cæſari & ejuſdem Capellæ affuturus junioris Ottonis Pædagogiam in ſe ſuſcepit. Atque edidit Sequentiam de Sancto Deſiderio. Summis conatibus; & Notulis ſcribendo ſummè dexter Ottoni ſuo delitiæ fuit.

Tertius fuit Ekkehardus ſenioris itidem nepos, de quo quædam etiam Chronicon Monaſterii refert in Ekkehardo ſeniore.

Quartus his acceſſit Ekkehardus Junior, qui edidit vitam S. Notkeri Balbuli & præterea Chronologiam Monaſterii uſque ad Notkerum Abbatem incluſivè, quam etſi promiſit uſque ad Nortpertum tamen id vel non præſtitit, vel ſi præſtitit, intercidit. Inſuper & vitam Walthatii (quam Ekkehardum ſeniorem in ſcho-

lis

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

lis ſcripſiſſe ſupra dixi) ipſe Moguntiæ conſtitutus nonnihil (quia incultiorem juventutem authoris referebat) elimavit. Jam vero quis demum ex quatuor jam dictis libri transmiſſi author fuerit, liceat paucis quod mihi videtur explicare. Primus ille non fuit. Primò quoniam Moguntiæ nunquam legitur fuiſſe. Secundò quoniam in præſenti opere celebratur. Secundus Moguntiæ quidem fuit, ſed propter eandem ſecundam rationem jam modo factam auctor eſſe non potuit, quemadmodum nec tertius ob easdem cauſas. Reliquum ergo eſt, authorem eſſe EKKEHARDUM illum, qui quarto loco poſitus eſt, id quod magis ſuadet illud, quod in ejuſdem libri Prologo dicit juſſu ſe ab Aribone Archiepiſcopo ſcripſiſſe, ſed ex Chronico hujus ejuſdem Ekkehardi conſtat, fuiſſe eum præfato Archiepiſcopo familiarem, cujus etiam auctoritate & juſſu expolivit idem ipſe Moguntiæ ſupra memorati Waltharii vitam; ex quo colligo, eſſe unum & eundem Ekkehardum, qui vitam Vualtharii, & qui præſens poëma juſſu Aribonis, utrumque cecinit.

Quæris ſecundò. Æva & ſcripta diſtincta trium Notkerorum, Epiſcopi nimirum, Abbatis & Monachi: Epiſcopum illum Monachum Sanct-Galli fuiſſe, quamvis ſæpè lego apud Hiſtoricos, nunquam tamen credo. Ratio eſt, Primò quia ex vita ejus manifeſtum ſatis eſt contrarium. Secundò omnes dicunt fuiſſe ex Abbate S. Galli in Epiſcopum promotum: quod falſum eſſe inde liquet, quod unus fuerit tantùm inter Abbates Sanct-Galli Notkerus, iſque 4. annos tantùm menſesque 6. & hebd: 2. Monaſterio præfuerit. Tertiò Abbas noſter (uti omnes noſtri aſſerunt) in Monaſterio; Epiſcopus autem obiit Leodii, ut ex vita patet. Quartò Epiſcopus communiter ſcribitur per d. & g. Nodgerus: Noſtri autem Notkeri omnes tres ſemper (ſaltem à noſtris) per t. & k. vel certe per t. & g. Notkerus (quod Ekkehardus derivat à Noht ſehr (opus neceſſarium) ut Notgerus. Epiſcopus ergo Nodgerus S. Galli Monachus non fuit. Seb tres

mautumque alium de una Virgine, Beatæ Virgini. Item ille eſt, qui primus ſcripſit Theutonice, à quo habetur Pſalterium in eadem lingua liber Job in quartum vas (ut loquitur Ekkehardus) transfuſus, hoc eſt, (uti ego intelligo) in quartam linguam translatus, (ut qui Syro Hebraicè in Arabia ſcriptus. Primo per Moyſen ex Syro Hebræo in Hebræum & Secundo per 70. in Græcum, & 3. ex Græco & Hebræo per Hieronymum in Latinum; jam quarto loco demum à Notkero in Teuthonicum ſermonem translatus ſit) & Gregorii Moralia itidem Teuthonicè. Atque hunc Notkerum eſſe diverſum à S. Notkero, cui Balbuli nomen indiderunt Patres patet tum ex Tabulis Monaſterii, tum ex Catalogo defunctorum. Defunctus enim eſt Balbulus 8 Idus Apr. Phyſicus autem 3 Cal. Jul. hoc eſt ipſo die (computando diem naturalem à primis veſperis) SS. Petri & Pauli, quæ ſimul penè omnia confirmantur & probantur his ſequentibus Ekkehardi Junioris ex libro præſenti Benedictionum verſibus Leoninis.

Primus Barbaricam ſcribens, faciensque ſaporam
Notker mox obiit, ubi Iob calamo ſuperavit,
Facta palam faſſus reſidens, neque grandia paſſus,
Quem vas in quartum transfundens fecit apertum;
Gregorii pondus dorſo levat ille ſecundus.
Poſt Davidis dicta ſimili jam robore victa.
Pneumate mactorum hic tertius æquivocorum
Veſpere Natalis Petri petit aſtra priore.

Et quæ ſequuntur miraculoſa & memoratu digna., quæ quidem ut obſcuriuſcula ſunt, ita magis eluceſcunt ex Gloſſis interlinearibus charactere æquè vetuſto interjectis. Demum obiit noſter hic Notkerus (ut patet ex citatis verſibus) 3. Cal. Julii. ille autem Balbulus 8. Idus Aprilis. Hic (ut author eſt Hermannus Contractus) anno 1022 ut alii 1034. Ille (videlicet Balbulus) anno 912. uterque in Monaſterio. Ad tertium. Strabo Augienſis idem eſt cum Walafrido Abbate. Walafridus enim proprium, Strabo autem ab oculorum vitio

cogno-

cognomen eſt. Scripſit multa, ex quibus ſecundum Trithemium extat vita S. Galli proſa & metro. Vita S. Othmari, quæ utraque eſt apud Surium. De officiis divinis, qui noviſſime excuſus eſt Romæ anno Domini 1590. in folio & aliâs alibi. De comparatione mundanarum & Eccleſiaſticarum dignitatum lib. 1. Epiſtolam ad diverſos lib. 1. obiit Strabo iſte 849. Eum Trithemius lib. 2. c. 35. Abbatem S. Galli facit, ſed paſſim ei reclamatur, & meritò, nam illud manifeſtiſſimè falſum eſſe evincitur ex vita S. Galli. Audivi tamen ex eruditioribus aliquibus noſtris patribus, quod ex Decano S. Galli Augiæ ſit creatus Abbas. Quicquid ſit, quia id ſatis certum non eſt, temere nihil aſtruo. Fuit & alius quidam Strabo Anglus, frater venerabilis Bedæ, qui ſcripſit in Geneſin. Et iterum alius Strabus appellatus, Monachus Fuldenſis, diſcipulus Magni illius Rabbani, doctus & eruditus, qui Commentarios edidit in Geneſin, Exodum, Leviticum & in plures alios Bibliorum libros; cenſeturque fuiſſe Author Gloſſæ ordinariæ, quam ſuper Biblia habemus. Floruit 840. Atque pro reſolutione quæſtionum tuarum hæc ſunt, quæ in præſenti occurrerunt. Salvo aliorum melius ſentientium judicio. Quod ſi deſiderio ſatisfeci tuo, mihi gaudeo, tibi gratulor. Ex Monaſterio 13. Cal. Jul. Anno 99.

XI.

S. P. D. Rectè abs te factum, amice Guldinaſte, quod fidem tuam tandem liberaſti. Etſi enim ego eam in dubium non vocavi, quem ſcis quàm non ægrè hinc dimiſerim: tamen cum pluribus debueris, facilè cogitare potes, varios ſæpe de te ſermones fuiſſe. Verùm jam ora illis obturaſti procuratâ ſolutione, quamvis tardiore, tamen bona & plena. Quod interuſurium mihi promittis, nihil deſidero niſi officia mutua quæ offers. De MSC. illis, in quibus aut nunc verſaris, aut quorum copiam iſtic habere potes, beaſti me: Inprimis voluptati fuit, quod de S. Valeriani Epiſcopi libro & de Gloſſario vet. Lat. ſcribis. Catalogum quem promittis expectabo: ut & cætera.

De carmine & in id Notis tuis gratias ago. Sed nonne tibi cautio eſt, ne crabrones in te prorites?

Quod moram excuſas mihi, & tantopere deprecaris perquam ſunt mihi cariſſima, facile impetraſti quod voluiſti: accedente præſertim etiam D. Stuckii opt. & eruditiſſimi Viri, Affinis tui interceſſione. Ne quid tamen diſſimulem, fuit tempus, cum tibi nonnihil ſuccenſerem, non tàm de dilata ſolutione, quam quod ad me nec tantillum tanto intervallo neque ſcribere neque nuntiare dignareris: quod te pro noſtra amicitia intermittere profectò non decuit. Ἀκεσταὶ δὲ φρένες ἐσθλῶν. Per me verò non ſtabit, quo minus amicitia noſtra ætatem duret. Quod præſtantiſſimi Viri D. Schobingeri favorem te mihi conciliaturum polliceris, eumque mihi aliquid in bonis litteris tribuere ſcribis, dicere vix poſſum quam id mihi gratum acciderit. De ſtudiis meditationibusque meis quod quæris, ſic habeto. Quantum vacui temporis conceditur ab occupationibus (quæ quidem hoc anno auxerunt cum aliunde, tum ex diſputationibus quibus hebdomadatim binis, uno Collegio Inſtitut. altero Pandectar. me arbitro, Juris ſe Studioſi exercent) id ferè impendo conficiendis ſacrarum lectionum libris, quos à morbo meo cœpi inſtituere. Collectanea Homerica quorum apud me ſpecimen, niſi fallor, vidiſti, quanquam deſtinatam mittere ad Jos. Scaligerum, tamen adhuc apud me imperfecta latent, reſumenda ac refingenda cùm otium fuerit, & ardor priſtinus redierit, qui, opinor ex morbo & aliis curis planè refrixit apud me erga iſta ſtudia. Sed priſcus vigor in pectus quandoque recurret. Deſidero verſus Græcos Sibyllæ de Homero, quorum ſcis & Lactantium meminiſſe. Gratum feceris, ſi vel omnia Oracula Sibyllina Græca à Sebaſt. Caſtalione edita (latinam ipſius verſionem jam habeo) mihi procuraveris, aut ſaltem illum de Homero locum exſcripſeris, & ad me miſeris, facto initio ab illis verſibus: Ilion heu miſereſco tui. B. V. Altorphii 8. Septembr. anno. 1599.

T. A.

Cunrad Rittershuſius D.

P. S.

Jam hæc ſcripſeram & obſignatutus earem, cum mihi redditæ ſunt tertiſt tuæ literæ cum vet. numiſmatis & mettallis quibusdam in agno Helvetico repertis. Ago tibi gratias pro muneribus iltis, quæ mihi auro contra cara. Iterum iterumque Vale. Altorphii. &c.

Ornatiſſimo genere,
eruditione & virtute
Dn. Melsori Guldinaſto
ab Heiminsfeld, Amico ſuo dilecto.

XII.

S. Accepi, Domine & Affinis ornatiſſime, binas tuas literas non longo intervallo, teſtes conſtantis tuæ erga me benivolentiæ: ergo vel me tacente facile intelligis, quàm illæ mihi gratæ fuerint & acceptæ. Lubentiſſimè etiam ex illis intellexi felicem & ſecundum rerum ſtudiorumque tuorum ſtatum, quo D. D. Schobingeri liberalitate & humanitate frueris. De hoc tibi gratulor ex animo, vehementerque lætor oblatam tibi eſſe occſionem commodam magis ac magis exercendi excolendique præſtantis tui ingenii. Heluonem te verè librorum, ut Catonem Cicero, appellare poſſumus. Operam tuam in antiquis illis libris, quorum mentionem facis ex tenebris & latibulis in lucem & apricum producendis & illuſtrandis optimè collocabis, & cum reipublicæ literariæ tum tuæ dignitati atque gloriæ optimè conſules. De Valeriano illo Cimelenſi Epiſcopo nihil me vel audiviſſe vel legiſſe memini. Ratpertus & Walafridus ſæqe ab Egidio Schudio, qui antiquitatem præſertim Helveticarum ſcrutator fuit diligentiſſimus, crebro in ipſius hiſtoria Helv. Germano-Gallica fit mentio. Operæ pretium igitur eſſet auctores illos in lucem edi. Te clariſſ. Viro D. D. Rittershuſio ſatisfeciſſe gaudeo cùm ipſius tum tuo nomine. Quod ſerius forſan tua opinione, & quàm oportuit humaniſſimis tuis litteris reſpondeo, occupationum mearum moli fac aſcribas. Vale Domine & Affinis cariſſime, & toti familiæ Schobingerianæ, quem ut ornare ſtudes, ſic ipſa tibi

quo-

quoque ornamento eſt & adjumento maximo plurimum velim meo nomine ſalutis dicas. Mea familiola te reſalutat. Tiguri 16. Sept. anno 1599.

Tui Studioſiſſimus:

Jo. Guil. Stuckius.

Genere doctrina, ac virtute
ornatiſſimo Juveni D. Melchiori
Guldinaſto, Domino & Affini
ſuo chariſſimo.
S. Galli apud D. Barthol. Scobingerum

XIII.

S. Tuas & Rittershuſii litteras, Domine & Affinis chariſſime, accepi, ex quibus, quod lætor, intellexi, Rittershuſium pecuniam illam à Scherbio accepiſſe, qua etiam ſine inrerufurio ſine fœnore optimè eſt contentus. Quantum ad Scherbium attinet, noſti illud: Amicorum mores oderis non noveris, & illud Chriſti, ſeptuagies ſepties offenſam proximo eſſe condonandam. De litteris illis tuis, quas nondum vidi, curæ erit Vaſero & Eglino, qui heri exthermis rediit tam rufus quam antea. Si epiſtolæ illæ tuæ lucubrationibus ejus in Cornelium Nepotem adjungentur, non vitabis hominum ſuſpicionem, te quoque Alchimicis illis artibus, quibus aliquandiu debitus fuit, delectari; Nam ſimilis ſimili gaudet, ut vulgò dicitur. Sibyllæ Græcum carmen nondum naneiſci potui, mittam quam primum potero. Quàm doleo me Jo. Aurati Præceptoris mei, viri ingenioſiſſimi & in emendandis antiquis Poëtis Græcis acutiſſimi dictata & annotationes in illa carmina ante multos annos ex ejus ore calamo exceptas cum aliis nonnullis meis libris Lutetiæ amiſiſſe. Scatent illa carmina innumeris mendis & lacunis, quæ Vir ille ſolertiſſimè pro mira ingenii ſui dexteritate emendarat & ſuppleverat. Utinam in Bibliotheca illa Santogallenſi poſſes invenire carminum illorum exmplar manuſcriptum. Vale & Schobingeri noſtri conjugem atque

familiam honeſtiſſimam plurimùm meis verbis ſaluta. Mei omnes te peramanter ſalutant. Tiguri 18. Sept. 99.

Tui Studioſiſſimus

Joh. Guil. Stuckius

Eximiæ doctrinæ & Eruditionis
juveni D. Melchiori Guldinaſto,
Domino & amico ſuo chariſſimo,
S. Galli
in ædib. D. D. Barthol. Schobingeri.

XIV.

S. Accepi, Domine & Affinis chariſſime, literas tuas admodum prolixas, & querelarum multarum pleniſſimas, quæ me non parvo affecerunt dolore. Deus perdat diabolos & calumniatores iſtos, qui putidiſſimis ſuis mendaciis de honeſtiſſima tua fama & exiſtimatione detrahere, atque etiam matrem tuam honorandam à te abalienare, & inter nos quoque quaſdam ſuſpiciones ſpargere conantur. DEUM teſtor me honorificentiſſimè ſemper & hîc & Santogalli proximè de te ut animo meo ſerio ſic locutum eſſe non apud Studerum ſolùm, ſed apud alios quoque. Nam tua vita, tui mores, tua ſtudia laude non vituperatione digniſſima, mihi magnopere probantur. Studerus, ut per cognatum, ſororis meæ filium proximè ad te ſcripſi, nondum vult filium ſuum peregrina in loca mittere, ſed domi diutius retinere, cum ætatis & valetudinis adhuc ſit infirmæ admodum. Ille alias meis de te adductus ſermonibus illum libentius tuæ quam cujusquam alterius fidei diſciplinæque commiſiſſet, tantum abeſt ut dixerit te ſibi non videri aptum & idoneum ad filii ſui mores, atque ſtudia moderanda. Quod Sanctogallo ad te non ſcripſi, id cauſæ eſt, quod domum (cùm nuptiæ illæ me invitum nimis diu retinuiſſent) properandum erat, nec etiam erat de quo ad Te ſcriberem, cùm proximis meis literis te de Studeri Affinis mei voluntate quo ad ejus filium ſatis certiorem feciſſem D. D. Schobingerus abfuit,

fuit, qui ſi præſens fuiſſet, fideliter de te cum ipſo communicâſſem illumque rogâſſem, ut res ſtudiaque tua promovere vellet, cujus alia forſan brevi, ipſo reverſo, commodior ſe offeret occaſio. Tu fac neglectis ſpretisque iſtis diabolicorum iſtorum hominum calumniis in laudabiliſſimo hoc tuo ſtudiorum curriculo ſtrenuè perge, ad doctoralem dignitatem adſpira, & de integra, ſincera & conſtanti mea erga te fide atque benivolentia nequaquam dubites. Plura hoc tempore ad te ſcribendi mihi otium non eſt, cùm ſubita quædam mea negotia me peregre proficiſci cogant. Hæc ipſa ſcripſi accinctus jam itineri magnâ cum feſtinatione. Vale Domine & Affinis chariſſime, & matri tuæ obſervandæ & tui meique amantibus honorificam quæſo officioſamque meis verbis ſalutem dicas. Significabis etiam matri tuæ chariſſimæ, me illam rogare, ut ſtudia tua utilia & honeſta fovere pergat, nec facile ſuſuronum & calumniatorum quorundam obtrectationibus fidem adjungat. Conjux familiaque mea te peramanter reſalutat. Vale iterum atque iterum. Tiguri Cal. Octobr. anno 1599.

T. amantiſſ. & ſtudioſiſſ.

Jo. Gul. Stuckius.

Genere, doctrina & pietate
præſtantiſſimo Viro D. Melchiori
Guldenaſtio, Jurisprudentiæ Candidato,
Domino & Affini ſuo percharo
Biſchoffs-Zell.

XV.

S. Miror. Domine & Affinis ornatiſſime, ſalvus ne & incolumis Bernam, Lauſannam, Genevam perveneris (quod ut opto & cupio, ita ſpero maximè (& an literas illas meas tui potiſſimum gratia ſcriptas amicis illis meis reddideris. Nam ab eo tempore, quo hinc diſceſſiſti nihil planè neque ex te neque de te, neque de amicis meis intellexi, quæ res magna me cura

 & ſol-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& ſollicitudine afficit, ne in morbum forſan aliquem incideris, aut adverſi quid tibi in perfectione iſta acciderit, quod Deus omen avertat. Hac igitur cura & ſolicitudine fac quæſo animum meum quamprimum litteris tuis liberes, cujus commoda & opportuna ſe tibi per tabellarium hunc noſtratem offert occaſio. Scribas ad me quæſo quæ ſit ſtudiorum tuorum ratio, quomodo iter hoc tuum tibi ſucceſſerit, quid agas, quomodo valeas, quo hoſpitio utaris, quid agant, & quomodo ſeſe erga te gerant quibus te fideliter diligenterque commendavi. A. D. D Schobingero ſimiliter nihil poſt ejus hinc diſceſſum literarum accepi, nihil de ipſo intellexi, quem ex profectione illa, quam propter amicorum quorundam ſuorum negotia ſuſcepit nondum puto rediſſe. Generoſus & Illuſtris Comes Ortenburgicus agnoto illi ſuo Friderico Caſimiro Danæum quendam, Electoris Palatini Alumnum, qui in Collegio Sapientiæ commoratur, ut audio aſcivit, quod DD. Jo. Jacobi Grynæi Theologi Baſilienſis opera puto eſſe effectum. Ab illo jam diu nullas literas eccepi. Filii mei, ut coram hîc tecum ſum locutus, fac quæſo ſis memor. D. Vaſerus noſter Elkovium eſt profectus novos illos ſuos convictores & diſcipulos Bodeggni filios huc adducendi gratia. Sis etiam quæſo memor ejus de quo tecum hîc ſum locutus de teſtamento novo Syriaca lingua. D. D. Lectium, Fajum, Laurentium & alios, quos noſti tui meique amantes amanter quæſo meo nomine ſalutes. Eamilia mea meique omnes te ſalutant. Tiguri 15. Novembr. 99.

Tui Studioſiſſimus

Jo. Guil. Stuckius.

Genere, pietate & eruditione
præſtanti adoleſcenti D. Melchiori
Guldinaſto Helvetio,
Domino & Affini ſuo percharo
& obſervando
Genevæ.

XVI.

XVI.

S E tertiis, quas te ad me dediſſe ſcribis, Guldinaſte eruditiſſime, non accepi niſi duas, & quidem poſthumas, ut exiſtimo. Ex iis intellexi, quæ præcipuè de Wieſlio ſcripſiſti. Hominis ingenium tantopere tibi probati, ut ſperes aliquando utilem fore Reipublicæ noſtræ civem, cum ſumma audivi voluptate. Rurſus te ei ſtudium locare tuum, cum majore audivi. Itaque, ut laborum tuorum utiliſſimorum aliquis ad te fructus redundaret, locutus ſum cum ejus parente: quod fecit & En. Staccius, affinis noſter, & Dn. Eglinus. Is, quanquam conſtituerat filium revocare domum, & mercaturæ addicere: tamen commendatione tuâ ingenii tam elegantis, & magnæ ſpei, itemque ſupplicatione filii ipſius, vult, ut diutius ſtudia continuet; ad quæ ut tu ipſum juves, ſicut cœpiſti, te orat etiam atq; etiam vehementer, nihil dubitans de remuneratione & compenſatione tui laboris, pro quo omnino gratiſſimum ſe ſexhibebit. Qua quidem de re ipſus ad te ſcribet. Brunus alter veſter Hoſpes, prolixas ad patrem Cunradi dedit litteras, quibus conqueritur valde, vos ejus reliquiſſe hoſpitium: & neſcio quid de filio, ob æs alienum contractum. Ego igitur cauſas mutati hoſpitii ordine ei numeravi, de quibus tu ad me: quas ſufficientes fuiſſe dicit, in eiſque acquieſcit: modò tuo conſilio omnia facta ſint, ac filius tecum habitet. Placet ei etiam conductionis pretium apud Servinum: ſed de his atque aliis ipſe ſcribet ad te, ut dixi. Ingratitudo Hottingeri ſupra modum mihi diſplicet, Sed quid facias cum impubere haud intelligente? quem pro tua ſapientia dignè tractabis: ut profectò ignorem ego, quid hac re tibi reſcribam. Doleo inprimis Coſulis filium haud officium facere, qui nobis omnibus meliorem de ſe ſpem concitârat. Sed monebitur ſeriè, meo inſtinctu. De cæteris, quæ ſcripſiſti, nihil habeo reſcribere: quàm quòd unâ tecum valdè miror reverendo ſeni Pesotto illum eſſe ſubſtitutum ſucceſſorem, non quòd eximiâ non ſit eruditione, ſed quia tantus juvenis. In Hebraïcis certè egregius eſt; at illa oſtentatio. de qua ſcribis, haut poteſt laudari: præſertim in tam

in tam pauxillis vocibus. Domino Pateo, quem officioſè & amanter ſaluto, ſignifices quæſo meo nomine, me ejus petitioni libenter & ſponte ſatisfacturum fuiſſe, ut videlicet domum meam cum reciperem, quod eam petere tu ſcripſeras primis litteris, ſed nullam hoſpitii prorſus commoditatem ſupereſſe propter Bodeckeri filios, quos recepturum me, unâ cum Inſpectore eorum, dudum in me recepi. Ac recepi etiam: quæ cauſſa fuit, ut ornatiſſimum juvenem, Sohnium, mihi peculiariter commendatum Baſileâ, neque ſuſcipere, cum id maximè deſideraſſet, præter voluntatem meam potuerim. Ei ſi qua aliâ re gratificari poſſum, promtiſſimus ero. De Eleovia profectò nihil indagavi hactenus: ſi tamen deinceps aliquid potero, faciam ſcias. Antiquitate de ea omnes inter libros Heinzelliorum deliteſcunt: ſed libri illi, proh Deum ubi nunc ſunt, poſtquam naufragium ipſi fecerunt? De ſuppellectile tua Santgallenſi ſi quid monuiſſes, darem operam, ut ad te perferri poſſet. Oratio tua adhuc apud nos eſt, necdum impreſſa: quam tamen nunc mittere ad te M S. non potui, quoniam per mercatorem litteræ curabuntur, quia grandioribus faſciculis vehementer abhorrent. Ceiris Catulli, Nepos, Logica & id genus cætera eo loco ſunt, quo fuerunt, te adhuc præſente. Vale, amice cariſſime, & Wieſtium tibi commendatum habe, ut exſpectationi patris, tuæ ac noſtrorum ſatisfaciat, ac perſuade tibi patrem non ingratum fore. Reſalutant te amici, uxor & affinis meus Simlerus, itemque Erhartus. Tiguri. 16. Decembr. 1599. ſaluto ego Dn. Bezam, Dn. Fayum. Dn. Goulartium, inprimis Dn. Laurentium, & Dn. Deodatum.

Tuus antiqua fide

Waſerus.

Eruditiſſimo Viro:
Dn. Meliori Guldinaſto
Amico ſingulari.
Genevæ.

XVII.

XVII.

S. P.

Silentium meum diuturnum excuſabis mi Melior, ſi cauſam dixero. A diſceſſu tuo negotia objecta mihi ſunt ſubitò, adeoque undatim obruerunt me plurima. Tum à Generoſo meo Pappenhemio accitus ſeptimanas aliquot peregre fui, ubi domum redii, dum aliud ex alio intervenit, menſes in hoc ſilentio exacti ut vides. Cæterum grata mihi tua ſcriptio, illud longè gratiſſimum, quod valens & incolumis eo degas loci, quo velut ad mercatum artium ſeriarum profectus ab ingreſſu ſtatim fortunæ adfulſerit nutus, ac pro votis & tuis & meis non una conditionum obtigerit, queis & Tibi & ſtudiis tuis conſultum optimè eſſe poſſit. De manuſcribtis libris, quorum Syllabum nunc accipe, fidem præſtiti, ſed videſis in reſtituendo fides tibi conſtet. Paginas quas libris meis exceptas aſportaſti, (Notationem puto de Metropoleis) ſic habet inſcriptio: Vitam Caroli M. S. Amandi, S. Findani. Caſſiodori de anima: & ſi quæ ſunt alia fragmenta, quum iis amplius tibi non uſus mihi remittes. De Ferrando Diacono vereor ne fruſtra ſimus. Spem fecerat Decanus Monaſterii, ac hodie cùm pro copia ejus ſervum miſi, nihil impetratum effeci: à Jeſuita quodam Dillingam ablatum cauſatur, an verum, valde dubito, ex Bibliothecario, qui nunc abeſt, ubi redierit, reſciſcam, quare Valeriani editionem tantiſper dum certi quid ſuper eo perſcripſero, ſuſtinebis. Inſtitutionem Plautinam, quam promittis aut ut verius dicam offers, ſi me amas fac videam. Wamboldi heu quondam mei filium Remartum Caſimirum tecum eſſe gaudeo, à ſuorum virtute haud degenerabit ſpero, officium quod requiris præſtabo cùm per occupationes licuerit, à me interim plurimum ſalutabis & curæ habebis Socratis vel frænorum vel calcarium adhibita cautione: næ magnam tu olim apud ſuos inibis gratiam, quibus feceris quicquid facies huic. Ejus Patruum Jo. Philippum Wamboldum aulæ Palatinæ præfectum brevi, ſi Deo placet, inviſam: legatio enim mihi

 unà

unà cum generoſo Maximiliano Mareſchalco, patris captivi causâ ad Comitem Rheni Palatinum, cœteroſque Electores & Imperii Principes obeunda, itineri ad Kalend. Martii accingemur, quod felix fauſtumque ſit, oportunè ſanè de opera quam Caſimiro collocaſti tui dabitur commendandi locus, quod & à me fiet accuratè, nec abs re tua: de meæ enim voluntatis conſtantia ſic planè habe, illum eundem, quem me tibi coram probavi, fore quam diu ero, adjuturumque te tuaque ſtudia qua re potero. Plura non addo. Vale mi Melior & me tui amantem amare perge. Clariſſim. Lectio ſalutem à me dicito. Facile crediderim me illi excidiſſe animo, annus jam agitur decimus & ſeptimus, quo tempore Genevæ jus docentem audivi. Idem te rogo de D. Beza, Fayo, Goulartio. Uxor mea te reſalutat. raptim Santgalli. Kal. Februar. anno 1600.

Tuus

Bartholom. Schobinger. Jur. Conſ.

Ingenuo adoleſcenti
Meliori Amoneveltoni Guldaſto,
Amico ſingulari
Genevam.

XVIII.

S. Intellexi, Domine & Affinis cariſſime, ex tuis ad Doct. Vaſerum datis literis magna cum animi mei lætitia & voluptate Te DEI beneficio bene valere, & pro filiolo meo minore natu nactum eſſe honeſtum hoſpitium apud mercatorem quendam, qui libenter filium ſuum ejuſdem ferè ætatis apud me ſit collocaturus. Pro fideli hoc tuo ſtudio opera & labore maximas tibi & ago & habeo gratias. Sed, ut hîc tibi coram ſignificavi, libenter filium meum ſecundogenitum Joannem Guilielmum 18 annos natum iſtuc mitterem, linguæ Gallicæ addiſcendæ gratiâ, ſi honeſtæ hujuſmodi permutationis, ut vulgò vocant, change Gallicè, ſe ſe mihi offer-

offerret occaſio. Hæc in te D. Goulartius, Jacomotius, David Peliſſarius, Daniel Roſetus, Joan. Theodati & alii ſuam mihi promiſerunt operam, quam ipſos adhuc ſpero præſtituros ſi illos allocutus fueris meo nomine & officiosè ſalutaveris, quod ut facias te vehementer rogo. Vere hoc novo filii permutandi commodè ultro citroque mitti poterunt. Quod ſi mercator ille Marſethus adhuc in priſtina ſua permanet ſententia, forſan & filiolum meum minorem natu, Henricum nomine, 12 natum annos, iſtuc mitterem, quod tamen ab initio non conſtitueram, ſed tantum Guilielmum majorem natu, qui id eſt ætatis ut ſupra ſcripſi. Vereor enim ne ſi hanc ætatem exceſſerit non amplius ad linguam iſtam percipiendam non aptus ſit futurus & idoneus: quem tamen cuperem ſimul in linguæ Latinæ & Græcæ ſtudio pro ingenii ſui tenuitate pergere. Eſt enim aliquid prodire tenus ſi non datur ultra. Velim etiam magnopere, ſi vel ambos, vel alterutrum filiorum meorum iſtuc mitterem, ipſos honeſta liberalique diſciplina in officio contineri, ne, ut iſtic ſæpe fieri ſolet, improborum & ignavorum conſuetudine familiaritateque corrumpantur, & in artoereopoliis, in Sphæriſteriis, in cauponis, in plateis potius, quàm Domi in ſuis Muſæis: in templis, in ſcholis majorem temporis partem conſumant atque perdant. Hac de re quæſo cum Doctor. Goulartio, Jacomotio & aliis amicis meis communices, & brevi certi quid ad me perſcribas. Novi quid ad te ſcribam non habeo, niſi quòd cum magno animi mei dolore intellexi Generoſum & Illuſtrem Comitem Artenium ſive Ortenburgenſem ex hac vita migraſſe ad cœleſtem, æternam & verè vitalem iſtam vitam. Me inſcio prelo ſubjecta & excuſa eſt D. Friſii & Eglini operâ Iuſti Lipſii Oratio de duplici concordia cum inſigni & turpi mendo, quod extat in ipſius limine. Nam pro illis verbis, quæ meo judicio poni debuerunt *mihi cauſa fuit de re graviſſima dicendi*, ipſi poſuerunt *mihi cauſa fuit de re praviſſima dicendi.* Velim etiam loci nomen Tiguri fuiſſe prætermiſſum. Hinc enim Vir ille clariſſimus, ceu crabro irritatus, nos acutiſſimis ſuis aculeis

pungendi, nobis inſultandi, in nos debacchandi, adoleſcentibus denique noſtris, qui literarum cauſâ in Belgium mittuntur, inſidiandi, atque ita ſui ulciſcendi, occaſionem arripiet. Verba illa *de re praviſſima dicendi* egregiè exagitabit, & praviſſimum hoc noſtrorum dicet factum. Miror an Doctor Hotomanni opera omnia à Vignono fuerint excuſa, quomodo Doctor Beza valeat à quo jam diu nullas litteras accepi. Vale Domine & Affinis colende, & Doctor. Bezam, Lectium, Fajum, Goulartium, Theodati, Jacomotium, Laurentium, Roſetos, Galatinos, & reliquos amicos tui meique amantes plurimum quæſo meo nomine ſaluta. Familiola mea, meus inprimis filius Guilielmus & ejuſdem nominis cognatus Ziglerus cæterique amici communes te peramanter ſalutant. Tiguri 27. Martii anno 1600. De Rittershuſio noſtro & aliis jam diu nihil intellexi.

Tui cupidiſſimus

Jo. Guil. Stuckius.

Nobili ornatoque Viro
D. Meliori Guldenaſto,
Helvetio, Dn. & Affini ſuo
percharo & obſervando
Geneva.

XIX.

SIta me Deus bene amet, mi Melior, ut animi diſcrucior, quod ſuppellectili tua tanto cum detrimento uſque caruiſti; neſcio quo fato; non hercules meâ culpâ. Cæterum optimo jure mecum querereris: hoc habeo tibi dicere, mandati ſuſcepti me nec oblitum eſſe, nec officio aut occaſioni defuiſſe, quæ ſi oblata eſſet prætermiſſurus eam (DEUM ſanctè teſtor) haud quaquam fuiſſem. Hinc non eſt ut amicitiæ vel fidei violatæ à te inſimuler, aut inconſtantiæ perſtringar, quaſi alius nunc ſim, quàm fui: in-

injurius es, ſi quicquam tale ſuſpicaris de eo, qui bene tibi vult, voletque dum vivet: quin potius ſic planè habe, inſuper habita ſumtus ratione, me non acquieſcere, donec habeas: & habebis, niſi DEO aliter viſum, ad proximum quinquageſimæ feſtum. De Ferrando, ut prædixi, fruſtra es, Bibliothecarius idem quod Decanus prælexit: quia honeſtè denegare non poſſunt, hoc commento excuſari volunt: Subolet illis editionem ejus nos moliri, quam & nobis & luci publicæ invident, iners fucus. Legationi, cujus ſuperioribus literis mentionem feci, ad 4. Non. April. accingar, DEO volente, qui iter noſtrum & conſilia atque actiones fortunet, reduceſque nos faciat ſanos & incolumes. Vale mi Melior & me ama. Raptim poſtridie Paſchatis anno 1600. Sanct. Gallo.

Tuus

Barthelom. Schobinger.

Ingenuo & erudito juveni
Meliori Guldinaſto,
juris & politioris litteraturæ
ſtudioſiſſimo, amico meo chariſſimo.

Genevam.

XX.

SAn ſatis videor ceſſationem meam tibi excusâſſe, qui ad binas meas nihil reſpondes? indignabundus par pari refers? non decet eâ causâ quam prolixè poſterioribus meis ſignificavi. Affini meo Chriſtophoro Crom, cui tradendas illas dedi, ut rem omnem coram exponeret, mandavi, animumque meum declararet & ſubſidium pecuniarium, ſi opus tibi eo foret, meo nomine offerret: qui ergo fit quod nihil ad ea reſcribis? anxium me reddidit de tua valetudine, quam ſatis infir

mam vereor ne animi ægritudine quam ſuppellectilis tuæ cauſa ſuſtinuiſti uſque ſit affecta, Si me amas liberato me hoc metu & bono animo eſto, brevi ſuppellectilem habebis. Vale mi Melior, plura ob geruli feſtinationem addere non licet: perendie iter, de quo tibi ſcribſi, capeſſo, id Deus fortunet. Literas adjunctas à Matre tua accipe. Sanct·Gall. d. 6. April 1600.

Tuus

Barthol. Schobinger.

Ingenuo & erudito juveni
Meliori Guldinaſto
Politioris Litteraturæ Studioſo.
amico meo chariſſimo
Genevam.

XXI.

S. P. D.

Vidi adoleſcentulum, quem remiſiſti, ornatiſſime & eruditiſſime Goldaſte, amicorum optime: vidi, inquam, & deprehendi, in magnum evadere potuiſſe, ſi te hortatore & directore uti ipſi licuiſſet. Sed reſpondebit aliquando DEO parens ipſius, qui impediit. Eum tibi nondum ſatisfeciſſe, miratus fui, cùm diſertè mihi dixerit, ſe Genevæ id facturum certò, quando filium repetat. Sed ne propterea ſis ſollicitus. Efficiemus enim, ut tibi fiat ſatis: quod neutiquam ipſe, cùm honeſtiſſimus Vir ſiet, facere recuſabit.

Cæterum avidius te Grammaticam meam exſpecto: quæ nondum prodiit: ſed certò ſub prelo jam eſſe ad me Baſileâ eſt ſcriptum: cujus exemplum vel primum tu habebis, ubi prodibit. Numos interea meos curare non potuit propter publica & privata negotia: privata inprimis & domeſtica quæ varia fuerunt, & triſtiſſima,

triſtiſſima, propter gravem & diuturnum morbum filiolæ meæ, quàm DEUS tandem à miſera & caduca iſta vita, vel morte potiùs, ad ſe, die Aſcenſionis proximo, vocavit. Vix mœrorem animo excutere cœpi, ecce chariſſima mea affinis, uxor Doctoris Simleri, filia Dn. Stuccii, poſt partam à ſe filiolam, cùm ſecundinæ inſecundiſſimæ eſſent, nono die: cum omnium noſtrum incredibili mœrore moritur. Ex his mœroris fluctibus ubi paululum emerſero, ſi modò DEUS nos ultra viſitare deſiſtet, efficiam, ut ad finem deducam cœptum iſtum laborem: de quo quæ Joan. Gruterus, Vir clariſſimus, & præſtantiſſimus, perſcribit, libenter legi: libentius, quòd tam benivolam per te mihi ſalutem adſcripſit. Ut porrò me illi, aliiſque doctis Viris, commendes pervelim.

Cæterum à quibus has accipis, eos tibi de optima commendo nota. Nobiles ſunt Veſalienſes, egregiâ indole, & noſtræ addicti religioni, Inſpectoremque habent inſigniter eruditum, nomine Tobiam Rivium: cum quo amicitiam te contrahere, haud pœnitebit. Vale, amicorum non poſtreme, àque me exſpecta omnia, quæ abs tenuitate noſtra in te poſſunt proficiſci officia ac ſtudia. Tiguri. 16. Maji 1600.

Uxor mea & Johannes Erhartus
honorificam tibi adſcribunt ſalutem.
Adderem & Dn. Eglinum: ſed confido,
ipſummet ad te ſcripturum per eoſdem
nobiles, qui octiduum & amplius
ejus ὁμοτράπεζοι fuerunt.

Tuus optimâ fide
Caſpar Waſerus.

Eruditiſſimo Viro:
Melchiori Hamenveltoni Goldaſto,
J. C. & Philologo præſtantiſſ.
Dn. & amico ſingulariſſimo.
Genevæ
In ædib. Dn. Lectii,

XXII.

XXII.

QUemadmodum Cardinalis Belarminus in ſuis libris Controverſiarum plus operæ atque olei inſumpſit in conſtituenda Romani Pontificis auctoritate, quam in ulla alia controverſia. Similiter omnes Pii & boni Viri, qui hodierna diſſidia religionis ſedata cupiunt, in hoc præcipue ſtudium debent incumbere, ut relictis extremitatibus vitioſis juſta & legitima poteſtas primatus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ populo Chriſtiano innoteſcat. Porro ex omnibus auctoribus, qui de poteſtate Papæ ſcripſerunt nullus extat, ex quo plura & ſalubriora documenta hauriri queant ad legitimam poteſtatem Roman. Pontificis cognoſcendam & regendam, quàm ex Magiſtro Gulielmo Occam: Itaque videndum eſt, ut ejus opera diligenter, fideliter & accuratè edantur, provideaturque, ut, ſi hæc nova editio, quam nunc meditamur, emendatiſſima eſſe non poſſit, ſaltem ſequens proxime futura emendatiòr ſit aliis; quod ut fiat hæc requiruntur.

Primò ne typographi nimis feſtinent, aut ſumptibus parcant, ut ſæpè fit in Germania; nam venditio eorundem operum abunde ſarciet & reparabit ſumptus factos à Typographis, pluris igitur væneant & bene accurateque edantur illa opera.

Secundò ut operæ ſive compoſitores formarum, quoad fieri poterit, habeant cognitionem linguæ Latinæ, ut poſſint occurrere multis defectibus antiquæ editionis, & diphtongos, Virgulas, atque alia ejuſmodi neceſſaria apponere: nam in veteri editione ubique duo puncta appinguntur loco virgularum; hoc autem emendari non poteſt niſi à peritis compoſitoribus, qui diligenter monendi erunt iſtius erroris aut defectus. Similiter iidem compoſitores erunt informandi de abreviationibus; eaque de cauſa illis dabitur Alphabetum abbreviationum, quod infra deſcribetur.

Tertio habendus erit diligentiſſimus & peritiſſimus Corrector formarum, cui etiam dandus erit prælector, qui poſſit accurate legere

veterem editionem & abreviationes litterarum Gothicarum, hoc autem facile conſequetur idem prælector, ubi ſemel atque iterum prædictum Alphabetum perlegerit.

Quartò quoniam ipſo Badio Aſcenſio teſte, qui olim opera Occami primus evulgavit, opera hæc mendoſiſſima ſunt propter defectum & penuriam variorum exemplorum: Videndum eſt ne hæc nova editio, quæ paratur, fiat in charta bibula, aut in columnis, ſed paginis atque lineis integris, quo poſthac mendæ atque errores facilius corrigi poſſint, & tertia editio emendatiſſima fiat: quandoquidem boni viri amantes publicæ utilitatis pollicentur ſe ſtatim, atque hæc editio nova facta fuerit, daturos operam, ut mendæ corrigantur, quo tandem libri Occami tertia editione emendatiſſimi prodeant in vulgus & cum majore utilitate legantur ab omnibus.

Quintò ea omnia, quæ expreſſa ſunt in margine veteris editionis prorſus omittenda ſunt, cum nullius ſint momenti vel ponderis.

Sextò videndum eſt, ut juxta regulam Apoſtoli omnia fiant in ædificationem. Itaque cavendum erit, ne nomen Urbis, Typographi vel alicuius alterius auctoris huic novæ editioni adſcribatur, quod aliquam ſuſpicionem mali creare poſſit: hoc enim multo plus noceret, quam prodeſſet & ſtatim vulgaretur, hæreticos in odium religionis Catholicæ libros Occami evulgaſſe, ſicque fructus, qui inde ſperatur periret, quoniam multi Catholici libros velut hæreticos reſpuerent.

Septimò. Hic generalis titulus erit præponendus toti operi. *Opera Magiſtri Gulielmi Occam Franciſcani de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate: qui floruit circa annum M. CCC. XX.* qui quidem titulus decurret per omnes libros. At in principio cuiuſque libri titulus antiquæ editioni præfixus erit retinendus hoc ordine & modo.

1. Magiſtri Gulielmi Occam Franciſcani de poteſtate ſummi Pontificis, octo quæſtionum deciſiones.

2. Dialogi Magiſtri Guilielmi Occam Franciſcani Doctoris famoſiſſimi de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate.

3. Compendium errorum Johannis XXII

4. Summa ſivè Epitoma CXXIV. Capitulorum operis nonaginta dierum Magiſtri Gulielmi Occam contra errores Johannis XXII.

5. Richardi Archiepiſcopi Armachani defenſio Curatorum contra privilegiatos, & viciſſim defenſio privilegiatorum contra Armachanum per Magiſtrum Rogerium Chomnœ

Franciſci D. Pici Mirandulani apologia pro Hieronymo Savanarola Dominicano.

Jac. Auguſtus Thuanus.

XXIII.

S. P.

DOctiſſime Juvenis, lubens vidi & legi literas tuas amoris in me tui non interpretes ſolum ſed & obſides. Jam ante mihi notus eras, non perſonâ quidem, quantum meminiſſe videor, ſed nomine, quod præſcriptum legi doctiſſimis Theſibus Altorffi diſputatis ſub illo clariſſimo Scherbio, quem quod amicitiæ noſtræ proxenetam introducis, id verò me non potui non vehementer afficere; amo virum & veneror ſincerè. Sic meretur tum rara ejus doctrina, tum obvia in me humanitas. Omnia ejus nomine à me impetres, ne dum amicitiam atque amorem quem ultro tibi detuliſſem dudum, ſi qua fuiſſet occaſio. De Præcognitis meis quod ſcribis, amoris ſtricturas agnoſco; cætera non agnoſco. Subitò ea nata, ut ii norunt, qui me norunt. Itaque non mirum, ſi inibi mecum non ſentias: neque enim ea amicitiæ lex eſt, ut libertas judiciis adimatur, quin potius unica hæc amicitiæ gemma & corona à me dici ſuevit, τὸ γυμνὸν τῶν χαρίτων. Quin in omnibus cum amico ſentit, non tàm aſſentitur meâ opinione, quàm aſſentatur. Quocirca id firmandæ inter nos amicitiæ erit, quicquid expoſueris à ſententia mea diverſum. Syſtema Logicum, quod ibi adumbravi pro-

proximis nundinis, volente Deo prodibit, ut & alia nonnulla, quæ amici atque auditores à me verius, extorſerunt, quàm impetrarunt. Dn. M. Joh. Philippus Paræum, ſi Genevæ eſt, meo nomine benevolè ſalutes, miror nihil literarum his nundinis miſſum, idque velim à me ei exprobres. Ampliſſ. & Clariſſ. Viro Dn. Jacobo Lectio ſalutem obſervantiæ plenam adſcribo. Valè juvenis ornatiſſ. & me, quod facis, ama. Heidelbergæ idib. Maji anno 1600.

T. amantiſſ.
Bartholom. Keckermannus,
Ling. Sanctæ Profeſſor in Acad. Palat.

Doctiſſimo Juveni
Dn. Meliori Guldenaſto
Helvetio, LL. & Philologiæ
Studioſo, amico amantiſſimo,
Genevam.

XXIV.

DEUM immortalem (nec ſaluto prius) meum nomen etiam Genevæ traduci! ſic enim interpretor: & hanc culpam (ita nominabo) vix effugiet, quisquis ille fuerit, qui tibi, qui Lectio, aut quîs viris. Indicium fecit, Plautum ad EAM FACIEM, quam tu innuis, à me datum iri. Scio te non ſolùm hæc opinari: ſunt & alii in lubrica iſta cymba. Sed profectò iſtorum me piget. Et miror, homines eſſe, eosque DOCTOS, qui tale quid de meo ingenio atque opera ſibi perſuadeant; meo inquam, hominis in hac literarum diſciplina tironis, & qui degam in his locis, quæ veſter ille Phœbus ex intervallo & vix oblique perſtringit. PLAUTUM emendatum à me dari poſſe nunquam in animum induxi, quæ quidem provincia TIBI tuique ſimilibus aliis, perpaucis tamen iis, deſponſa eſt. Ego quid inibi præſtiterim, aut quid voluerim, docebunt aliquo modo hæ chartæ, quas unà mitto. Quæſo te, mi optime MELIOR, excuſa me magno illi Lectio, cæteriſque amicis quos habes, ſi & illi forte errorem ejuſmodi de me erraverint:

præſertim Johanni à Wouweren, cuius in tuis ad me nuper meminiſti. Pluribus ſcribendis non vaco: & hæc ipſa in ſenatu noſtro Academico & turba negotiorum depropero. Tu in Symmacho pergas: tuas in Plautum Symbolas ſed & amicorum mittas. Lectium ſalvere jubeas. Wittenbergæ 23. Maii Julii anno M. Ioc.

Tuæ præſtantiæ ſtudioſiſſ.

Frider. Taubmannus Francus,
Profeſſor publicus.

Editionem meam Plauti nihil tàm remoratur, quàm *Fragmentorum* deſiderium. Quàm velim, ex tua officina. Quæſo te, mereri aude lauream iſtam tuo capiti: aut certò ab amico mihi impetrato. B. V.

Præſtantiſſimo & eruditiſſimo Viro-Juveni
Dn. Melchiori Hammenvelto Goldaſto
Helvetio, amico ſingulari
Genevæ.

XXV.

S. Tandem aliquando Domine & Affinis chariſſime filium meum φιλέςατον iſtuc mitto, eo animo atque conſilio, ut ibi linguæ Latinæ, Græcæ & Gallicæ omni ſuo ſtudio incumbat & ſumptum tempuſque bene collocet. Quo autem minori cum ſumptu ibi vivere poſſit, cuperem illum, de quo & coram & per literas tecum egi, poſſe honeſtum aliquem hoſpitem nanciſci, qui eum hoſpitio convictuque ſuo reciperet, & mihi viciſſim filium ſuum mitteret, cui fides benevolentiaque mea nequaquam eſſet defutura: cuiuſmodi permutatio vulgo change ſuâ linguâ Galli vocant. Quantum ad ſtudiorum eius rationem attinet, quoniam facilè animadverto ipſum ad politicum & ad aulicum atque adeo etiam ad bellicum, quàm ad Scholaſticum ſive Eccleſiaſticum vitæ genus ac inſtitutum proclivem eſſe atque propenſum. Cuperem illum vel medicorum ſaltim partim linguarum illarum, de quibus dixi,

dixi, partim hiſtoriarum & jurisprudentiæ cognitionem conſequi poſſe, quæ ipſi deinde ad illud ipſum vitæ genus magno cum adjumento tum ornamento eſſe poſſet. Tu igitur fac quæſo illum pro fide prudentiaque tua, qua multum nitor monitis conſiliiſque tuis fideliſſimis hac in parte juves, eique quoſcunque potes verborum ſtimulos ad pietatis literarumque liberalium conſtans ſtudium admoneas. Scripſi proximè ad te de obitu Generoſi & illuſtris Comitis Joachimi ab Ortenburg, de quo conjux ejus generoſa, nunc vidua, ex Baronum Limburgenſium familia oriunda Lucia nomine literas ad me miſit plenas luctus & mœroris. Cuperem vehementer eius cum vitam tum obitum pium & religioſum, tuis, D. Bezæ, Lectii, Jacomotii, Fay, & aliorum qui iſtic florent, illuſtrium Poëtarum carminibus decorari. Hac de re nobiliſſimus Vir. D. Jo. Georgius à Werdenſtein ad me ſcripſit, & idem vehementer à me contendit. Scripſi ea de re ad D. Bezam, quam tu fac quæſo urgeas, & quæcunque potes epitaphia, epicedia, carmina funebria in tanti Viri, quem verè Chriſti confeſſorem & martyrem appellare poſſumus, laudem corrigas undique & colligas. Nam Herois illius Generoſi mores atque vita tibi ſatis ſunt cognita. Plura nunc ad te ſcribere non poſſum præ mœrore quo afficior propter ſubitum, improviſum & immaturum filiæ meæ Cleophæ obitum, quæ ante annum nuptias cum D. Simlero celebravit. Reliquit poſt ſe filiolam eiuſdem nominis, quæ vagitu ſuo chariſſimæ ſuæ matris privationem, orbitatemque ſuam deplorat nobiſque lachrimas elicit. Vale Domine & Affinis colende, & cum filium meum tum peregrinationis huius ipſius comites atque ſocios optimæ ſpei atque indolis adoleſcentulos, Patritios Tigurinos, propinquos noſtros tua fac quæſo benevolentia humanitateque complectaris. Tigur. 3. Junii 1600.

Tui ſtudioſiſſimus

Joh. Guil. Stuckius.

Genere, doctrina & pietate ornatiſſimo Viro Dn. Melchiori Guldenaſto, Domino & affini ſuo chariſſimo.

Genevæ.

XXVI.

Meliori, imò optimo meo S.

RESpondeo ad litteras tuas paucis verbis mi Melior, quia pauculos intra dies, ſi DEUS votum audiet, coram adero, & videntur reliqua fabulis reſervanda. Generoſos de quibus ſcribis excipiam tunc quoque domo lubens, quam inſpicere licebit interim, ſi videbitur. Ad Uxorem enim ita ſcribo, quæ, ut ſuſpicor, per ignorantiam animi tui aut linguæ tuæ peccavit. Adverſus alios illos, quorum etiam meminiſti, animus idem nobis. Sed ut dixi plenius coram. De pace aut bello omnia dubia adhuc & incerta, ſed ad pacem, ni fallor, magis inclinant. Vale autem & iſtos quoque nobiles à me officiosè ſaluta. 6. Julii 1600.

Jacobus Lectius, JC.

A Monſieur
Monſr. Melchior.

XXVII.

Meliori ſuo S.

OFficii causâ ſcribo tantum, qui gratiſſima habeo quæ ſcripſiſti. Et bene habet quod amore mutuo uterque gloriamur, cui non fidem fallam ego, non certè tu. De ſuſpectis locis juris noſtri quæ notaſti videbimus nos poſt reditum, qui propinquus. Nam nec mihi textus ad manum, ſine quo ſtatui quicquam haut debet. Et negotiorum æſtus urget nimis. Tantum dico, probari ſatis quod conjectas ſuper lectione leg. 8. C. de pign. act. & memini quoque firmari poſſe negationis adjectionem ex leg. creditorem C. de pignor. Vt quidem res hodie ſunt, inter Regem & Sabaudum iterum arma, quod ut ſpero cum quiete & commodo civitatis noſtræ fiet. Liberos Vaſſaniæ C. F. commendare inſuper nequaquam opus. Novi enim quo affectu ejus familiam complectaris. Eam Matro-

Matronam tu plurimum meo nomine ſalutabis. Vale autem tu cumprimis & me ama. Lugduni 23. Julii ſtyl. Nov. 1600.

Tuus

Lectius. JC. Genevenſis.

A Monſieur
Monſr. Melchior,
à
Geneve.

XXVIII.

S. P.

TUis, Roveriani & quorundm aliorum litteris permotus de Variis Linguæ Latinæ authoribus ſeriò nunc cogito. Si quid in Nonium ſervatum abs te fuerit, quæſo me ut tanti boni participem facias; gratum memoremque tui deprehendes. Leges ſalicas Lutetiæ Tyſius edere deſtinat, meritiſſimus meo judicio interpres & qui me ab inſtituto tali deterreat. Tuas interim curas cogitationeſque vehementer laudo de illis edendis authoribus, quorum nomina tua ad Roverianum epiſtola perſtringit. Si quid in Juſtinum inter mea repererо, ſaxo brevi ut habeas. Vale. Francofurto 19 Sept. anno 1600.

Tui obſervantiſſimus

Dionyſ. Gothofredus,
Jur. Conſ.

Doctiſſimo & ornatiſſimo
Viro Melıori Hamenveltono
Goldaſto
Genevam.

XXIX

S. Angit me valetudo tua, mi Melchior, & quia hodie, quod ſperabam, inviſendi tui ocium nullum eſt, mitto qui de ea percontetur ab ipſo te. Miſſus ad me per hos dies libellus hic ad aſini Apulejani imitationem factus, nec quidem ineptus, quem exhilarandi

larandi tui cauſâ mitto. Interim vide, numquid pro amicitia noſtra à me deſiderare poſſis. Raptim ex ædibus meis 1600.

Tuus
Jacobus Lectius.

XXX.

ETſi mihi ignotus ſis (Vir Doctiſſime) tamen mei officii eſſe exiſtimavi, ut tibi diſcipulos tuos jam pridem commendatos rurſus commendarem, præſertim ne tempus abſente matre malè pereat. Equidem, nec de tua bona voluntate, nec de illorum officio dubitare poſſum, ſed mihi erga te commendatione, erga illos admonitione aculeata uti exiſtimo: ita ut in poſterum quidquid in ipſis erit, à te habere fatebuntur. Age igitur (Vir Doctiſſime) non ipſos ſolùm, ſed me quoque ad omne officium devinctum habebis, nihilque aliud jam poſſum quàm Deum opt. Max. precari, ut te ſalvum diu & incolumem ſervet. Datum Eſſert. 13. Aug. 1600.

Tui ſtudioſiſſimus
Ludovicus ab Hennezel.

Doctiſſimo & Clariſſ.
Viro Dn. Goldaſto, amico
plur. colendo
Geneve.

XXXI.

V. C.

MELIORI GOLDASTO
P. VASSANIUS
S. D.

ET mihi & fratribus cariſſ. gratulor plurimum, quod ſtudia eorum tibi, tanto Viro, commiſſa ſunt. Bonum hoc debeo lubens V. C. Jac. Lectio, qui de nobis bene merendi finem nullum facit.

Habebit is, habebis tu, & me & diſcipulos tuos tanti beneficii non immemores. Animum hunc teſtandi, occaſionem, ſi qua ſeſe offerret, amplectar avidiſſimè, aut nullius ſum apud vos unquam fidei. Legit Avunculus ſumma cum voluptate quas ad eum dediſti, reſpondere paratus ni eum publica negotia aliò avocaſſent. Quod de V V. illis C C. quæris, dicam: Fornerium Aureliis, Juretum Divioni degere. Bodinum non foro ſolùm ſed & ſolo jam dudum ceſſiſſe. Lipſii oratio nova nobis viſa fuit, nec in ea Lipſii ſtylum ſine monitione tua unquam agnoviſſemus. Eſt in manibus Pap. Maſſonii liber ille I. Q. Curtii hactenus deſideratus, quem ubi primum publicaverit tibi exhibebo. Salutat te plurimum Vir Ampliſſ. D. Servinus. Vale Vir doctiſſime, & me tui amantem redama. Datum Paris. 23. Sept. CIↃ IↃC.

A Monſieur
Monſr. Goldaſt.

XXXII.

S. Ecce orationem tuam, quam nondum ad nundinas mittere potuimus. Plura accepiſſes exemplaria, ſi auſi fuiſſemus iis D. Syndici comites gravare. Utinam commoditas eſſet ſpargendi & diſtrahendi exemplaria per aliquot Bibliopolas apud vos, qua de re tuum conſilium expectamus. D. Raphaël Eglinus & ego dedimus operam ut quam emendatiſſime ederetur: in prima pagella diſertè ſcripſiſti deſcribens orationem, niſi de re praviſſima? quod mendum non obſervamus niſi ſerò, ſed in omnibus exemplaribus reſtituimus, ut vides per hominem induſtrium. Sunt mille exemplaria: hìc jacent: quære Bibliopolas, excita & mone ut emant, precium eſt parvum. Præterea ſi quid habes cudendum aliud, ſi noſtra opera & noſtris typis tibi gratificari poterimus, id faciemus ſedulò. Nova nulla habemus: præter id quod Piſtorius tergiverſatur jam non miſſu-

ſurus refutationem noſtræ confeſſionis, niſi prius oralem diſputationē cum ipſo in urbe Tigurina habendam condicamus. Optimè Vale. Deus te ad ſtudia ſingularia natum quàm diutiſſimè incolumem conſervet, & tuis inſtitutis præclaris benedicat: Tiguri 1600. M. Novembr.

T. D. & H.

obſervantiſſ.

Joh. Jacobus Friſius.

Omnibus rebus ornatiſſimo
Viro D Melıori Guidenaſto
Domino & amico colendo
Genevæ.

XXXIII.

SIndicare tibi debeo V. ornatiſſime Kungium Bibliopolam attuliſſe Francofurtum Orationem Lipſii de concordia : advolâſſe Typographum Plantinianum, negâſſe eſſe genuinam Lipſii Orationem : coëmiſſe omnia quæ habuit exemplaria (habuit autem pauca non ultra 100) & pro maculaturis uſurpaſſe : addidiſſe etiam minas, fore ut literæ mittantur ad Magiſtratum Tigurinum, & his intendatur authori tàm editionis quàm impreſſionis. Neceſſe igitur eſt, ut tu probes orationem eſſe Lipſii. Id quoniam poteris præſtare, ut ad nos perſcribas rogo.

Tuus

Joh. Jacob. Friſius.

XXXIV.

SBinæ litteræ tuæ, eruditiſſime Goldaſte, amice ſingularis, redditæ mihi ſunt non ita pridem : ex quibus maxima cum voluptate intellexi rerum ſtatum tuarum : inprimis ſtudiorum ſucceſſum feliciſſimum, quem deprehendi ex epiſtola, ad typographum tuum ſcripta: Igitur

Marte

Marte animo, inſta operi: reſtant ſua præmia curis.
Sic qui te celebrent undique ſemper erunt.

Rittershuſii epiſtolam non impreſſit Friſius. Itaque eam remittet proximâ occaſione. Vah quàm fortis papiſta factus Schoppius! ut ex ejus impreſſo libello, quem totum pervolvi, cognoſcere potui. Mundus eum fefellit, & ſplendor humanus. Lipſius Francofurti per Nobilem quendam minatus eſt actionem inſtituere contra typographum Tigurinum propter ejus impreſſam orationem, cujus tu exemplar nobis ſuggeſſeras: quod fictitium & ementitum dicit, ac Paſquillum nominat. Rogo igitur te, in omnem eventum fuſius ad me ſcribas, quomodo probandum ſit, ejus, non alterius eſſe: ex ſtilo quidem id ſplendidiſſimè refulget ſed adde tu alia. Nam tandem omnis in me cuderetur faba: qui cenſuræ noſtræ deſtinatus ſum. Exemplar Grammaticæ meæ Hebrææ, quod dudum ad te miſeram, ſine dubio accepiſti. Tuum Carmen, quia à fronte poni non potuit, in fine adiectum eſt, quod, etſi non omnes, quia non intelligunt, adprobant, mihi tamen chariſſimum & honeſtiſſimum eſt. Turpilium aliquoties tuo de negotio ſum allocutus, qui bona verba dedit. (juniorem intelligo) ac promiſit, ſe ipſum ad te ſcripturum. Diffiſus verò ei, locutus ſum cum patre, qui ſpondet ſatisfactionem, & moram excuſat, quod aliter à filio perſuaſus fuerit, tanquam ſi partem maximam tibi ſatisfactum ſit, cùm videlicet ille ſumptus extraordinarios excuſare non poſſet.

Cætera rectè ſe habent. Mortuus Cardinalis Andreas eſt, noſter vicinus, cui Fuggerum ſucceſſurum, vel Blarerum præpoſitum veſtrum exiſtimant. Vale, amice ſumme, & ignoſce diuturno meo ſilentio, quo uſus ſum, neſcio quibus negotiolis ſubinde impeditus. Saluto officioſè Dn. Laurentium, Dn.

um, & clariſſ. ampliſſimumque Virum, Dn. Lectium. Tiguri. KL. Decembr. 1610.

Tuus antiqua fide

Caſpar Waſerus.

Eruditiſſimo Viro
Dn. Melchiori Goldaſto.
Philologo clariſſimo &
præſtantiſſimo, amico
meo ſummo,

Genevæ.
Apud Dn. Lectium.
Le port eſt payé.

XXXV.

S. Vide quanta ſit invidia hominum, qui quæ ipſi non præſtant alios, ne idem poſſint, auxilio ſuo deſtituentes impediunt. Noſter typographus Wolfius, elegantiſſimæ illius Lipſii orationis ne unicum quidem exemplum ſecum Francofurtum avehere voluit. Jacent ergo hic omnia, præter ea quæ dedimus viliſſimo precio, Bibliopolæ cuidam Kingio homini verſutiſſimo, aliorum operas deſpicienti, ut gratis in ſuas manus incidant: Subſtitit ergo noſtra Typographia quaſi attonita, donec meliorem occaſionem diſtrahendi exemplaria fuerit nacta. Et D. Waſerus Cenſor epiſtolam illam mihi non reddidit cum literis, tum demum ubi efflagitavi: ſimul pro cenſoria virgula edicens, non eſſe operæ pretium ut ſic edatur. Eam tamen deſcribendam curavi, ut in meliores occaſiones officii noſtri in hac parte reſervem. Buchanani carmina qui omnia colligeret, faceret opus republ. literariâ dignum: ſed forte non uno volumine comprehendi poſſent: vel ipſius Pſalterium per ſe eſſet: per ſe etiam quædam Tragœdiæ: & Franciſcanus, &c. Quæ habes collige tanquam arenulas aureas, olim & lectori profuturas & tibi nomen parituras. Quod ſi meæ voluntati reſponderent facultates & occaſiones rerum agendarum, profecto tibi aliisque tui ſimilibus nihil

nihil poſſet contingere optatius. Sed quod differtur non aufertur. Hæc ad poſteriorem epiſtolæ tuæ partem: accedo ad ejus principium. In quo miraris nihil me reſpondiſſe: noli amplius mirari: patere ut ego mirer, qui nihil accepi, alioqui pro officio communicationis Tibi ut par erat, quod nunc facio, magnas egiſſem gratias. Cæterum quid nobis de bello in vicinia veſtra renunciatis, cur non extimeſcitis aut ſperatis aliquid vel mali vel boni propter vicinum vel malum vel bonum. D. Beza magnopere commendat regis humanitatem, quæ ſi non ſunt ſimulata, ſunt de quibus gaudeamus. Mi Goldaſte inquire apud vos de continuatione hiſtoriæ Gallicæ: habeo IV. Tomos Gallicè editos in 8. hiſtoriæ Ligiſticæ; ſi acceſſit V. & VI. Tomus, eos mihi qualicunque pretio ad nos perferendos curato. Germanicè etiam edita eſt hiſtoria Galliæ uſque ad annum XCVI incluſivè in majori 8. Mompelgarti, ſi illa etiam narratio continuata eſt, pergratum feceris me quicquid fuerit certiorem faciendo. Sed nolo te amplius meis petitionibus obtundere: Tu in inſtituta erga me humanitate & benevolentia conſtanter perge, meque mutuum facturum eſſe non dubita. Vale, Salve ex me officioſiſſimè. Tiguri 14. Decembris anno 1600.

Qui te amat & colit

Joh. Jacobus Friſius.
Tigurinus.

D. Meliori Hamenvelsoni Goldaſto, Antiquario perito, Domino & amico colendo.

Genevæ.

donec cum filio ſit locutus, qui urbe abfuerat aliquandiu. Nihil ego intermiſi, quod oportuit. Hoc igitur cum non procedat hac viâ, ſuaderem litteras ad eum ipſum dediſſes, quibus amicè debitum illi exponeres. Reddam ego litteras & coram iterum faciam officium.

Cætera quod attinet, omnia priſtino ſunt loco. Tu quid agas, quoquo in ſtatu ſint opuſcula illa tua, vel tuâ opera edenda, quorum in epiſtola expreſſa meminiſti, cuperem ſcire. Ego interea, negotio publico, quod nobis eſt cum Piſtorio illo, impeditus meis privatis ſtudiis operari non potui: ad quæ dabitur redeundi facultas, ut ſpero, brevi. De Schoppii libello quibus agit de ſua ad Pontificios, migratione, ſcripſi, ni fallor, nuper ad te. Memini, optime Goldaſte, te litteris tuis ad me ſcriptis mentionem feciſſe Domini Jani Gruteri, qui imagines nummorum Orientalium expreſſas habeat. Quales imagines intelligat, ſcire deſiderarem: an Hebræorum veterum duntaxat, de quibus ſolis ego agere decreveram, an Arabum & reliquorum omnium. Hoc, ſi placet, aliquando per otium tuum mihi ſignificabis. De oratione Lipſiana hîc apud nos impreſſa quæ ſcripſi ad te, ad ea nihil dum reſpondiſti. Scripſeram autem, Lipſium negare eam ſuam eſſe, ac proinde typographum in jus vocare apud Magiſtratum noſtrum conſtituiſſe. Quid igitur ſit, ad me velim perſcribas. Nos quidem ex filo orationis conjicimus, omnino eius eſſe. Certiora ex te cognoſcemus. Et tantum nunc ad te volui.

Opt. vale, præſtantiſſime amice, & habe tibi commendatam incluſam Schedam. Salutant & peramanter Dn. Stuckius, te affinis meus Simlerus. Tiguri. 21. Martii anno 1601.

Salu-

Salutem peroſficioſam adſcribo
Dn. Laurentio, cui nuper ſcripſi.

Tuus antiquâ fide
Caſp. Waſerus.

Præſtantiſſ. Viro:
Dn. Melhiori Goldaſto,
juris & Philologiæ Candidato
Dn. & amico ſingulari.

Genevæ.
apud Dn. Lectium.

XXXVIII.

S. Gratiam tibi, Domine & Affinis chariſſime habeo maximam, quod de filiolis meis tantopere laboraſti. D. Cellæ ſcripſi, qui mihi perhumaniter reſcripſit, bene inter nos convenit, ipſius filiolus mihi, meus ipſi curæ erit atque cordi. Lucubrationes tuas ſcripſiſti te mihi mittere, ſed tabellarius nihil dixit ſe à Te accepiſſe, eas igitur avidè expecto: quas quod ita extenuas & elevas tuæ tribuo modeſtiæ. D. du Pont Notario Genevenſi ut ſpero perſuadebitis tandem ut alterum meum filiolum in contubernium ſuum recipiat, & ſuum viciſſim ad me mittat, meæque committat fidei. Rogo te ſummopere, ut quemadmodum cœpiſti, filiolos meos cura, humanitate, benevolentiaque tua proſequi pergas. Vale & ſalve plurimum.

Arboris irriguæ Muſarum fontibus ecce,
Aureus ut ramus tu mihi ſemper eris.

Hæc, mi Chryſoclade, invitâ, ut ſic loquar, craſſâque Minervâ boni conſule. Tigur. 1601. 18. Maji, cujus menſis 21. die (qui dies fuit ſolis) circa meridiem, anno 1542. natus feliciter, Dei benignitate, & in lucem hanc editus ſum. Idem det ut tandem

dem æternâ, cœleſti, Sereniſſimâ & beatiſſimâ iſtâ luce fruamur.

Tuus animo ſtudioque totus

Joh. Guil. Stuckius.

XXXIX.

S. D.

Mirabiles ad me literas dediſti XX Kal. April. quas ego 22. aprilis accepi. Nihil enim ferè niſi expoſtulationes meras continent, quod ad quinas tuas ſuper meis rebus abs te ſcriptas nihil reſponderim. Non ita decuiſſe eum, quem tu plus oculis tuis amaris, ut odium ſui ſibi conciliare ſtuderet. Dolere te quoque ſilentium Collegarum meorum. Ego quid Clariſſimi Viri Dnn. Collegæ mei acceperint abs te, quod reſponſione ſuâ non debuerint dedignari, non habeo dicere. Ipſi pro ſe reſpondeant. De me hoc ſanctè dico; poſt illas ex patria tua miſſas, quibus aliquot ænea numiſmata incluſeras, nihil abs te quicquam mihi eſſe redditum: ut quid ſuper meis rebus ad me ſcripſeris, quamve tu mihi narres libertatem tuam in meis Symmachianis, juxta cum ignariſſimis ſciam. Nec illud igitur divinare potui cujuſmodi ſit, cuius curam ſcribis in te Clariſſ. Lectium reieciſſe. Quod ſi ſic meas à nundinis iſtis nuperis rectè accepit, facile inde jam intellexerit, nihil me neque ſuarum neque tuarum accepiſſe. Videritis igitur, quibus iſta ad me perferenda commiſeritis. Malè certè curarunt. Ac decebat te prius ex me quærere, num priora accepiſſem, quam ultro ex poſtulatum ires. Sed facile tibi ignoſco, cum ſciam & quantopere me amare ſolitus ſis, & quam ſit amor Zelotypus. Cave igitur deinceps hunc errorem erres, ut putes, me pro amore odium mei tuum mihi conciliare ſtuduiſſe. An putas, memoriâ mihi excidiſſe illud vetus εἰκῆ φιλῶ εἰκῆ μὴ μισῶ: quod apud Chryſoſtomum mihi lectum proverbium, velim ſcire, an ab aliis quoque relatum memineris. Elegans enim videtur, quamvis

 à ſan-

à ſancto illo Oratore reprehendatur. Bene vale, & clariſſimo hoſpiti tuo D. Lectio, plurimam ex me officioſiſſimamque ſalutem dicito. Altorphii 26. Aprilis Anno MDCI.

T. A.

Cunradus Rittershuſius, D.

XL.

S. P. D.

QUod tardius literis tuis ſuaviſſimis reſcribo, Vir eruditiſſime, non neglectui earum imputabis (quomodo enim non, redamarem illum amorem, non æſtimarem illum candorem) ſed occupationibus variis, quæ me non modo erga amicos, ſed rebus adeo propriis faciunt negligentiorem. At nunc nuper D. Schobingerus vetus amicus coràm me compellans ſtimulos tardo addidit. Multus mihi cum eo de literis ſermo, & ſummo earum cultore Goldaſto. Inter alia de Valeriano Cimelenſi Epiſcopo, qui tibi in manibus. Eſſe eam Galliæ urbem Ortelius in theſauro indicat, in qua memoriam Pontii Martyris coli, martyrologium uſuardi fidem facit. Pridie Idus Maji in Galliis ait civitate Cimella natali S. Pontii martyris, cujus prædicatione & induſtria poſtquam converſi ſunt duo Philippi Impp. ad fidem Chriſti, ipſe quoque ſub Valeriano & Gallieno Principibus martyrii palmam adeptus eſt. Et quis ſcit, an non Valerianus ille fuerit, ad quem adhuc paganum Euchorius Lugdunenſis Epiſcopus cognationis ductu ſcripſit Paræneticum illum non inelegantem, dignumque ſane in quo Criticorum induſtria deſudet, non minus aut Arnobio aut Minutio: quem (etſi haberi tibi antea non dubito) his addere viſum, ſi fortè varietas editionis, iſta enim Veneta addita Hierocli Pythagorico, aliquid juvare poſſit. Nec abs re videatur id quicquid eſt opuſculi Valeriano ipſi in editione tua accedere. Cæteris quoque opuſculis & antiquis & tuis, quæ epiſtola ad Roverianum minatur propitiam Perſicam opto. Doſitheum Magiſtrum, de quo ſæpe antehac apud Sangallenſes inquiſiveram ſalvum

eſſe

eſſe gaudeo; ſunt illi in fine codicis additæ ſententiæ quædam Hadriani Imp. quarum non nullas ex illo ipſo codice Cuiacius in obſervationibus repræſentavit, ſi quæ ibi præterea, quas neque H. Stephanus poſt Gloſſaria iſta habeat, & exſcriptas mihi communicare velis, gratiſſimum ſuper omnia officium feceris. Q. Julii Hilariani Chronica qualia ſint ſcire percupio. Habeo in meis MSS. Melliti cuiuſdam veteris ſcriptoris Expoſitionem Temporum: quæ ſi cum illo conjungenda videatur, libenter tibi mittam. Provinciarum notatio, quam miſiſti, pergrata fuit. Ad Symmachum nihil habeo, quod ſit operæ pretium. Ad Problemata à te propoſita, cum erit plus otii, reſpondere conabor. Hiſce modo vale, Vir amice, & nos amare perge. Salutem quæſo meis verbis prolixè dicito Cl. V. Dn. Jac. Lectio, quem virum meritò & amo & veneror. Heidelbergæ VI. id. Maii Anno 1601.

Tui amantiſſ.
Marquardus Freherus Keſſingides,
Conſ. Palat.

Ornatiſſimo & Eruditiſſimo Viro, Dn. Meliori Hameſelto Goldaſto, Domino & Amico ſingulari
Genevæ.
apud Cl. V. Jacobum Lectium J C. & Syndicum Reip.

XLI.

Cùm Lugduni ad tuas reſpondiſſem, Vir ornatiſſime, amicorum optime, hactenus nulla ſeſe obtulit occaſio ſcribendi, aliâs tam diu non ſiluiſſem, nihil enim gratius mihi accidere poſſet, quam ſi quotidie ſe occaſiones & materiæ ſcribendi offerrent, ita enim amicitiæ noſtræ cujus fructum, quem ex colloquiis jucundiſſimaque noſtra converſatione hauſimus, diſtantia locorum nobis adimit, aliqua ſaltem ex parte, me ſatisfacere poſſe putarem. Hanc ob rationem, caſu hîc Dominum Malliardum mercatorem Genevenſem, quem noſti, offendens, ſine meis dimittere nolui. Quamvis autem nihil ſatis dignum quod ſcribe-

berem haberem, tamen aliquid moleſtiæ potius tibi imponere volui, quam omnino tacere; Rogo itaque ut has, tuis adiunctas, primâ occaſione Baſileam mittere digneris, ſi per valetudinem licuerit, ſin minus, Dn. Malliardo reddendas cures, ille namque hac in re operam mihi promiſit. De valetudine tua, libenter aliquid audirem, ſed ſpero te melius habere; quam proximè. Quomodo tibi convenerit Cum Lectio, ſcire aveo, & quid ibi agatur, intelligis quid velim! Dolium librorum meorum ſi adhuc penes te habes, non eſt quod his illam commoditatem expectes, has tamen Præmittas. Si quid litterarum ad me daturus es, hanc præ ſe ferant inſcriptionem. Aux Fauburge de S. Germain, à la ruë de boucherie, à l'image S. Jacquee. Nobiles mei, Nobiliſſimum Dn. Kleiſtium, unà tecum plurimum ſalutant, cui & ego officioſiſſimam aſſcribo. Salutandos ſaluta vale. Et mei memineris. Raptim Pariſiis, ipſo die Kalend. Jul. anno 1601.

Tuus ad aras uſque
Joh. Jacobus Burckhart.

Doctiſſimo, præſtantiſſimoque Viro,
D. Meliori Hamenvelto Guldaſto,
Juris utriuſque Candidato ſolertiſſimo,
amico obſervando.
Genevam.

X L I I.

Ornatiſſimo Doctiſſimoque Viro.
D. Meliori Hamenvelto Goldaſto,
amicorum intimo, Salutem plurimam nuntio.

NIhil moleſtius mihi accidere potuiſſet, quam quòd Lugdunum veniens omnes difficultates jam ſuperatas eſſe exiſtimans, de gravi tuo caſu, ex litteris tuis intellexi, quantum enim animus meus inde dolorem conceperit, dici vix poteſt. Sed quid tuis cruciatibus, plures moleſtias addo? Condolere poſſum, præterea nihil; niſi quod Deum orem, non ſolum corporis dolores mitigare, ſed in primis animi morbos omnium ſanare velit. Quod D. Lectium attinet non puto,

puto, juſtam illum conquerendi occaſionem habere. nemo te melius teſtimonium nobis perhibere poteſt; Flodroffii poſſunt liberalitatem ſuam bene exercere, nec ſolum decem ſed vel viginti, vel triginta aureos donare, ſingulis enim menſibus quinque illis accedunt, qui nobis diſceſſerunt. Hoc ſi D. Lectius perpenderet, facile perſpiceret, nullam nos ipſi injuriam feciſſe. De dolio meo non eſt quod ſollicitus ſis, modo non aperiatur in cubiculo, ſi vel poſt medium annum Baſileam pervenerit, ſat cito erit. In rationibus veſtris, quomodo conveneritis, ſcire aveo. Sed quid non Domini iſti, qui tam diu in ædibus vixêre, prius ſolvunt? Credo, quia unâ cum uſuris, in cubiculis exſtruendis, ſolvant. Legem Aquiliam perſtringere nunc non licet, tu ipſemet melius ſcis. Gleiſtium Nobiliſſimum, præſtantiſſimum Virum, D. meum, officioſè ſalutabis, haſque rudi minerva craſſaque, ocyus 23. Maii Lugduni, exaratas æqui bonique conſules, Vale. Zieglerum & reliquos ſalutandos, tibi commendo. Dat. ut ſupr. anno. 1601.

Tui ſtudioſiſſimus,

Joh. Jacobus Burckhart.

Iter qua ratione ſucceſſerit, ex eo qui has tibi traditurus eſt, intelligere poteris. Iterum Vale.

Clariſſimo, omnique virtutum genere ornatiſſimo Viro, D. Melchiori Hamenvelto Goldaſto, juris utriuſque Cand. amico amiciſſimo.

Genevam.

XLIII.

Fuit nuper mecum Leuchsnerus junior, tuaſque, Vir amiciſſime & doctiſſime literas mihi perbreves reddidit; Ex quibus intellexi, te meas ultimas nondum tunc accepiſſe, quæ fortaſſe interim tibi ſunt redditæ. Egò verò Tuas nondum accepi, quibus ais te mihi ſignificaſſe, quid conſtitutum habeas de Symmachianis noſtris. Quare videbis, cui eas tradideris, & inquires, quo pervenerint. In meis prioribus à te petieram, ut libellum meum

ſic velis relinquere, ut à me ſcriptus eſt, quod te ita facturum confido. Leuchſnerus quidem ſe apud te mea vidiſſe ajebat: Præterea nihil mihi quicquam referre poterat, quid de eo facturus eſſes. Quod de D. Stuckio, V. Cl. ſcribis, id cujusmodi ſit, non intelligo, nec ab eo jam à multo tempore quicquam, habeo. Hæc ideo Tantum ſcribo, ut tuas eliciam pleniores, & ut ſtomachari adverſus me ſine cauſa deſinas. D. Scherbio tuas tradidi, qui pro ſe reſpondebit. D. Virdungus jam ante annum ferè hinc in Bohemiam abiit, & fortaſſe brevi erit Baſileæ. Cæteri, quos ſalutaſti, te reſalutant, bene vale. V. Julii M DC I.

T. A.

Conradus Rittershuſius.

Ulpianus D. Lectii V. Clariſſ. fuit mihi donum multò omnium gratiſſimum: cui aliàs referam gratiam, nunc ſalutem amoris & officii plenam adſcribo. Iterum vale.

XLIV.

S. P. Ex poſtremis tuis literis, Vir amiciſſime, datis VII. Id. Mart. (quas nuper admodum accepi) vidi te ultimas meas prolixas, variaque continentes, de quibus ſeriò ſolicitus eram accepiſſe. Einhardum tuum (qui quidem Patria & origine noſter eſt) modis omnibus adjutum ibo. Habes ecce quæ in illo & ego obſervata & comperta habeo. Quo autem deſiderio exſpectem non Einhardum tantum illum à te reſtitutum & ornatum, ſed cætera quoque, de quibus catalogus nundinalis ſpem fecit, Ferii Hilperici, Idacii, Fredegarii, verbis exprimi non poteſt. Tu quæſo, & ſi non abſoluta ſunt, ſaltem quicquid excuſum eſt, quantum potes ad me mittere propera. Forte erit quod monere, ſuggerere poſſim. Illud te latere non arbitror eſſe à Caniſio quodam Ingolſtadii excuſos duos veterum ſcripto-

ſcriptorum German. Tomos in 4to In quorum altero qui nuper prodiit, ſimilis ferè appareat hiſtoria miſcella hoc titulo: Collectio hiſtorica ex Anonymo, Idacio, Thoromacho, aliis, collectore Gallo quodam ſub Carolo M. Quam tibi utique inſpiciendam & conferendam ne vel actum agas, vel adjumento illo inſciens careas, cenſeo. Ennodii quoque curam te deponere nolim. Nulla in re majus operæ pretium facere poteris; & diſpiciam tibi de Patrono. Reſponde quæſo per otium & primam occaſionem ad ſingula præcedentium literarum & vale. Saluta D. D. Lectium & Gulartium. Turonenſis fragmentum tibi remittam, habeo integrum collatum cum tribus MSS. quod edam Deo dante in meo Tomo Francicorum. Dat. Heidelbergæ 20. Julii Anno 1601.

Tui amantiſſimus

Freherus.

Ornatiſſimo & eruditiſſimo
Viro D. Melchiori Goldaſto
Hamiſeltoni, amico ſingulari

Genevæ
in ædibus Cl. V. D. Jacobi Lectii.

XLV.

S. Ternas, brevi intervallo, à te accepi, & quæ iis adjuncta erant, Doſithei & Valeriani valde mihi grata, longe vero gratiora ſi integra mitteres: rithmos germanicos ex monumento veteri, concinnè inſertos, cum voluptate legi; verum enim vero quod apud Baronem & exſtare illud notaſti, apud me vidiſſe te ſcribtum mavelim, idque non ſine ratione aliquâ, eſt enim liber ille quem Dux Bipontinus, Freherus & alii nec quiquam ambierunt, in mea nunc manu, & hujus quidem generis plura habet, Hiſtorica quoque multa & politica, quæ notis tuis non abſque lepore & venuſtate magna paſſim aſpergi poſſint: Ennodium Ticineum cujus quædam à P. Crinito etiam Laudantur inter orthodoxographa

anno

anno MDLXIX. ab Hainrico Petri excuſum proximis nundinis Francofortenſibus, per bibliopolas Veſtros, Baſileâ facile tibi parabis. De Arculfo an conſilium tuum probem, haud ſat ſcio: vide ſis, ne dum abbatem demereri hâc ſtudemus, invidiam nobis & ſuſpicionem monachorum conciliemus, ſi librum ſibi ſurreptum, Genevæ in lucem editum reſciſcant, unde nobis iniquiores facti, a bibliothecæ acceſſu, poſthac excluſos habeant Decanum profecto haut impetrabilem ut ante hac, ſed difficiliorem multo compertus ſum nuper, & vix magnis precibus Codicem quem tibi mitto, extorquere potui: auctor potius tibi ſum, ut illuſtri Joanni a Schellenberg in Huffingen, Srouſten & Randegk &c. Cæſ. Maj. a Conſiliis, Viro bonarum litterarum amantiſſimo, & in litteratos munificentiſſimo dedices, qui, recte ſi ingenium novi & impenſe ejus peregrinationis lectione delectabitur, & næ tu magnam apud illum inibis gratiam quæ tibi tuisque ſtudiis, haud exiguum olim attulerit emolumentum, Abbati vero, ſi certum eſt dedicare, a Bernardi Primi Laudibus, illius ſecundi gratia captanda eſt: Vixit primus ſub Carolo Craſſo. Anno DCCCXXCIII, quo tempore artes liberales vel maxume in hoc monaſterio floruerunt, bibliothecam a Grimaldo & Hartmuto prædeceſſoribus primum inſtructam, variis & optimis libris adauxit: Coætaneos & æquales habuit monachorum celeberrimos, Noperum, Tutilonem, Iſonem, Eghartum, Keroltum, Hartmannum &c. Sive autem huic, ſive illi conſecrare animus ſit, de mea bibliotheca deſumptum, & Lugduni impreſſum proſcribes, hoc modo, Abbatis & monachorum ſuſpicionem evitabis:

Titulus Abbatis.

Reverendiſſimo Principi, Domino Bernardo hujus nominis II. Monaſterii S. Galli, Abbati Domino &c.

Schel-

Schellenbergius vero, me Suaſore illi dicatum eſſe intelliget. Codicem illum pervetuſtum, farraginem ſive Centonem variorum qui uſui tibi in Poëtis Valeriano ſubjungendis eſſe poterit, Mercatori Genevenſi cui nomen Metriſat, perferendum dedi, inter alia Chronologiam quæ aves continet: Adelhelmi Carmina adjunxi: Ferrandum quoque diaconum: & Eucherii ad Valerianum epiſtolam: Sed heus, quantum poteſt primum cum reliquis Monaſterii manuſcriptis, remitti volo, monachi urgere non deſinunt, nec ſpem de Salomonis Lexico ullam facio, antequam illos reſtitueris: Librorum, ſi quos alios extra Tuberonem, Nulheſium, Kerardum, Modoinum, vel ex mea vel Valeriani Bibliotheca, me inſcio, ſumſiſti, Syllabum expeto &c. Cæterum, Mercator ille Genevenſis harum gerulus, Syngrapham duodecim coronatorum, quos à me heîc ſolvere promiſiſti, exhibuit ac ſolutionem petiit, cui tuo nomine, (etſi de fide tantum proderem interponenda, non præſenti pecunia ſolvenda me rogaris) ſatisfeci, tuamque fidem liberavi, ſummâ illa cum cætera quam pro te expoſui collata, quæ erit ſexaginta duorum quaſi florenorum, nolui enim hac quoque in parte tibi deeſſe, nec deero unquam ni deſit facultas: Vale raptim Sanct-Gallo V. Kal. Auguſti Anno MDCI.

Tuus

Barth. Schobinger J. C.

Ornatiſſimo juveni, Melchiori [illegible]enveltoni Goldaſto, Philologo A[illegible] ſingulari.

Genevæ.

Sammt einem Packet bey Herrn Ami Metriſat eingeſchlagen.

XLVI.

S. P.

Video te literas meas excuſo jam Valeriano accepiſſe, ſuaviſſime Goldaſte. Ita enim te vocare placet, qui me literis tuis ita cepiſti, quas domi reperi. Ad eas breviter reſpondebo, non alio Ordine, quam earum capita ſuggerunt. Inprimis de Valeriano gratias magnas habeo, ſtudiumque tuum in reſtituendis bonis antiquisque authoribus mirificè probo, idemque ſi qua ratione poſſim incitare coner, adiuvare ſatagam. Ut idem Euchorio tribuas quod Valeriano, iterum hortor, atque etiam publico nomine rogo. De Ferrando ne properes: nam cum MS. collationem cœpi facere, cuius fructum brevi σὺν Θεῷ videbis, ſed & auctorem ſimilis argumenti nondum viſum nactus ſum, quem exſcribam, tum excudendum vobis mittam; hoc titulo: Liber SEDULII de Rectoribus Chriſtianis, & convenientibus regulis, quibus eſt Reſpubl. ritè gubernanda. Armenii & Honorii libellum, quem ſcribis fando hactenus non audivi, nec vidi. In Eucherium coniecturæ tuæ mirificè placent. Sed ubi ad editionem ventum erit, quæſo ipſas tuas notas integras prius videam, quàm excudantur, ſi fortè quid occurrat monitu dignum. Quam placuerunt Verſus illi Teutonici veteres, quos ex MS. libro cantillenarum Aulicarum vel Tornneariarum, ſub Henrico VII. Imperat. (id liquidò mihi conſtat indicio Marchionis Ottonis **von Ludenburg mit dem** pſyle (qui ſextus numero eſt) de quo vide ſis Bucholzeri indicem Chronologic. (ſub anno 1308.) conſcriptarum (quem apud Illuſtrem Hohe-Saxium & ipſe vidi, & exſcripta nomina canentium habeo, cum duobus princis cantilenis Imp. Henrici & Conradi Regis) excerpſiſti, & ſervaſti. Audio enim, fide Schobingeri: librum incendio periiſſe, quod ſeriò animo excrucior. Tu quæ ſpes ſit de eo videndo, quæſo ſignifica. Vel ſi quas cantiones integras exſcriptas habes, communica: gratiſſimum ſuper omnia officium facturus. Quid quod tractatum de Chiliaſtis polliceris? ede quæſo, quic-

ſo, quicquid eſt, & matura. In manibus mihi commentatiuncula de Pſeudo-Synodo Florentina ſub Eugenio PP. & Johanne Palæologo Imp. quorum ſuper illa re cuſa numiſmata inſerentur. Accedent libelli Apologetici duo Græci, Marci Eugenici Metropolitæ Epheſii, qui ſolus è Græcis Romaniſtis reſtitit & ſubſcribere detrectavit. Melliti Chronicon breve illud, ſed antiquum, & in optimæ notæ codice, curabo exſcribi, & ad te mittam: ea lege, ut cum illo tuo ſive Hilariano, ſive Idacio edatur. Sed quod eſt illud Gregorii Turonenſis Chronicon? an epitome hiſtoriarum Francicarum? quam è diverſis MSS. mea manu dudum exſcripſi, & vix tandem complevi, editurus cum Tomo integro *rerum Francicarum*. Quæſo ſignifica, & ut ordiatur, ut finiat ille tuus liber, me certiorem redde. Chriſtianorum Poëtarum pœmata jam dudum colligit, & cum notis edere minatus Fr. ille Juretus, Canonicus Pictavienſis (niſi fallor) quod ex Joh. Opſopæo p. m. (qui veterum Poëtarum illa Catalecta colligit, quibus notæ Pithœi acceſſerunt Pariſ. in 16.) audire certo memini, atque etiam ex Bongarſio legato Regio. Tu ſi quæ habes, niſi juſtum volumen conficiant, illi potius communices ſuadeo. Occaſionem ad illum curandi, ſi aliam non habes, ad me mitte, ut per Bongarſium illum curetur. Atque Bongarſius ipſe jam fortè Soloduri aut alibi apud Helvetios erit, heri tranſivit hac, & unà apud Godofredum, qui Argentoratum rediturit, cænavimus. Theodati quædam jam ſunt edita Pariſiis in 4. Beaſti me nuntio de Ennodii Ticinenſis Epiſcopi epiſtolis, quarum MS. exemplar jam dum nequicquam inquiro. Noris excuſas, in opere Orthodoxographorum Baſileæ in fol. apud Henricpetri, cum præfatione Grynæi, ſed ita depravatæ, ut vix linea ulla ſibi conſtet. Equidem ita ſtatuo, auctorem eſſe digniſſimum luce, digniſſimum cura & ſtudio tuo: nec operam ulla in re te melius collocare poſſe: quæ & tibi in Symmacho & Caſſiodoro bene verſato, quibus ille propemodum geminus eſt, eo erit facilior. Quare, ut in hanc curam incumbas ſeriò te hortor, & hoc addo: Patronum me tibi circumſpecturum cui dedices, à quo optimi laboris dignum præmium feras.

Quæ ad Einhartum habes, quæſo mittere mihi properes. Nam & ipſe illum cum diverſis MSS. contuli, & integritati ſuæ reſtituiſſe videor. Atque etiam edere meditor inter Germanos hiſtoriæ ſcriptores omnium primum quique prope noſtram hanc urbem vixit & ſcripſit in Seligenſtad & Sylva Ottonica. Sed charta deficit, atque etiam dies, nam ſub crepuſculo veſpertino iſta ſcripta vel ipſa loquuntur. Vale ergo & ſalve vir animo meo acceptiſſime, & magnos illos Viros D. Bezam, Fayum, Goulartium, Lectium, cum affectu à me ſaluta. Heidelbergæ 26. Sept. Anno 1601.

Tui amantiſſimus
Marquardus Freherus.

Ornatiſſimo & doctiſſimo Viro
D. Melchori Hameſeltoni Goldaſto,
amico ſuo colendo.
Geneve.

XLVII.

APAGE cum tuâ iſtâ repulsâ, mi Goldaſte. Fruſtrane tu ædes meas pulſaveris, haud quaquam intromiſſus? A me non exſpectes, quod Ulrichus olim Huttenus, ab Eraſmo Roterodamo, cum illum Baſileæ ſalutatum veniret, & non admitteretur. Accepi quidem abs te litterulas ex Alpibus (niſi fallor) Rhaetiis miſſas, nullâ commonſtratâ viâ, quorſum contra meæ transmittendæ eſſent. Longo poſt tempore à Grucero intellexi, te Genevæ eſſe. Idem mihi Bartholomæus Schobinger JC. in aula Principis mei Electoris Palatini, ſuperioribus menſibus indicavit. Teſtem hujuſce rei ipſemet te adducis, poſtremâ, tuâ epiſtolâ; quæ Cimelenſem illum Valerianum huc direxit: de quo tibi gratiam habeo; Lucubratiunculæ tuæ mihi perplacent; atque adeo ingenii tui Rigor, ætas, acumen, ſatis oſtendunt, te non in poſtremis fore, ſi vita ſuppeditaverit. Rarius jam Poëtari ſoleo, utpote annum ætatis LXIII. climactericum ingreſſurus ad XX. diem Decembris & negotiis alioqui diſtineor quotidianis. Alii poſt me cacumina Muſarum conſcendant, quibus Phœbus Apollo faverit.

Vide-

Videro tamen, ut tibi gratificer. An etiam Genevæ & in Allobrogibus terræ motus exſtiterit menſe Septembri, ſcire cupio. Lectio Viro Clariſſ. & Juriſ. præſtantiſſ. ſalutem plurimam adſcribo; ut & nobiliſſimo optimoque Virorum Bezæ, quem pii omnes & orthodoxi planè adorant. Vale datum Heidelbergæ, die VII. Novembr. Vet. Anno. M DCI.

Paulus Meliſſus Franc.

Eruditiſſimo Viro
Melori Hamenveltoni Guldaſto,
in ædibus Lectii Juriſc.
Genevæ.

Reddita eſt die III. Martii Vet. Anno M DCII.

XLVIII.
PAULI MELISSI FRANCI,
COMITIS PAL. ET EQU. AUR.
CIVIS ROMANI
MELOS
AD
MELIOREM HAMENVELTONEM GOLDASTUM.

QUICQUID abſtruſo latet in receſſu
Sæculi GOLDASTE vetuſtioris,
Eruis vulgans, & apertiores
Mittis in auras,
Additis ſolerte notis Minervâ.
Digna nimirum & pretioſa gaza
Sunt libri, quos cura vigil ſagaxque
Cœnobiorum
Præſtitit Sartos hodieque tectos.
FULDA cum primis celebranda Francis,
Deinde LAURISSÆ domus ad beati
Flumina Rheni,

Integri cuſtos veneranda Livi,
Neſcio quo fure ſagace rapti.
Adde CORBEIÆ pluteos, ſacrique
Pulpita GALLI,
Qua tuus SCHOBINGER adire tuto,
Tuque item quiſti, ſtudioſe priſci
Temporis, raraque adeo repertu
(Quorſus eatur)
Pagina, quâ ſe ſtilus HUNIBALDI
Prodidit, Reges veterum recenſens
Resque Francorum; licet ipſe nugaX
Audiat auctor
Pluribus, queis nec tamen ejus unquam
Scripta ſint viſa, aut aliquando lecta.
Momon in tantum cacoëthes urget
Stare cavillis.
Tu viâ cœptâ MELIOR ſecundis
Perge ſis aſtris, nitidique ductum
LECTII prono ſequere æmulatu,
Aureæ Graij
Oris adſertor, Latiæque linguæ,
Excitus Famæ monitis, parantis
Inter æquævos tibi principatum,
Diteque regnum.

XLIX.

S. Silentium tuum, mi Melior, non re ſolum, ſed cogitatione mihi moleſtum, eoque animus in varias trahitur ſuſpicionum partes, quid mutatus es aut offenſus, alterutrum vereor, etſi nec fidei tuæ videatur, nec amoris; Tu profectò præter morem tuum, ne dicam officii rationem feciſti, qui tamdiu me alloquio privaſti; quartus agitur menſis cum tibi per mercatorem illum

tuum Genevenſem, cui XII coronatos, a me ſolvere promiſeras, liberata fide tua, ſuper rebus noſtris ſcribſi, monumentis quibusdam litterariis unâ miſſis, quæ reddita ſint nec ne, ſolicitus ſum valde: ubi vero fides Tua, de Valeriano Doſitheo, Arnulpho & cæteris? quorum editionem tot litteris jactatam, proximis nundinis Francof. nec quicquam exſpectavimus: falſa ſpe non produceres, in ruborem me, qui de illis multa ſæpe apud amicos prædicavi, hac tuâ fruſtratione non dediſſes: culpa me Herclè non cares, ſed dignus acerbiori monitione, amicitiæ noſtræ eam condono hac lege, ut quàm primum eluas meque ſuſpicione & ſolicitudine liberes: De monaſterii libris reſtituendis ſeriò nunc itero, & te monitum volo, ut citra moram longiorem remittas: D. Jod. Mezlero, qui Romam abiit novus ſucceſſit Bibliothecarius, qui repetere illos non deſiſtit, nec habeo, quî me illi, ſine fraudis & mendacii nota, dehinc excuſare queam, quare ſedulò operam dabis ut eis paucam tempeſtatem perferantur, mercatores noſtri, quibus negotium deſuper dedi, curabunt rectè, tibi modò voluntas conſtet remittendi, &c. Auctor tibi proximis valdè fui, Arculſum Schellenbergio inſcriberes, id magnopere nunc jam à te contendo, ſanè quàm magno tuo commodo & honore, ſi feceris, (facturum autem te vel mei causâ nullus dubito) perſpicuum veluti tui erga me amoris τεκμήριον vides: & faxim ego contra, ut ejus nunquam penitere debeat: Vale & ſi me amas, ceſſationis culpam crebrioribus litteris emenda: raptim Sangallo, kalend. Novemb. Anno Chr. MDCI.

T.

Bartholom. Schobinger, J. C.

Ingenuo & magnæ ſpei Juveni Melchiori Goldaſto, Philologo, amico chariſſimo

Genevam

Recommandeur a Illuſtre

Ringeswand.

L. S. Non

L.

S. Non modo præteriti temporis culpam deprecor, amice maxime, ſed etiam præſentis; quorum neutro tuis amantiſſimis reſpondeo. Nolui hactenus, donec cum fænore & evidenti mei in te amoris ſigillo, potero. Interim ne oblivione, tui fieri putes, hæc paucula huic ſtudioſo & egregio Juveni ad te data volui, quibus terribilem totius Helvetiæ & Rhætiæ terræ motum, utinam nobis non fatalem, paucis attigi. Doctiſſimos tuos labores expecto, redditurus meas in Apocalypſin explicationes, quas Typographus adhûc Diſtinet. Interim quid Hordæus? aut quid ſelecta illa Catulliana? An malas in oras abitura? Injice vindicem manum, & aſſere in libertatem. Te poſtulo: nolo illi moleſtiæ ſint; neque diutius ferre poſſum eorum deſiderium, quin repetam. Commoditas excudendi non deerit, & ſi nunc edita forent, adſcribta in noſtræ Scholæ album eſſent. Conſequuti enim ſumus magno Dei beneficio inſignem reformandi copiam, ita ut ex binis Scholis unam fecerimus & novo inſtruxerimus ædificio & præceptoribus idoneis. Ea eſt ſex amplarum Claſſium. Deinde ex altero è binis Scholis Gymnaſio lycæum humanitatis ereximus, in quo quaterni Profeſſores, Linguarum Græcæ & Latinæ Dn. Ernius, Logices & Rhetorices elementorum & principiorum Mathematicorum Doct. Simlerus, Hebrææ denique linguæ & Catheche ſeos ac novi Teſtamenti lectores Dn. Vuaſerus & Dn. Beumlerus. Atque hoc eſt intermodium Gymnaſium inter ſex Claſſium Scholam & publicum auditorium. Inde conſequuntur in auditorio monaſterii Lectio duorum Theologorum ſacra, Oratoria, Logica, Phyſica, Græca, Hiſtorica. Modus conſtitutus, ut binæ horæ ante meridiem continuentur, binæ a meridie uſque ad ſecundam, denique à tertia ad quartam una, in omnibus tribus lycæis. Poſt Deum Dn. Ronnio debemus beneficium, qui munia deſcripta ſingulis & totius

totius Scholæ conformationem nomine Reipub. edet in apertum. Magnæ mutationes factæ apud nos. In locum de demortui præpoſiti noſtri Dn. Halleri Senioris, electus Doctor Lavaterus Profeſſor Phyſicus. Mortui præterea Friſius Ludimagiſter, Doctor Vuolphius Senior, Dn. Hulricus Zuinglius; quorum omnium ſufficiemus munera. Tu verò ne deſpera te poſſe aliquando noſtrum fieri, modò velis, Deo opt. max. benedicente noſtris his inſtitutis. Saluta quæſo amicos & præceptores maximè reverendiſſ. Dn. Bezam patrem, Dn. Fayum, Dn. Jacomotum, Dn. Gaulartium & inprimis Dn. Laurentium. Utinam is ederet Logicæ doctrinæ Syſtema aliquod noſtræ novæ Scholæ uſui futurum. Vale memor poſtulati mei. 13. Sept. 1601.

Tui obſervantiſſ. & amantiſſ.

Eglinus Iconius.

Clariſſ. & Conſultiſſimo
Dn. Melchiori Goldaſt, Helvetio,
apud CL. J. V. D. Lectum.
Dn. & amico.

Genevæ.

LI.

S Expoſtulaſti mecum Dn. & Affinis chariſſime, per ultimas tuas de diuturno meo ſilentio, quæ tua expoſtulatio ſignificatio eſt luculenta ſingularis tui ergà me amoris. Ego verò, juſtiorem profectò tecum expoſtulandi cauſam habeo, quod pro amoris tui erga me abundantia & in literarum rerumque multarum cognitione digniſſimarum copia, qua circumfluis, tam diu nihil ad me ſcripſiſti, præſertim cum otio tu magis abundes quam ego, in tot tantisque meis occupationibus & publicis & privatis atque domeſticis, D. D. Ritterhuſius quoque in ſuis ad me literis, quas

 poſt

poſt reditum meum ex Palatinatu accepi, graviter conqueritur de diuturna tua literarum intermiſſione, de quo te admoneo, ut te apud illum excuſes. Lucubrationum tuarum Catalogus, quem ad me miſiſti, me multum delectavit, quas bene feliciterque abſolvendi & in lucem emittendi tibi DEUS facultatem largiatur. D. Lectii Viri ſanè ſelectiſſimi dilectiſſimique memoria pectori meo infixa hæret quam nulla unquam inde, niſi mores, delebit oblivio. Illum honorificentiſſimè quæſo meo nomine ſalutes eique gratias agas, quod filium meum tanto favore atque cura proſequitur, quem magnopere rogo, ut ſtudiis ejus conſulere pergat. Ad illum nunc propter aurigæ iſtius importunam & agreſtem feſtinationem ad abeundum ſcribere non potui: Nec etiam ad te plura ſcribere potui. Vale, & D. Bezam, Fayum, Jacomotium, Deodatum, Laurentium, Gulartium, Brodæum, ejus diſcipulos honorificè oro meo nomine ſalutes. Conjux & familiola mea chariſſima tibi plurimum ſalutis dicit. Tiguri feſtinantiſſime ult. Nov. anno 1601.

Tui cupidiſſimus

Joh. Guil. Stuckius.

Genere, doctrina & eruditione
præſtantiſſimo juveni D.
Melchiori Guldenaſto, Dn.
affini & amico ſuo perobſervando.

LII.

S. P. D.

Cl. V. Domine & amice ſingularis.

DN. M. Johannes Pareus, literas tuas mihi circa Kal. Maii reddidit, eaſque ſuo ſermone de ſtudiis, doctrina & humanitate tua large ſubſecutus eſt elegantiſſimus & eruditiſſimus juvenis. Nimis autem tu erga me liberalis, qui mihi ea tribuis, quæ ſi frons de rebus non perie-

perierit, agnoſcere non debeam: eruditionem nempe tantam, quæ in ſublimi poſita omnium animos in ſeſe converterit. Nimia hæc ſunt; mihi ſatis in ſecundis, tertiiſque ſubſiſtere. Sed ad cætera: ſcribis porro te mihi juvenem Conſtantienſem bonarum artium ſtudioſum, affinem tuum commendaſſe. Atqui ſanctè tibi aſſevero, mihi antidhac abs te nunquam redditas fuiſſe literas ullas. Quis enim me facilior: quis impetrabilior ad ineundas & colendas cum viris bonis & doctis amicitias? quis minus impiger ad ſcribendum? itaque nullo bono jure neque animum à Doctorum Virorum amicitiis alienum, neque ſilentii inhumanitatem mihi exprobrare potes; neque enim ullus aditus ad tuam amicitiam, per eas litteras quas nullus acceperam, mihi patere potuit. Jam verò lubens meritò plenâ & liberali manu tibi meam amicitiam qualem qualem quidem illam defero, offero, dico; & viciſſim, ut me in tua vel extrema linea hærere patiaris conſertâ manu ſtipulor. Dn. M. Joan. Pareo in omnibus quæ voluit & cupivit præſtò fui, nec minorem aliorum doctiſſimorum Virorum, apud nos humanitatem expertus eſt: & ſingulares tibi, ago atque habeo gratias, quod tuarum literarum beneficio, eundem amicum nactus fui. Studiorum tuorum bigam valde probo: juris civilis & Philologiæ conjunctionem. Videas enim alios plerumque ſine omni antiquitatis & meliorum literarum comitatu & cultu in illa legum veſtrarum adyta penetrare velle, ſed impingunt illi ſæpe velut cantherii in porta. Opuſcula illa tria S. Valeriani Epiſcopi Cimolenſis, Q. Hilariani, Q. Arculphi, tantò gratiora; quantò auctores eorundem hactenus minus in vulgus noti, doctis hominibus accident. De Symmacho tibi gratulor. Siquid indagavero exemplarium MSS. unde editio tua melior fieri poſſit, curabo ut habeas. Si de meis ſtudiis quæris: verti nuper magnam partem epiſtolarum D. Baſilii: Theologiam Platonis ſecundum Proclum: eundem Proclum in Cratylum Platonis. Sed neminem Typographum invenire poſſum. Tu, ſi quem Genevæ expiſcari poteris, ſubjice, & me tui amantem & obſervantem redamare perge. Dn. Jac. Lectio J C. Cl. ſalutem à me. Eius

 Ho-

Hotomannum ad me miſit Cl. & nobilis Vir Dn. Jacobus Bongarſius de Bodry Gallus, unde ego ex ungue leonem. Dat. Friburgi Brisg. d. 16. May Anno 1600.

T. obſervantiſſ. ſtudioſiſſimuſque

Johannes Jacobus Beurerus in Archiducali Academia Friburgenſi Graecarum Literarum & Historiae Prof.

LIII.

Salve plurimum mi Guldaſte à tuo Grutero, qui libens literis tuis prolixioribus uberius reſpondiſſet, niſi hoc nundinarum tempore ita obrueretur negotiis ut vix hæc præcipitet, ne dum quæſtiunculis illis tuis attendere poſſit. Quantum tamen ex unica lectione haurire licuit quod elicis ipſa eſt veritas. De Cane illo nihil mirum narras, nunquam me convenit, ex quo domi eſt, cum tamen ſit in vicinia. Sed nec Meliſſo accedit: adeo ut & ipſum ſuggillarit. Laudo ad huc illum pudorem. Sed ſane tali via non graſſamus ad templum virtutis aut honoris. Verum valeat ille; nos autem inter nos mutuo amemus, idemque habemus in ore quod in pectore. Id de me ſancte tibi polliceor, de te non languide ſpero, hoc & confido. Si quæ in Senecam habes, poſſunt ſane adhuc illa tempeſtive mitti, nam editionem nondum inchoavi. Idem dico de iis quæ habere potes ad Martialem. Nam hæret ille apud D. Goulartium, cupiamque omnibus modis remitti, vel mihi Heidelbergæ, vel Commelianis Amſterdami, de quo hominem comiter moneas velim. Plura ſcribam alias; Unde ignoſce feſtinationi, hæcque boni conſulas carum caput tuas ad Godofredum ad Freherum curavi hic in nundi-

nundinis. Meliſſum ſalutabo domum redux: Vale & Salve à Grutero, qui hæc ſcrib. 21. Septemb. 1600.

Cl. Viro, Domino
Melchori Hamelſelto Guldaſto,
Philologo inſigni.
Genevæ.

LIV.

S. P.

MI Guldaſte. Eſt ſane opera tua in me admodum egregia, & ego hactenus vel verbis parcior. Ignoſces tamen, quoniam tuas offendi demum à nundinis Francofurtenſibus domum redux: alias & tibi reſpondiſſem una cum Domino Lectio, ſi hoc reſpondere eſt tumultuario ſtylo defungi & balbutire. Verum ſic habe, quod Martialem remiſeris, eſt quod ei, eſt quod tibi debeam; ſaxoque emanſor ille intra paucos dies typographorum prematur ergaſtulo obnoxiam tam longæ moræ. Variantes Lectiones voluiſſem, vacaſſet deſcribere, uſum mihi ſuum præſtitiſſent. Imò ſi adhuc potes fac quæſo habeam. Semper eunt tabellarii Argentinam. Eo ſi tranſmiſeris ad Dn. Lobbetium rectè huc curabuntur Manuſcriptos nullos mihi miſeris. Nam jamdudum ejuravi talem omnem laborem; cui alioquin non ſim ferendo, occupatiſſimus plurimis. At ſi quis ſtudioſorum moleſtiam ſumeret comparandi ſcripta cum editis libris, ibi ergo paratus ejus nomen intexere meis cum debito eiuſdem præconio, ſive fuerit Senecæ Tragici, ſive Philoſophi, ſive alterius claſſici ſcriptoris. Si quidquam tui ſeminis prodiit in lucem, crudeliter facis mihi id invidendo. Nec ſane merui, qui tibi & ingenio tuo ſerio faveo, omnibuſque modis benefactum cupio. Quare ubi deinde occaſio fuerit, ne me expertem habe induſtriæ tuæ monumentis, quibus nihil prævertam. Lipſii libellum de concordia non legi, ſed mox faciam, nunc occupatiſſ. reſcribendi literis eorũ qui ad me ſcripſerunt occaſione

commeantium mercatorum. Hactenus à ſtudiis humanioribus longius abſui, viduus biennalis, & aliarum rerum. Sed jam inibi ſum, uti, cum iis redeam in gratiam jam nuper ſponſus factus virginis ſpectatorum parentum Catharinæ Stokeliæ. Nuptiis dies dictus eſt 12. Maii: quod ſi te tunc, ſi ampliſ. Dn. Lectium, ſi ſuaviſſim. Jacomotium præſens præſentes complecti liceret, non mallem Apollinem, non Palladem cum Mercurio. Sed cum viæ intervallum, tale nolit, hoc certe licet ſperare, ut votis omnibusque tunc temporis mihi apud vos bene nobis dicatis. Quod niſi improbiuſculum eſſet, à vobis in honorem illius coniugii peterem carmen breviculum. Sed eſſet ſane improbum nimis. Votis igitur adeſte ſaltem amici præſtantiſſimi, & optate ut tertium iſtud matrimonium diuturnius ſit, quam fuere priora duo. Hæc ſcribebam, vix uno conſiſtens pede, die 21. April 1601. Heidelbergæ.

Veſter omni obſequio

Janus Gruterus.

LV.

DOctiſſime juvenis. Sicut tuo rogatu diligenter ſtudui complecti uno Sermone, totius ſacri voluminis compendium, ita jam te oro atque obteſtor, ut mea gratia paucula quædam facias tibi non gravia, mihique futura graviſſima. Primum hoc erit: quæſo, ut ſcribas, quid Magiſtratus egerit, ut ego retinerer Profeſſor Genevæ & quorum inſtinctu veneras me oratum, ut illic hærerem, quidque exiſtimaverint de illo ſermone, quem tu retuleras. Ego curarem bene illis eſſe, qui mihi bene cupierunt: & niſi fecero, forſitan mea gens ſuccenſebit Genevenſibus. Velimque ut omnia quantum fert veritas amiciſſima ſcribas in earum gratiam. Sed nullo modo quippiam dici, quod non ſit verum, candidè intellectum. Alterum erit, ut roges inclitum Syndicum & D. Lixium, & D. meum hoſpitem, doctiſſimos & humaniſſimos viros,

viros, an velint reſpondere literis, quas uti reor, meas acceperunt; & mittas Baſileam ad D. Zuingerum, ſi quas dabunt: ſaltem tu ſcribas ad me. Hæc tenuia ſecures, maximi duxero. Vale Francofurti 3. Id. May. 1601.

Tuus in D.

Hugo Broughton.

Doctiſſimo juveni
Meliori Goldaſto,
amico ſumme colendo
Genevæ
aut ubicunque ſit.

LVI.

S.

GRatiſſimæ mihi literæ tuæ fuerunt, Vir ornatiſſime ac amice obſervande & dilectiſſime, quibus tamen ob anguſtiam temporis breviter reſpondeo. Ex animo caſum adverſum, illum tuum doleo, DOM. oro, ut omnia in bonam vertat partem. Iter noſtrum fuit ſatis laus DEO proſperum, ſupra noſtram opinionem, ego tamen per quatuor dies vehementer ægrotavi. Lectium nunquam tam impudentem fore ſperaſſem, qui ea exprobrare audet, putat forſan, nobis pecuniam de cœlo cadere, aut forte fortuna venire.

Adulatores illi dent quid velint, quod ego ei gratis dedi boni conſulat, ſi hoc ſciviſſem eum tam ingratum fore, DEUM obteſtor, ne hoc quidem quòd dedi, dediſſem.

Ipſemet nobis nihil dedit, ne poculum vini, cur igitur putidiſſimus avarus, à nobis majora poſtulare audet, ô hominem pecuniæ cupidum, utinam nunquam ædes vidiſſem ejus. Tu nos interea amice dilectiſſime quoquo modo poteris defendas oro. Quod ſi pertrexerit ſcribas ad me, ego eimet ipſe reſpondebo quod

quod non libenter audiet. Niſi ad ea furta quæ nobis in ædibus ſunt commiſſa magis damni addidiſſemus cum alias etiam omnia quæ nobis neceſſaria erant fornaces, ſcamna, ſeras, claves, exolvere ſumus coacti. Crede mihi non tam cito, tales reperiet ſtultos, iſte iniquiſſimus Euclio. Plura aliâs cum iſtum librum cuius mihi præfationem miſiſti accepero. B. V. & me ut & inpoſterum amare velis, ita rogo ut nihil magis. Datæ celeri calamo, Lugduni anno 1601.

Dominum Kleiſt viciſſim meo nomine officioſè ac plurimum ſaluta.

T. T.

ex animo

Albertus Rohovvlad Bukuvvka

à Bucuvvka.

Ultimam cænam nobis gratis non dedit, & decem coronatos gratis accipere à nobis vellet. Pudeat eum in æternum, ſi Judæus eſſet, non mirarer.

Clariſſimo, atque ornatiſſimo Viro,
D. Melchiori Hamenvelto Goldaſto,
juris utriuſque Cand. amico
obſervando ac cariſſimo.
Genevam

LVII.

S. P.

Has incluſas ſcripſeram eo quo videbis die, traditurus Dn. Stephano, qui me viſum venerat, aiebatque divertere ad hoſpitium, ubi poſtea à meis quæſitus eſt nec inventus. Nunc reſcribo, ideo uti me excuſem, quod hactenus tacuerim, imputeſque id non alicui aut arrogantiæ aut ſupinitati, ſed tabellariorum inopiæ. Amo enim te, atque ingenium tuum animitus, cupiamque mihi dari occa-
ſionem

ſionem aperiundi hunc affectum. Martialis adhuc apud me eſt, nondum datus typographo, promiſſus tamen: ablegaſſem eo, quo deſtinavi, niſi nactus eſſem exemplar MS. quo uſus aliquando Modius: id prius excuſſum velim. Hactenus non vacavit ob nuptias, ob ea quæ circa nuptias. Nunc non licet ob valetudinem, quæ tota hac ſeptimana valde mala. Dabo tamen operam uti prodeat, ſi fieri commode poteſt autumno proximo. Senecam ubi extorſerit Dr. Lectius, commenda eum quæſo alicui ſtudioſorum eunti ad nos: in ſpem meæ gratiæ facile receperint, nam typographos hos quod exores, fruſtra feceris: adeò id hominum vulgus ſibi omnia gratuitò fieri vult, atque cum præſtet nihil, verum quid alios ſuggillo? te potius ſalvere jubeo amicum caput, unaque Dn. Jacomotium; item virum ad unguem factum Dn. Fajum. Habes hîc quoque Euphoimias in noſtras nuptias. miraberis carmen tui Paræi, qui me nondum inviſit, ex quo à vobis abiit, nuper autem factus eſt Rector ſcholæ civitatis ſic ſatis magnæ, ut alios regat ſcilicet, qui ſe non poteſt. Heidelbergæ die 19. Junii Anno 1601.

Tuus omni officio

Janus Gruterus.

Præſtantiſſimo Viro,
Dn. Meliori Guldaſto Hamevelto
philologo non è multis ut & amico,
Geneve,
requirendus apud Cl. V. Dn. Lectium.

LVIII.

S. Ante tres menſes, cum ad comitia gentis noſtræ Soloduri enim, litterarum faſciculum à te accepi, chariſſime Melior, Bernâ, quo eundum erat, tibi reſcripturus, abſque morbo fuiſſet, qui non ſine diſcrimine, ſeptimanas aliquot illic laborantem detinuit: at poſtquam ſalute, Dei beneficio recuperata domum veni, tertiæ mihi redditæ ſimul abs te, unius ferè, cum ſuperioribus argenti ad quas ſi paullò tardius reſpondeo, ab occupationibus eſt, quibus

quam diſtrahar, ſi ſcias, facile ignoſcas: tuas illas, quæ miſeris modis te ſolicitant, curas ærumnas & miſerias intelligere moleſtum mihi fuit, nec enim tanti, ut propterea ſtudiis abire, ſervilem in modum animum deſpondere, atque omnem melioris fati ſpem abjicere debeas, neque mirum, ſi ſint, qui opinionem tuam fefellerint, in amore & honore litterarum: *pleroſque, è famoſa illa nobilitate, Weſtphalos* præſertim & *Francos, Muſis haut amicos, dum ego peregrinarer expertus ſum*, quorum ingenia & cyclopicos mores, cum tuo quoque periculo jam noris, hoc magis ab illorum conſortio, ſi ſapis, cavebis, nec ulla ratione perſuaderi tibi ſines conditionem, quam nemo niſi deſperatæ ſalutis acceperit: Tu qui me non amicum ſolum ſed auxiliatorem hactenus ſenſiſti, eò neceſſitatis redactus nondum es, etſi toleranda tibi fuerint incommoda quædam, quibus non carebit, quemcunque inſtituis vivendi modus: Maximos quosque Viros, maximis emerſiſſe difficultatibus & ſuperaſſe eas haud ignoras, idque virtuti illorum datum fuiſſe quare erecto & obfirmato animo, eò uſque te quovis modo ſuſtineto, donec honeſta offeratur conditio, de qua proſpicere tibi non deſino, & fortaſſis nunc jam aliqua ſanè quam optata tui promovendi occaſio ſub manu: Baro ab Hohenſax. hâc æſtate Heidelbergam in Electoris Palatini Filii Principis comitatu educandus, amandabitur, cui te præceptorem (ſi proprius aliquis illi adjungatur) deſtinavimus, quod ab Electore, in cujus arbitrio hoc ſitum eſt, facile obtinebit, generoſa pueri mater, ad Grynradium ſuper eo ſcriptura & ego ſimul ad Freherum, quem ſcio, nihil eorum, quæ vel ad eam rem, vel tui commendationem pertinent & faciunt prætermiſſurum, ubi certi aliquid hac conſtitutum fuerit, ſine mora te faciam certiorem: interea libris cœptis, perficiendis & in lucem edendis, ſedulò operam dabis, quod ne remorari porrò quicquam poſſit, ſupervacanea victus cura & ſolicitudo, opem opesque meas ad eam rem denuò polliceor, neque enim in ſuppeditandis ſumptibus tibi defui, nec

deero

decro poſthâc, ſi bene collocatos videam: qua de cauſſa Chriſtophorus Crum, affinis meus, cum ex nundinis Lugdunenſ. illa redierit, meonomine, quos habere te oportet, ſubminiſtrabit: Lauſannæ ſi minoris quam Genevæ ubi nullum promovendi neque auxilium neque ſpem eſſe ſcribis, vivitur, non diſplicet, ſi eò te transferas, quod tamen tui arbitrii facio, modò à crebris migrationibus in poſterum abſtineas, quæ neque è re neque pro exiſtimatione tua, moroſitatis neſcio cujus ſuſpectum te apud nonnullos fecere, qui id mihi Tiguri nuper objecerunt. Ceterum in libris dedicandis, auctor tibi ſum, ut eos eligas Patronos, quorum opera olim tibi prodeſſe queat; Legatus Regius quamvis gloriæ (ut Gallorum fert natura) affectantiſſimus tamen, cætera homo ſordidus, avaritiæ nomine apud noſtros malè audit, nec video, quid emolumenti ſperare inde aut poſſis aut debeas, quin potius hiſtoricos illos Frehero, aut mihi ipſi deſtina: De Æculpho ſententiam muravi, propter Einhardum, qui decorè magis convenire Schellenbergio an videtur, quod ex Ottonis qui Impp. nuper conſecravit epiſtolam tu ipſemet judicaveris: Sponſor ſanè ego tibi, ſi feceris de amplo aliquo præmio; Sed maturari velim editionem cui adornandæ; Carol M. effigiem (quæ inter Golzii Cæſſ. non habetur) operi præfigendam, proximè mittam, Ea ad exemplar genuinum quod aquis Sextiis, in Reipub. Archivo aſſervatur depicta, a Regnero Rulando ICto amico meo ſingulari, dono mihi nuper miſſa eſt; Vadiani conſultationem de ſervorum Connubio, cum Oratione de ejusdem laudibus, priuſquam typis mandetur ad me mittas rogo, eamque non Gulero (quid enim ad Gulerum vadianus?) ſed Bartholomæo Peÿer V. I. D. Patritio Schaffhuſiano amitino meo, ut inſcribas, abs te etiam atque etiam peto, quem (Spondeo) condignam laboribus tuis gratiam relaturum: Baronem autem noſtrum quod attinet dedicatione ſuperſedendum puto, donec nobis conſtiterit, quid de conditione illa futurum ſit: Monaſterii libros, ſi fides ſi exiſtima-

 tio

timatio mea tibi curæ, quam primum remitti curabis, plura non addo: Vale Santgalli raptim 13. Kal. Martii Anno MDCII.

T.

Barth. Schobinger J. C.

Ingenuo Meliori Goldaſto philologo amicorum optimo.

Geneva.

LIX.

S. P. D.

ET ſi nihil literarum à te Vir Ornatiſſimus atque amicè obſervantiſſ. mihi redditum ſit, tamen ne tui me eſſe oblitum arbitrareris, hæc perpauca ad Te exarare dignum exiſtimavi, teſtificandi amoris erga te mei ſe belliſſimè valere, tibi gratulor, mihi gaudeo, nos quoque laus DEO bene valemus, quo ductore brevi hinc diſcedere cogitamus. Sed adhuc nihil quicquam certi conſtituimus. Quare non dubito ſi adventu tuo properabis, te nos adhuc Lutetiæ viſurum: quod mihi ſanè gratiſſimum eſſet, ut coràm & ore & facto tibi gratias agerem. Pro tuo in me tam egregio ſtudio, ad amplificandum atque cohoneſtandum nomen meum, apud omnes quicunque *Clarorum virorum* librum tuum viſuri & lecturi ſunt. Literis vix voto meo ſatisfacere potero, quoniam tabellariis tuto non committuntur. Sit utcunque ſit, ut me gratum ut beneficiorum acceptorum memorem experiaris, omni curriculo vitæ meæ diligentiſſime providebo. Dn. Burckhart te ſalvere jubet ni aliis negotiis præventus fuiſſet. Epiſtola hunc locum ſalutis occupaſſet. Sed flagitat tabellarius & aliæ occupationes impediunt, quæ me jam pridem muſis iratum reddiderunt. Valebis igitur, & eum qui te amat, colit, obſervat, redamabis. Datæ raptim Lutetiæ 24. Februarii anno 1602.

N. Dn.

N. Dn. Kleiſtium ſalvere plurimum & officioſe jubeo.

Tuus
in perpet.
Albertus à Bukuvvka.

Viro Clariſſimo Doctiſſ. Dn. Melsori Guldenaſto, amico meo amiciſſimo.
Genevam.

LX.

S. P.

ITa eſt, ſpicilegium tuum in Martialem viam omnem aliam effectavit, quam eam qua veniret ad me. De Stephani exemplari gaudeo, ubi otium erit, confer quæſo cum hoc noſtro (exemplar enim dabit & tibi & Dn. Lectio, quem officiosè ſaluto, Dn. Lentulus) quod nuperè hic excuſum licet admodum mendosè. Heraldi editio non eſt quod te moretur: nihil habet præter interpretationum Sylvas, correctiones. *Rara apparent in gurgite nantes.* Tuum illud, *traducta eſt ferulis*, Argutiam ſapit ſummam: certè longe præferendum Lipſii noſtri *titulis.* Sed confer quæſo id Epigramma cum MS. veſtro: nam Palatino noſtro abſunt illa ſpectaculorum. Alterum *ruſtica ſim an perdix*, ætas eſt quod reſtituit primum Cujacius, illum Vulcanius. Verum in æſtu iſto rerum Francofurti, ſi pluribus tibi non loquar, imputabis id non mihi, ſed tempori: tibi ex animo faveo, habeoque pro ingenio hujus ævi raro: hoc eſt, qui mox induſtriæ tuæ fructus ſparſurus fama obſtetricante per Europam omnem. Deus tantum tibi valetudinem ſervet. Mea ſane valde vacillat, videorque obnoxius futurus morbo Lipſii hypochondriaco: quod bonum factum dicerem, ſi unà item accederent ejuſdem eruditio atque ingenium. Verum abeant vana cogitationum, & ſic quoq; ſerviam9 noſtro ſeculo. Vale vir amiciſſ. & me amare perge amore

illo tuo forti. Meliſſum obiiſſe cum bonis omnibus dolebis: Programma hoc ſubitò juſſi ſcripſimus, quale ſcilicet poteramus in illo luctu recenti. Saluto reverenter ſolem illum ævi noſtri Domin. Bezam, item Dn. Fayum Theologum rari exempli, denique Dn. Jacomotium à Beza ſecundum. Francofurti ex templo, die tertia ante paſcha 1602.

Tuus omni officio

Janus Gruterus.

Præſtantiſſimo Viro
Domino Guldaſto, Philologo
non e multis minimo

L X I.

S. Quod rarius ad te Dn. & Affinis chariſſime, & alios amicos meos ſcribo, id cauſa eſt, quod tot tantiſque curis negotiis & moleſtiis publicis & privatis plerumque ita ſum diſtrictus, ut vix reſpirare mihi nonnunquam liberè liceat. Huc accedit ætas mea ingraveſcens, quæ me & ad ſcribendum, ut & alia quoque negotia atque officia indies facit tardiorem: quibus de cauſis me tibi velim quoque excuſatum. Gratiam tibi habeo maximam, quod de me filioliſque meis, quos libenter iſtuc mitterem, ſi honeſtam aliquam permutationem, ut vulgò vocant, nanciſci poſſem. Tam es ſolicitus ut ex literis tuis intellexi in quo conſtantem tuam erga me agnoſco benevolentiam. De Cella illo, de quo ad me ſcripſiſti, quum hominem non novi, cogitabo diligentius, de quo quoque ſi tibi non erit moleſtum, diligentius te velim inquirere. Lucubrationes tuas in lucem editas videbo lubenter. Carmina tua in generoſi & illuſtris Comitis Ortenburgici obitum expecto quotidie, in quem habeo jam D. Bezæ, D. Lectii, D. Jacomotii & aliorum Epicedia. D. Schobingerus apud nos eſt, miratur atque adeò demiratur diuturnum tuum ſilentium. Vale & clariſſ. Viris D. Bezæ, Fajo, Lectio, Jacomotio, D. Perotto, & aliis tui meique

que amantibus, plurimum meo nomine ſalutis dicas. Familiola mea te peramanter ſalutat. Tiguri 28. Jan. 1602.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Animo ſtudioque tuus

Joh. Guil. Stuckius.

LXII.

S. Ad nuperas tuas jam reſpondiſſem, abſque monaſterii decano eſſet qui diplomatis Carolini inſpiciendi copiam vix tandem fecit: illud ipſum eſſe planè conſtat, cuius Melanthon in Chronicis meminit: Parationem (quam ſecula illa tuitiſcè Suonbuoch Vocarunt) continens, Sidonii Epiſcop. Conſtant. cum Verdone Abbat. ſuper reditibus monaſterii, à Carolo confirmatam, formâ quâ ſolent donationum chartæ, litteris Longobardicis lectu difficilimis: deſcribere cupienti, abnuit monachus: exordium vero habet Carolus Dn. gratia Francorum & Longobardorum Rex Patritius Rom. Univerſis Pontificibus & Proceribus noſtris Annum Regni XII. ſubſcriptionem & imaginem ipſius Caroli Laureatam togatam, ex annulo ceræ impreſſam, circumſcribſit propter . . . rem ignorabilem, temporis diuturnitate eſt attrita ferè, probè tamen noſtrum illum quem miſimus lineamentatione refert, cum modico aliquo ætatis diſcrimine, illius Senilis, hujus Virilis. Aliud diploma Vadianus olim vidit, in cujus plumbeo ſigillo Imp. Laureatus cum inſcript. Carolus M. Auguſtus & parte averſa in Laureo ſertulo Renovatio Regni Franc. quod non huius noſtri, ſed Craſſi eſſe vel temporum ſeries, imperii anni, & indict. adſcribti evincunt Data nonas Octobr. anno incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indict. II. anno vero Imp. Domini Caroli, in Italia III. in Francia II. Actum Papiæ in Dei nomine feliciter Amen: Tam Calvum autem quam Craſſum, Magni ſibi cognomen uſurpaſſe animadverti, ut plane errent, qui non ſatis expenſa temporum ratione repentè ad Carolum P. F. animum adjiciunt, ubi publi-

publicis in tabulis Magni cognomen legunt, quod & Ritterſhuſio in notis ad Gruterum diploma illud à Welſero ſuggeſtum, Carolo M. P. F. adſcribant, valdè impoſuit: Hæc de Carolo in cujus monumenta, ſi quæ fortè alia heic exſtarent, etſi ſumma cum diligentia nuper inquirerem, libris omnibus Bibliothecæ veteris quæ in turri D. Othomari eſt, evolutis, operam tamen juris, fruſtrata ſpe, quam de quibuſdam fecerat catalogus in quo Chronicæ diverſorum temporum lib. v. & geſta Francor., item geſta Caroli M. & alii plures melioris notæ libri recenſentur, quos profectò dolendum eſt, monachorum ignavia periiſſe: Annalium monaſterii fragmenta quæ cum Nokeri Pſalterio, Haidelbergam miſeram, à Meliſſi obitu, Freherus ad manus recepta nec dum remiſit, quæ in libris meis reperi deſcripta mitto, & unâ Excerpta hiſtoriæ Longobardicæ, quibus adiunxi Caroli conſtitutiones quaſdam jam olim ab Amerbachio ex Cœnobio Tegeraſcenſi prolatas, quæ præterea hoc tempore mittam, non habeo, nec eſt quod Caroli porro & aliorum opuſculorum editionem quam catalogo nundinarum proſcribtam jam eſſe intelligo remoretur. De uno atque altero monendus mihi es: In ſcribtis tuis ſtilum in alios, præſertim cum de iis quæ ad religionem, agitur ita ſtringas, ut modeſtiæ ſemper appareant notæ & τὸ πρέπον ſerventur, quo ſine cujuſque offensâ legi ab omnibus poſſint, & allicere magis lectorem quam alienare & docere quam pugnare videaris: quæ ſcribendi ratio Juſto Lipſio tantam famam & gloriam nominis immortalem conciliavit: Sed heus! de oratione quam de duplici concordia Jenæ quondam habuiſſe fertur, eius nomine promulganda quis auctor! tuo conſilio id factum? quam male virum habeat, ex epiſtola ad Senatum Francofordenſem videre eſt, quam in centuria ſingulari ad Germanos & Gallos elabſis nundinis edidit: alterumque te volo, eſi ad Typographum ſpectet, tamen tuæ quoque erit curæ, ut libri forma elegantiore & Charactere maiuſculo imprimantur, &c. Vadiani conſultationem de ſervorum connubio &c. priusquam typis mandaretur

Vadiani conſultationem de ſervorum Connubio. &c. Priusquam typis mandaretur, ad me mitteres proximè à te petii, & nunc itero, idque quam primum ut facias, dehinc poſtulo, aut ſi æquum eſt, te oro: Monaſterii libros quos remiſiſſe te ſcribis, nondum accepi, tu fac, ea cura, tibi ſit curæ. Vale & me ama raptim in Sanctgallo a. d. XVIII. Kal. Jun. Anno M DCII.

Tuus
Barth. Schobinger J. C.

P. S.

Hæc ita ſcribſeram, cum tuas heri ab affine meo Chriſtophoro Crum accepi, & unà Lectii, quibus de Marriano Capella perculſus ſum valde; qui enim fidem meam apud Principem liberare potero? ut aliis leviculum hoc videatur, haut mihi, qui totus de libris illis reſtituendis interpellatus, aliam atque aliam moræ cauſam, tui cauſâ, uſque prolongavi: nec ſine periculo tu alium librum pro illo ſuppoſueris Bibliothecario, qui exemplis jam fallaciam èdoctus, falſi te deprehendet facilè, quare tu ipſe videris: certum mihi profecto eſt, quidvis pati potius, quam fidei me inſimulari, ſi meus liber foret, æquiore aliquantulum ferrem animo: quæ matura hominis impudentia? perfricti oris eum eſſe oportet, qui commodatum negare auſit, & tam futiles & calvas cauſari tergiverſationes, quaſi vero Codex ille inter ſchedas perierit: compoſitè hoc agi ſuſpicor, ut liber nos circumducat, tu ſi quid de te merui, ſi fides mea, imo tua, ſi exiſtimatio, fama, honos, tibi cordi curæ, omnem movebis lapidem, ut recuperemus, cum furti dicam trifari ſcribis niſi reſtituat, quod facturus videtur, ubi tantopere urgeri ſe ſenſerit, qua in parte multum juvabit auctoritas ampliſſimi Lectii, cui ad ſuas reſcribſi, quo videret, quanti mea interſit, librum illum recuperari: Lauſannam quod cogitas, fiat cum bono Deo, de reliquo facies quod è re tuâ: Cæterum tibi parum conſtare videris, dum de opuſculorũ editione, tot literis promiſſa & jam proſcribta, aliter nunc es animatus, quid colligere inde debeã, haut ſcio: Stukius non ita pridẽ ad me

Goldaſtus noſter, quod miror libros quos imprimi curavit, nunc vult eſſe ſuppreſſos, &c. Qua de cauſa, illa, de quibus ſupra, ne erres, non miſi: Libros quos miſſurus es, à Payeris Schaffhuſianis mitte. Qui curabunt rectius, pro mandato quod deſuper illis dedi, pecuniæ, quam ab affine meo accepiſti, nullam à te fieri mentionem, miror, eam nihilominus tuo nomine exſolvi, quæ cum cætera collata ſummam æquabit flor. 173. Tanta fuere, fuſius reliqua cum de hoſpitio quo Lauſannæ diverteris, me feceris certiorem. Vale iterum.

Idem ille.

Ingenuo & ornatiſſimo juveni
Meliori Hamenveliom Goldaſto,
amico ſingulari.

Geneva aut Lauſanne.

LXIII.

Salutem.

STadelmannus tuas poſthumas reddidit, amice Goldaſte, ad quas reſponſum accipe per eundem. Dolet certè Wuili ingratitudo & mihi, Dominoque Stuckio ſummopere: ſed quid agimus cum homine, æquitatis non rationem habenre! Valeriani pagellas mecum communicavit. Compater Eglinus, quæ lubens certe & magna cum voluptate perlegi. Sed quæſo quid optimum meum Socerum Dn. Simlerum, alioſque, Neptuni pecudes nominaſti? Dicas proverbialem locutionem eſſe. Verum. Sed tantis viris vel quovis titulo, vel ratione, pecudis nomen adſcribere, imprudens videtur. Hoc obiter, De Schoppio quod ſcribis, Deus bone, quam impudens factum, qui non contentus, ipſe ut tam turpiter hallucinaretur, inſuper alios ad tam nefandum lapſum audet provocare. Sed Juſtus DEUS eſt, qui hominis perfidiam haud impune dimittet. De oratione Lipſiana, quæ cum ad me, tum ad Dn.

Eglinum

Eglinum ampliter ſcripſiſti, libenter audivi, iiſque prorſus acquieſco. Primæ Sabaudicæ, quam accepi, pretium vellem adſcripſiſſes, ut tibi per Stadelmannum poſſem ſatisfacere. Iſtud ab eo nunc pete, *& mitte quæſo characteres Theophraſti cum Notis Caſauboni*, hac præſenti commoditate, pretiumque ab eodem accipe, quod dabit meo nomine. Eutychetis libros de diſcernendis coniugationibus, vah quam libenter miſiſſem! ſed reverâ eorum copia mihi fieri non potuit, qui de eis paſſim inquiſivi. Pro me inquiſivi etiam de Inſcriptionum libris, quos tu editos à Grutero ſcribis. Sed neque iſtos habere potui, cum maximè vellem. Vale mi amiciſſime Dn. Melior, & plurimum ſalve à mea uxore, & Erhardo noſtro, quem pater ſubinde hic retinet. Eum vellem etiam apud vos Muſis operari poſſe. Salutem officioſam adſcribo venerandis & clariſſimis Viris Dn. Bezæ, Dn. Fayo, Dn. Goulartio, Dn. Lectio, Dn. Laurentio, & affini Zieglero, quem voluiſſem nuperæ noſtræ petitioni de inſtituendis Bodeckeris meis, ſi res ejus ita tuliſſent ſatisfacere potuiſſe. Sed excuſationem eius, ut juſtam & legitimam accepimus. Interim magnifico & Nobiliſſ. Viro, eorum parenti, percommendatus à me fuit. Iterum vale & ſemper; ac de Republ. litteraria, quod cœpiſti cum maxima laude, optime mereri perge. Tiguri. 22. May. 1601.

Tui ſtudioſiſſimus

C. Waſerus.

Eruditiſſimo Viro, deq. Republ. litterariæ optime merenti: Dn. Melchiori Haminveltoni Goldaſto: Dn. & Affini longe cariſſ.

Genevæ.

In ædibus Magnifici Dn. Lectii,

 LXIV.

L XIV.

S. Spero quatuor iſtos, cum totidem literis, libros rectè eſſe traditos. Literas Tiguro accepi eos quibus ſunt inſcriptæ non novi. Sed pro lepidula tua iſthac, quam vocabas, fabella, en repono hiſtoriolam non magis illepidam. Urbs eſt vicina Burgundiæ. Eò non ita pridem convolarunt in hoſpitium quoddam tres ſacerdotes. Ii cubitum euntes ancillam juſſere lecythum adferret, aquâ plenum, oſtium poſtea bene clauderet nec quenquam amplius introduceret. Ancilla harum rerum curioſa, quid eſt, cogitabat ipſa ſecum, quod ita ſolicitè & januam claudi volunt & neminem intromitti? rimulam ergo ſcrutabatur, per quam, quæ futura eſſent, perſpiceret. Reperit commendam. Sed audi ἀξιοθέατον, quod ei oblatum. Paulò poſt quàm ancilla abiiſſe illis videbatur omnia probe loca circumſpexerunt, benene clauſa, atque ab hominum oculis remota forent. Nulla ubi ſuſpicio appareret, deliberare inceperunt, quodnam genus terrâ naſcentium ſuis perdere incantationibus mallent. Frumentum non poſſumus, inquiebant, pane nihil homini neceſſarium magis, & annonæ caritas juxta ac inopia nimis magna fieret. Vinum bibere omnino oportet. Incolumes ſint vineæ. Reſtabunt fructus. In hos malignitatem expromſerunt ſuam. Aquam primum bene ſeu maledictionibus potius ſuis magicis præpararunt; poſtmodum cavitate manuum exceptam hinc inde ſeſe verſando, rotando, diſperſerunt, dictitantes, ſur les arbres, ſur les arbres, ſur les arbres. Comœdiâ abſolutâ, ipſiſque ſomno ſepultis, ancilla ingreſſa, lecythoque arrepta ſimiliter aquâ illa ſacerdotes imbuit, dicens: & ſur les preſtres, & ſur les preſtres, ſur les preſtres. Inauguratione hac ſatis efficaci perfectâ ſacerdotes mane in lecto inventi ſunt mortui. Magiſtratus ejus loci hoſpitem in jus vocavit, ſceleris accuſavit, damnavit, vindex ſeverus horum talium ſanctorum hominum. Ancilla herum ſuum eſſe condemnatum tum audiens, rem, uti contigit, totam patefecit. Confirmationis ergo quærebat nunquid ejuſce aquæ ſupereſſet ajebat illa, adferre juſſa eſt, & eodem ritu aquam attribus canibus

nibus aſpergere. Aſperſit illa, dicens, & ſur les chiens, & ſur les chiens, & ſur les chiens, Subitò ergo & canes extincti ſunt. Ecce totum & iterũ D. Nuper Præſidentis Phraſeologiâ utar. Sed ego me trompo. Nã tres iſti ſacrificuli è ſepulchris iterum eruti, Tardipedi illi Deo in victimam ceſſerunt. Faber Bibliopola mittit hanc ſchedulam, ut in memoriam debitam revoces, ſi fortè excidiſſet. Dixi enim vix me putare, te cuiquam quicquam debere, quòd ſolicitè diſceſſurum te in debita, quæ contraxiſſes, inquiſiviſſe meminiſſem. Proximè plura. De me, quorſum ſim iturus, perplexa adhucdum res eſt. Vale & reſcribe. Pridie Kal. Jun. Anno. 1602.

D. Avunculus meus jam mihi ſcripſit ſe Kal. Junii filiolos ſuos huc miſſurum cum Küngio.

T.

Adſ.

J. G. Ziegler.

A Monſieur
Monſr. Guldinaſt,
A Lauſanne
Cher Monſr. Collot.

LXV.

S Rectè & litteras & munuſcula tua accepi, ornatiſſime Goldaſte, pro quibus maximas tibi ago & habeo gratias: inprimis autem eo nomine, quod in eorum uno mei tam honorificè meminiſti. Ea, quæ hactenus legi, ita mihi probata ſunt, ut operæ pretium te præſtitiſſe, planè mihi perſuadeam. Et quando in mediis tuis laboribus Hebraiſmum tam feliciter imbibiſti? Placet mihi, & gaudeo, cum cætera litteratura Hebraïcam etiam te conjungere: id quod alii quoque viri magni fecerunt. In eo ego nunc ſum, ut eâ methodo, qua Grammaticam Hebræam contexui, Chaldaicam conſcribam, hoc eſt, mediam inter Syriacam & Hebraicam. Ad quod faciendum inductus ſum litteris multorum quibus Hebræa perplacuit, adeò ut ab aliquot Academiis etiam Germaniæ recepta ſit. Fusè de hoc ad me perſcripſit Dn. Matth. Mart. profeſſ. Hebr.

bornæ : cujus judicium meritò maximi facio. Quid tibi de iſto futuro meo labore videri poſſit, quæſo ad me aliquando perſcribas. Vah quantam invectivam Lipſius edidit in orationem illam Latinam, quæ, te procurante heic excuſa eſt. Eam inſertam ultimæ Centuriæ eius epiſtolarum, & ni fallor, Senatui Francofordiano inſcriptam, reperies. Quare caveas tibi, ne reſciſcat, te edidiſſe. Verum quid tantopere hominum reformidemus? Schoppius, Deus bone, quantus ſatelles Antichriſti, ut editi ab eo tractatus teſtantur: ſed is ſuo tempore Chriſto reſpondebit, cujus cauſſam deſeruit, quamque tanta contentione nunc oppugnat. Vale, & ſalve plurimum, doctiſſime mi Melior, meque quod facis, Amare perge. Reſalutant te Dn. Eglinus, & Affinis meus Simlerus. Tiguri 22. Aprilis, quo die in urbe & extra urbem, itemque Dn. Stuckius in toto tractu Tigurino, Scaphuſiano, Turgoviano, & alibi, vitium aſpectus jucundiſſimus, horribili pruinâ, cum plurimorum miſerorum hominum extremâ ruinâ, fœdè deformatus & ademptus eſt: adeò, ut ego quidem è tribus vineis meis ampliſſimis, quæ ultra tria jugera magna ſunt, vix unam vini menſuram extorturus ſim. Et hic terræmotus iſtius horrendi effectus unus eſt, ſterilitas videlicet & aruorum vaſtitas. Deus noſtri miſereatur, voſque à vicino veſtro clementer tueatur atque defendat, Amen. Vale iterum & ſemper, ac ſaluta meo nomine quam-officiosè Dn. Laurentium, Dn. Courantium, Dn. Mailletum, juniorem: quibus ſcribere nunc non vacavit, ob quædam negotiola.

Tuus optimâ fide
Caſpar Waſerus.

Eruditiſſimo Viro:
Dn. Meliori Hamenveltoni Guldaſto, Philologo eximio: amico ſingulari, & adfini chariſſimo.
Genevæ.

In ædibus Magnifici Dn. Lecti.

S. P. LXVI.

LOnge aliter res perſæpe eveniunt, ac nobis proponimus. Conſtitueram ſubſiſtere aliquamdiu Lauſannæ, ecce ſtatim eodem die, quo Lauſannæ intravi, ſeſe obtulit mutandi conſilii occaſio. Baſileenſis quidam equos adduxit in diverſorium vacuos Baſileam reducendos. Pacti ſumus cum eo ſ. cum dimidio ducatonis Tigurum usque, quo & quatuor ſpatio dierum venimus, inde nudius tertius nos huc contulimus. Male me habet, mihi ſub diſceſſu nullam tui videndi copiam contingere potuiſſe. Pecuniam cum literis tuis D. Collono tradidi, quâ quantum intellexi, contentus fuit; D. Bucano etiam tuas tradidi. D. Gebhardus rarus fuit: ei niſallor etiam aliquid literarum ſcripſiſti, quas tamen ego nec Lauſannæ nec hic inter noſtras ſarcinas reperire amplius potui. Nos hic jam morabimur aliquamdiu, neſcii quorſum vela deinceps danda. Obviam nobis factus eſt ad Murtham Comes, ni fallor Bentheimenſis, quem arbitror Genevæ manſurum. Nihil hîc eſt novi, niſi quod Helvetiorum quidam ruſtici & alii ægrè ferunt exercitiis conſcriptis renunciatum eſſe quod res in Gallia pacatæ ſint. Utinam manſiſſemus Lauſannæ Meliorem huc veniendi occaſionem nacti eſſemus. Quod te aliquando rogavi, Danieli ut proſpiceres, ſi illi placet de alio inſtitutore, id iterum rogo, quoniam hoc me facturum D. parenti ejus promiſi, ſed certè inopiâ talium, qui eum reciperent, præſtare non potui, ſed ſi ipſe veteri illi ſuæ conſuetudini non valedicat, præſtabit fortaſſe, ut pecuniæ parcat, neminemque conducat. Hæc breviter ad te Scaphuſio. Si placet & vacat reſcribe aliquid novi. Retulit mihi D. Rugerus, certum eſſe quod de obitu Saxoniæ Adminiſtraoris relatum eſt, et Electorem etiam Saxoniæ cum altero ſuo fratre vix periculum naufragii evaſiſſe. Palat. noſter dicitur convaleſcere. Vale & tui amantem redama. Scaphuſii 4 Kal. Auguſti an. 602. Literas ad Gebhardum datas repertasque remitto. Adfinis

Tui ſtudioſiſſimus

J. Gul. Ziegler.

A Monſieur
Monſr. Melchior Goldaſt,
à Geneve.

LXVII.

LXVII.

S. Vix ferè memini, ex quo litteras abs te accepi, Goldaſte eruditiſſime, amice ſingularis. Itaque ut ad ſcribendum te incitem, nolui non iſthoc epiſtolium ad te mittere, per Henricum Tomannum, civem noſtrum, juvenem valdè probum & ingenioſum. Volui etiam mittere Elementale meum; quod in uſum Scholæ claſſicæ pro adoleſcentulis conſcripſi, ut adoleſcentes deinceps ad Grammaticam ſint paratiores. Et quia tu tantus progreſſus feciſti in cæteris linguis, Latina præſertim, operam da, ut in principe quoque iſta, luculentum ſpecimen edas, more ſummorum virorum, Scaligeri inprimis & aliorum, quibus lingua ſanctitatis commendatiſſima ſemper fuit. Quid audio de Schoppio? Is Bononiæ nunc totus à Pontifice, ſtudio linguæ Hebraicæ mancipatus eſt, adeo ut hoc unicum agere juſſus ſit, nempe Hebræa tractare: cui Gramma: ticam meam mirifice placere, ex Dano hac tranſeunte nuper intellexi. *Apud Dn. Schobingerum noſtrum nobis multus de te ſermo nuper: qui te promotum quam maximè vult, & in omnes ideo occaſiones intentus eſt. Elementalis exemplum alterum meo nomine trade Zieglero noſtro, alterum Dn. Ludoïco Couratio, quos officioſè ſaluto, & ſcripſiſſem eis etiam, ſi argumentum ſcribendi occurriſſet. Interim ut ne ipſi intermittant ad me ſcribere, ſi quid habent, eos oro vehementer: tuque ut id facias, rogo. Vale, præſtantiſſime Vir, meque amare perge, amicosq. reliquos ſaluta. Tiguri. 5. April. 1602. Salutat te Janus Erhartus.

Tuus antiquâ fide
Caſpar VVaſer.

Eruditiſſimo Viro:
Dn. Melchiori Hamenveltoni Goldaſto;
philologo eximio: amico ſing.

Geneve.
apud Magnificum Dn. Lectium.

LXVIII.

LXVIII.

S. Redditæ mihi fuerunt tuæ litteræ, Domine & affinis Goldaſte: in quibus quod jusq; fidemque hoſpitii & amicitiæ, publicando tuos libellos me violaſſe ſummoperè conquereris, equidem id permirum mihi accidit. Nam ſanctiſſimè affirmare poſſum, in nullius hominis manus, præterquam in meas, neutrum veniſſe, ſed poſtquam eum ego percurri, ſtatim ſepoſuiſſe me utrunque, ne quiſquam alius eos inſpiceret. Dixi quidem Dn. Stuckio aliquid tale à te prodiiſſe, ſed legendos non dedi. Quare ut, vel tantillum me contra fidem noſtram egiſſe, ne putes. Nam, ut ſcripſi, ita eſt: & amicorum petitiones ego tam leviter non negligo. Pluribus me purgare nolo. De Lipſio ita eſt, ut narravi nuper: uti ejus epiſtola ad Senatum Francofurtenſem miſſa & excuſa teſtatur. Propoſitum meum de Grammatica Chaldæa tibi probari vehementer gaudeo, quod ſpero Deus fortunabit. De rebus noſtris publicis intelliges ex filiis Dn. Stuckii, & Typographi noſtri Walphii filio, qui ad vos deducuntur, linguarum cauſâ. Vale, & brevitati ignoſce, ac plurimum ſalve ab affine meo Simlero. Tiguri. prid. Kal. Junias. 1602.

Tiguri.

Tuus

C. Waſerus.

Clariſſimo doctiſſimoq́; Viro:
Dn. Melliori Hamenveltoni Goldaſto,
Philologo eximio: Dn. & affini
pl. colendo. *Genevæ.*

LXIX.

S. Silentii mei cauſas, quas vel ſubolere poſſes, in adventum tuum, quem exſpecto differo; Hoc ſolùm ſcire te nunc volo: Jacobo Sludero mandaſſe me, ab inſtitore ſuo, ducatonos, quos vocant viginti in iter tibi ſolvat, quare non eſt, quod reditum

 tuum.

tuum, ſi de illo ſeriò cogitas, porro remoretur; de libris huc curandis iterum à me interpellati Payeri, moram excuſant, & culpam in te, qui factor ipſorum, nulles obtuleris, rejicentes, operam denuò polliciti ſunt: Hæc volui neſcius ne eſſes, de cæteris videbimus coram. Vale rapt. S. Galli 13. Kal. Nov. Anno 1602.

T. Bart. Schobinger. J.C

Ingenuo & Erudito

Melchiori Hamenveltoni Goldaſto,

Philologo, amicorum optimo.

Genevæ.

LXX.

S. Significavit mihi, eruditiſſime Goldaſte, Dn. & affinis colende, optimus Vir, Compater meus, & fidus Chriſti miniſter apud nos, Dn. Heinricus Hafnerus, filium ſuum, qui Genevæ nunc degit, compellatum per te eſſe nomine Petri de la Rouiere, Typographi veſtratis, de Correcturá apud ipſum obeundâ, bonis admodum & probabilibus conditionibus.

Quum igitur inſtitutum parenti placeat, oro te vehementer, cum ejus tum meo nomine, velis pro authoritate, qua apud Typographum illum polles, efficere tu, ut negotium procedat, illique adoleſcentem illum, qui bonæ indolis eſt, & ingenioſus, & laborioſus, de optimâ notâ commendare, ac condicere ei operam illius ad annum & amplius, ſimulque ut Correcturam probé ac diligenter adminiſtret, eum non tantùm hortari, ſed ei etiam conſilio tuo, qui in palæſtra illa adhuc inexercitatus eſt, tu autem exercitatiſſimus es, non deeſſe: ita tamen, ut & ſuorum ſtudiorum, quot certis horis poteſt, rationem habeat moneas, quò & parenti & Mæcenatibus ſuis aliquando ſatisfacere poſſit. Hoc ad te parentis nomine perſcribere, mi Goldaſte, volui idque in ſecreto: ne bono juveni Correctura illa forſitan fraudi apud aliquos noſtratium eſſe poſſit.

De

De reliquis noſtris rebus nihil habeo ad te ſcribere. Priſtino etenim loco omnia ſunt. Nudius tertius ad Illuſtriſs. Principem ſuũ Johannem, Ducem Bipontinum, reverſus eſt filius major natu Dn. Stuckii, poſtquam parentem hic viſitaſſet, à Dn. Pheſſæo huc profectus. Ante octiduum ſolenniter ad D. Petri ſacro baptiſmatis fonte initiatus eſt Matthæus Radecius, Dantiſcanus, adoleſcens octodecennis, ejurato prius Mennoniſmo, & Soſinianiſmo, Sectis deteſtabilibus. Deus illum confortet, & ſpiritu ſuo ita regat, ut ad vomitum ne relabatur. Vale, Melior optime & doctiſſime, & ad epiſtolium meum, quo me tibi purgaveram ante aliquot menſes, de ſiniſtra opinione, in me concepta, tanquam ſi libellos tuos in vulgus ſparſiſſem, reſponde, aut excuſatum habe. Nam ſanctiſſime iterum proteſtor, in ullius hominis manus, præter quam in tuas, eos non perveniſſe apud nos: quod mihi credas velim. Secundum vale & ſemper. Tiguri, 13. Novemb. 1602.

Tuus antiqua fide

Caſpar. Waſerus.

Eruditiſſimo Viro.
Dn. Meliori Hamenveltoni Goldaſto,
Juris & Philologiæ Candidato.
Dn. & affini colendo.

Genevæ.

LXXI.

Beaſti me mirificè, Domine & affinis colende, ultimis tuis literis, quibus me de Cella & ejus filio certiorem feciſti. Gratiam tibi habeo permagnam, quod in tam honeſta filio meo conditione procuranda, tantum operæ atque diligentiæ non ſine fructu poſuiſti. Nam ut & ex ſuis & ex Ziegleri cognati mei litteris, & ex Guilielmi filii mei ſermonibus coram intellexi, Cella iſte homo eſt egregiæ pietatis, doctrinæ & humanitatis, & filius ejus liberali ingenuaque indole eſt præditus, & denique conjugem habet

 atque

atque familiam honeſtam, beneque moratam. Placet igitur mihi hæc conditio, filium ſuum huc mittat quamprimum poterit, gratus mihi & optatus veniet, eritque mihi curæ, ut filium viciſſim meum ei ſpero fore commendatum. Ut autem Henricus filius meus hac re gaudet, ita alter, cui Ludovico nomen, dolet ſe non ſimilem potuiſſe nanciſci conditionem, quem conſolatus ſum literis tuis atque promiſſis humaniſſimis. Nobiliſſimis & humanisſimis illis adoleſcentibus, quos mihi commendaſti, præſtiti, quæ potui hoſpitalitatis officia, qui non diu hic ſubſtiterunt, ſed cum mercatoribus noſtratibus ad mercatum Francofurtenſem proficiſcentibus hinc diſceſſerunt, filium quoque meum Joannem Guilielmum Heydelbergam cum iiſdem mercatoribus miſi honeſtæ alicujus conditionis Aulicæ aucupandæ gratiâ, cum animus ejus magis ſit in aulis & in armis, quàm in literis. Litteras tuas ſtatim DD. Schobingero miſi, quas ille ſine dubio accepit. Velim te ad DD. Rittershuſium & alios Altorffianæ Academiæ proceres crebrius ſcribere, ipſorum erga te benevolentiæ tuendæ & conſervandæ, tuæque viciſſim erga ipſos obſervantiæ teſtificandæ gratia. Jam diu nullas à D. Ritterhuſio litteras accepi, ad quem tamen, ante paucas hebdomadas ſcripſi. Hiſtoriolam meam Ortenburg. de Comitis illius vita & obitu cum amicorum quorundam carminibus funebribus Viduæ illi generoſæ miſi, ut à me petiit, ſed nihil adhuc ab illa reſponſi accepi, ita ut dubitem vehementer, ſit ne illam in lucem editura nec ne, id quod ejus permiſi judicio & arbitrio: utetur procul dubio, quoniam ipſa linguæ Latinæ eſt ignara, doctorum quorundam Virorum hac in re conſilio. Jam aliquoties ſignificavi, me cupere tuum quoque aliquod carmen in tanti viri honorem accedere, quod adhuc à te fieri poterit, non enim ut mihi perſuadeo ad nundinas iſtas Francofurtenſes opuſculum hoc meum in lucem prodibit. Vale & clariſſimis Viris DD. Lectio, Bezæ, Goulartio, Laurentio, Jacomotio & aliis plurimum meo

no-

nomine ſalutis dicas, Mei omnes, qui ſunt tui te peramanter ſalutant. Tig. 20. Martii Anno 1602.

Animo ſtudioq́; tuus

Joh. Guil. Stuckius.

Genere, Doctrina ac pietate Ornatiſſimo Viro
D. Melchiori Guldenaſto, Domino & affini ſuo magnopere colendo. Genevæ.

LXXII.

S. Gratias tibi, Domine & affinis cariſſime, iterum atque iterum ago maximas, quod fideli tua opera unà cum Zieglero cognato meo cariſſimo effeciſti, ut filiolus meus apud D. Cellam eximiæ doctrinæ pietatisque Virum, ut audio, Cellam, ſellamque ut ſic loquar, hoc eſt, hoſpitium convictumque nactus ſit honeſtum & liberalem. Erit mihi familiæque meæ filius ipſius filii loco, commendatus unicè atque carus, ut ad ipſummet D. Cellam ſcripſi. De altero autem Pontonis ſive Montonis Notarii filio, de quo D. Pelizzarius hic mecum locutus eſt, rem omnem tuo & Ziegleri Cognati mei judicio fideique permitto, ut ad ipſum cognatum meum pluribus ſcripſi. Quod ſi qua in re tibi vici ſim gratificari potero paratum me ſemper promptumque experieris. Lucubrationum tuarum exempla, quæ mihi humaniſſime promiſiſti avidè expecto, quarum exempla 2. apud D. Vaſerum noſtrum vidi. Plura nunc ſcribere non poſſum. Vale & me tui amantiſſimum redamare perge, & D. Lectio, Bezæ, Goulartio, Faio, Jacomotio, Laurentio, ceterisque amicis tui meique amantibus plurimum meo nomine ſalutis dicito. Tiguri 24. Aprilis Anno 1602.

Tui ſtudioſiſſimus

Jo. Guil. Stuckius.

Genere, virtute & eruditione præſtanti Juveni
D. Melchiori Guldenaſto, Domino & affini ſuo caro & colendo.
Genevæ.

LXXIII.

LXXIII.

Doctiſſime Domine.

Ad primum, quod quæris S. Columba, ex qua familia fuerit? reſpondeo cum Adomnano Abbate, quod nobilibus fuit ortus natalibus, & quod patrem habuit Fedilmithum, filium Ferguſo, matrem Æthneam nomine. Quod autem fuerit familiæ nomen, nemo quod ſciam expreſſit. In Martyrologiis ſuis ejus meminerunt Uſuardus, & ibi Molanus in annotat: quod tamen Molan. primo male allegat Bedam lib. 3. c. 4. quod ibi Beda non de Columba, ſed de Columbano loquitur, idem tamen Beda ejus meminit in Martyrologio ad 5. idus Jun. --- ut alii, & in Hiſtoria Angl. lib. 5. c. 10. & quod caput eſt invenitur ejus memoria in ipſo etiam Martyrologio Romano, & paſſim in aliis omnibus, in Martyrologio tamen Rom. appellatur non Columba ſed Columbus.

Ad ſecundum, an ad centeſimum ſuæ ætatis annum pervenerit S. Columbanus? quod id Jonas in ejus vita tacuit, ego apud alium non memini me videre aliquando, unde non poſſum aliquid hic ſtatuere.

Ad tertium. Quinam Veterum PP. regulæ S. Columbani meminerint? reſpondeo, quod præter duos antiquiſſimos librorum noſtræ Bibliothecæ Catalogos, qui quidem jam ante 700. annos videntur ſcripti, meminerunt etiam ejus regulæ primò ipſe Jonas in vita ipſius S. Columbani apud Surium tom. 6. ibi. His ergo in locis, cum Monachos inſtituiſſet, ipſe viciſſim illis aderat, canonemque ſive regulam, quam ſequerentur Spiritu Sancto plenus condidit. Ex cujus lectione &c. Qui Jonas, cum beati Viri alumnus fuerit teſtis eſt omni exceptione major. Secundo. Ejus regulæ mentionem facit etiam apud Sur. Author Vitæ S. Deodati, ibi, in valle Gallilæa cœnobia conſtruxit, ubi Monachos, vel peregrinos ſub Sanctiſſimorum PP. Benedicti & Columbani regula victuros collocavit. Quibus etiam ſuffragatur authoritas vetuſtiſſimi noſtri Codicis, ex

quo

quo eam babemus hodie, qui quidem Codex deſcriptus fuit ante annos pæne 800. aut etiam plures.

Ad quintum, ad loca certa, quæ aut videntur obſcura, aut certè mendoſa. Nolim ego judicium meum interponere, maxime quod aliud exemplar nunquam vidi. Sed ſimpliciter, ut jacent, ita tenenda eſſe loca illa arbitrarer.

Denique paximate quod ſit reſpondeo, quod apud veteres Monachos *paximates* ſeu *paximacia* erant parvuli panes vix libræ unius pondus habentes; ita enim apud Caſſian. Abbas Moſes interpretatur Coll. 2. c. 19. παξημάδων vero, ſive παξημὰς vox eſt Romana *panem bis coctum ſignificans*. Utitur ead. Casſian. ſupra prædictus lib. 4. Inſtitut. cap. 14. & alibi. Vale ex Monaſterio 10. Septembris. 1603.

F. Jodocus Mezler. D.

D. Melchiori Goldinaſt.

LXXIV.

S. En duos hoſce meos filiolos, Domine & affinis colende, quos ut abſentes, ſic nunc præſentes fidei humanitatique tuæ unicè commendo. Dediſti operam, ut unus ex iis habitet apud D. Cellam, eximiæ humanitatis, doctrinæ, pietatisque, ut audio Virum, qui ſuum filiolum ad me mittit (quo nomine maximam tibi habeo gratiam) nunc unà cum Zieglero ſororis meæ filio, & aliis amicis noſtris communibus da quæſo operam ut alter quoque ſimilem nanciſcatur conditionem, ne magni mihi ſint faciendi ſumptus. Rogo etiam te vehementer, ut ſtudiorum morumque illorum curam aliquam gerere non graveris, eosque ad pietatis literarumque liberalium ſtudium adhorteris. Nolo illos otiari, cum Germanis hinc inde ſpatiari atque vagari, ſed ſcholas concionesque ſacras asſiduè frequentare, intra privatos ſeſe parietes continere, linguæ Latinæ & Gallicæ atque etiam tandem Græcæ omni ſtudio incumbere. Non male illos experieris eſſe indolis, ſed verborum moni-

to-

torumque ſtimulis indigent. Pluribus illos tibi commendarem, niſi ſcirem te tua ſponte illis ut & mihi bene velle. Vale Domine & Affinis amiciſſime, & DD. Lectium, D. Bezam, Faium, Jacomotium, cetero que amicos communes, tui meique amantes plurimum meis verbis ſaluta, quibus ſimiliter filiolos hoſce meos cupio eſſe commendatos. Tig. Cal. Junii, Anno 1602.

Animo ſtudioq; tuus
Jo. Gul. Stuckius.

Genere, Doctrina & virtute ornatiſſimo adoleſcenti
D. Melchiori Guldenaſto, affini ſuo magnopere colendo.
Genevæ.

LXXV.

Literas tuas, mi Hamenvelto, ante ſemeſtre ſpacium datas, paulò pòſt accepi, plenas amoris & amicitiæ. Quod hactenus reſponſum non dederim, fecit inopia nunciorum & diſtantia locorum. Miſiſti ſimul Valerianum de bon. diſciplin. Iſidorum de præclaris; & aliquas Doſithei, vel imò potius Adriani ſententias & epiſtolas. Pol authores optimi! Sed ideò tamen meliores, quoniam optimũ Interpretem ſunt nacti. Feciſti certè rem gratam. Sed quid rependo? Nec tractationes, nec tractatus mei ſunt ad manum. Et obſervationum liber, in quo tibi ſcribo, quid ſint ſimplariæ venditiones, adhuc prælo premitur. Sed en tibi jam interim haſce diſputationes meas, amicitiæ viciſſitudinariæ teſſeram. O quàm bene factum, ſi doctrinæ cupidi viri, locis diſtantes, animis tamen & literis ſint conjuncti! Simus hi ſemper, & bene valeamus.

Dabantur raptim Helmæſtadii, Anno 1602. Menſe Martio.

T. Stud.
Valentinus Guilielmus Forſterus. D.

Doctiſſimo ſuo
Melchiori Hamenvelto &c. apud
Lectium Genevæ.

LXXVI.

LXXVI.

S. Plurimum me tibi Domine & affinis cariſſime, debere fateor, quod de filiis meis tantopere laboraſti & illorum gratia Lauſanna Genevam usque excurrere non dubitaſti. Dabo operam ut me quavis oblata occaſione gratum experiaris. D. Schmidius Vicinus & propinquus meus & tibi & Zieglero, cognato meo & mihi ipſi quoque graviter admodum ſuccenſuerat, quorum omnium culpa exiſtimabat factum eſſe, quod D. Bodiſchonus meum potius filium, quàm ſuum in contubernium ſuum recepiſſet. Verum nunc re omni melius cognita, cum intelligat nos extra omnẽ eſſe culpam, iram hanc ſuam videtur abjeciſſe, præſertim cum ſperet veſtra & D. Pelizzarii opera filium ſuum nacturum brevi ſimilem conditionem, qualem filii mei adepti ſunt, quo vehementiſſime lætor. Faxit Deus, ut & nos parentes & noſtri filii, ita noſtro fungamur officio, ut nos contractus hujuſce noſtri non pœniteat, neque vos etiam, quorum fideli opera is eſt factus. Plura hoc tempore ad te ſcribendi mihi & materia & ocium deeſt. Vale & me tui amantiſſimum redamare quæſo pergas & D. Bucano, cujus humaniſſimis literis reſcribendi mihi nunc fortè facultas non erit, D. Caſtrobello, D. Calloto, Colladoniis, Gibando plurimũ quæſo à me ſalutis dicas. Tiguri 6. Julii Anno 1602.

Animo ſtudioq; tuus

J. G. Stuckius.

Genere, Doctrina & virtute præſtantiſſimo adoleſcenti
D. Melchiori Guldenaſto, Domino & affini cariſſimo. Genevæ.

LXXVII.

S. Ne media nocte ex eodem grabbato à te exurgenti, me, quem fata vel domeſticæ domum revocabant, tui oblitum exiſtimes, libuit aliquando ineptis meis te literis affari. Ignoſce ruſticienti. O-

mnia negotiorũ multitudine reperi perturbata, expedivi me quoad potui: majora ſunt in propinquo. Interea verò dum reſpiratio datur aliqua (ſiquidem ita inter nos convenimus ambo) ad te ſcribendum exiſtimavi, quib9 argumentis adductus, aliter ſentiã in hiſtoria *Cimbrici belli*, quàm Oroſius vel Stumpfius, qui ad Aquas Sextias Tigurinos & Ambrones à Mario devictos ſcribunt quod ego de Theutonibus, non Tigurinis, intelligendum autumo. Reddam autem ipſius hiſtoriæ à me conſcriptæ verba.

Sunt qui Tigurinos, non Theutones ad Aquas Sextias cladem à Romanis accepiſſe dicant, cujus Sententiæ Oroſium principem authorem reperio, ego verò diverſum ab illis ſentire firmis adducor argumentis. Primum quod Julius Cæſar, gravis inprimis author lib. 1. belli Gall. ſcribat: Se ad Ararim magnam partem Tigurinorum cæcidiſſe & reliquos in fugam egiſſe, qui patrum ſuorum memoria L. Caſſium Conſulem interfecerint & ejus exercitũ ſub jugũ miſerint. Ita ſive caſu ſive conſilio Deorũ immortalium, quæ pars civitatis Helvetiæ, inſignem cladem Populo Rom. intulerit, eam principem pœnas perſolviſſe. Addit præterea Cæſar: Qua in re Cæſar non ſolum publicas ſed etiam privatas injurias ultus eſt, quòd ejus ſoceri Lucii Piſonis avum L. Piſonem Legatum, Tigurini eodem prælio, quo Caſſium interfecerant.

His dictis Cæſar ultionis meminit, quæ poſt 40. demum annos eſt ſecuta. Ergo C. Marius cladem P. Romano à Tigurinis illatam, non eſt ultus ad Aquas Sextias. Porro exactis aliquot diebus, Divico, qui bello Caſſiano dux Helvetiorum fuerat, Princeps legationis ad Cæſarem mittitur, is cum Cæſare egit de pace, eique inter alia non obſcurè cladem à Tigurinis Pop. Rom. illatam exprobrat in hunc modum: Reminiſceretur & veteris incommodi Pop. Romani & priſtinæ virtutis Helvetiorum: Quare ne committeret, ut is locus ubi conſtitiſſent, ex calamitate Populi Romani & internecione exercitus nomen caperet aut memoriam proderet. His Cæſar ita reſpondit: Quod ſua victoria tam inſolenter gloriarentur, quodque ſe tam diu impune tuliſſe injurias admirarentur, eodem

dem pertinere: Conſueſſe enim Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere. Hæc ſunt documento, Tigurinos ad Cæſaris uſque tempora cladem Populo Romano illatam impune tuliſſe. Etenim procul dubio non tam arroganter Divico ſuam victoriam jactaſſet, ſi ad Aquas Sextias fugâ ſalutem quæſiviſſet. Neque Cæſar ejus cladis immemor ſubticuiſſet, qui alias quacunque occaſione Romanorum victorias jactare ſolitus fuit, quin eam Diviconi exprobraret & in commentaria ſua referret: Populum Rom. jam ſecundò pœnas à Tigurinis ob injuriam illatam repetiiſſe. At nihil tale Cæſar habet, illud potius fatetur Tigurinos hactenus injuriam impunè tuliſse. Bello Helvetico (de quo paulo poſt) fæliciter confecto, totius ferè Galliæ legati, Principes civitatum, ad Cæſarem gratulatum convenerunt; quòd pro veteribus Helvetiorum injuriis ipſe ab iis pœnas repetiſſet, tamen eam rem non minus ex uſu terræ Galliæ quam Populi Rom. accidiſſe.

Præterea ne cum Oroſio ſentiam movet me Plutarchi, L. Flori, Valerii Maximi aliorumque veterum ſcriptorum authoritas, qui Theutones & Ambrones, non Tigurinos ad Aquas Sextias à C. Mario devictos ſcribunt: Et veriſimilius videtur eo prælio occiſum Theutobochum, (quem Oroſius Theudulum appellat) Theutonum Ducem non Tigurinorum fuiſſe, præſertim cum Cæſar Diviconem eo bello Tigurinorum ducem fuiſſe dicat. Fieri potuit ut Theutonum & Tigurinorũ nomina apud Oroſium invicem transpoſita ſint in principio & fine 4. & 44. capitum lib. 5. vel amanuenſium errore vel authoris imprudentia, unde errorem in Oroſium irrepſiſſe ſuſpicor.

Sed & noſtrorum temporum Scriptores ab Oroſio diſſentiunt, inter quos non poſtremo loco pono Ludovicum Nogarolam Comitẽ, civem Veronenſem qui in dialogo ſuo de Nilo ad Herculem Gonzagam Cardinalem Mantuanum, initio quædam de Cimbrico bello inducit, cumque verò omnibus prope hiſtoriis, quæ ſuo

propoſito ſervire videbantur, quædam allegaſſet, tandem in hæc verba ſcribit: Qui fieri potuit ut Cimbri, ſi apud Vercellas habuerant caſtra, Theutonum fratrum ſuorum cladem apud Aquas Sextias acceptam (cum alter locus alteri ſatis proximus ſit) non ſtatim audierint? Sed de illorũ interitu non prius certiores ſint facti, quàm Theutonum reges captivos & in vincula conjectos apud C. Marium conſpexerint? Quamobrem credi par eſt, Cimbros una cum Tigurinis à Theutonibus (cum omnes in Gallia ulteriore ſimul eſſent) diceſſiſſe, ac Germaniam ingreſſos, transmiſſis Rheno & Danubio, in Vindeliciã perveniſſe, ac peragrato tandem agro Norico & ſuperatis Alpibus, in Italiam comigraſſe. Quod iter ſane longum & devium dum Cimbri faciunt, quid mali Theutonibus ſociis accidiſſet, reſciſcere non potuerunt. Similia in Chronico Philippi Melanchthonis & apud reliquos noſtri ævi ſcriptores legimus.

Hæc ſunt Clariſſ. D.D. de quibus me tibi ſcripturum affirmari: Reliqua de Tulingis & Lacobrigis non ejus ſunt momenti ut te, quid de ipſis ſentiam, moleſtem. Unum te rogo, ſilicet, non graveris ad me perſcribere D. Vadiani de Pago Tigurino ſententiã, & quid tu de eo judices quibusque nitaris argumentis, ſiquidem ego viciſſim quid ſentiam non gravatim tibi ſum expoſiturus.

Nova præter unas maturas apud nos ſunt nulla. Itaque non adeo benè mecum eſſe actum exiſtimo, qui cum ſim variorum rumorum percipiendi cupidiſſimus ab omni tamen hominum familiaritate & conſortio ſeparatus quaſi privatus agam. Vale plurimum vir clariſſime, tibi me commendo. Dat. Ricebachi Tigurinorum Cal. Auguſti Anno 1603.

Totus tuus

Joh. Heinricus Suizerus, Eccleſiæ Ricebachani Miniſter.

Dem Hoch- und Wohlgelehrten Herrn Melchiorn Guldinaſten / Doctorn beyder Rechten / meinem günſtigen hochehrenden Herrn zu Santgallen / in Hn. D. Barthol. Schaubingers Behauſung zu erfragen. Santgallen.

LXXIIX.

LXXIIX.

Helias Putſchius nobili & cl. Mel. Goldaſto Salutem.

Miraberis amiciſſime & doctiſſime Goldaſte, me nec Salluſtium meũ, nec alia illa de quibus inter nos convenerat hactenus miſiſſe & Salluſtium quidem Cl. Grutero ad te deferendũ dare cõſtituceram, ſed ne tantillũ quidem temporis ab itineris mei comitibus impetrare potui, quantũ ad hoc negotii ſufficeret; patieris itaq; te differui ad nundinas proximas, Lipſiana illa nõ potui omninò extricare, ſcripſi ad And. Elingerum M.D. ſed nondũ reſpondit. Interim habes hic exempl. Epiſtolæ Reudenii. Qui Theol. Jenæ Profeſſor eſt & nunc, & cũ Lipſius oratiunculam publice haberet. Mitto præterea orationẽ quã deſiderare videbaris in funere Johannis Guilielmi Ducis Saxon. Jenæ habitã. Ad doctorum Epiſtolas nihil nunc confero, niſi fragmẽtum Epiſtolæ Fruterianæ eſſe inter Reliquias à J. Douſa Lugd. Batavorum editas. Item inter Mareti eſſe ejuſdem Fruterii ſatis longã & doctam Lib. primo epiſt. XXV. Et Giphanii epiſt. LXXIII. IV. V. VI. VIII. & lib. II. epiſt. XXIII. Cæterũ ſi quid de tua voluntate intellexero ſcribã ad And. Schottum adfinem meũ. Apud quem ſcio non pauca eſſe ejus generis. Nunc tuatũ deſideriũ vix fero, ita me in ſpẽ locaſti. Comiani, & Eutychetis de quibus jam ſcripſi ad Clar. Viros, Joſephum Scaligerum, Petrum Scriverum, Dan. Heynſium, & opt. noſtrũ Rittershuſium, ſimul etiã amorem illis tuũ annuncians. Quid reſcripturi ſint compertũ non habeo. Interim rogo te per Muſas tuas Clariſſ. Dn. tranſmittas illud opus ad me prima etiã occaſione, aut ſi forte graveris, ipſe Reipubl. literariæ gratificem, certe utroq; modo maxima tibi laus propoſita eſt, neq; committam, ut unquã de mea ἀχαριϛίᾳ, quo ſeculũ hoc noſtrũ maxime laborat, jure conqueri poſſit. Sed & hoc velim ſcias, fragmenta illa Salluſtiana quæ te habere præſenti mihi non ſine gaudio narrabas, ad ſecundæ editionis ornatũ valde ſpectare. Tu videbis, meq; tui amantiſſimũ redamabis. Confido enim me operã daturum ut amore eo quo me cõplexus es, non omnino indignus fuiſſe videar. Salutem à me nobiliſſ. Frehero. Qui vide ſi forte poſſit, Operis iſtius Gramatici uſum ad dies aliquot ex Bibliothecæ veſtræ ſactario impetraro. Vale. Lipſiæ in ſumma feſtinatione, A. 1603. 20. Junii. Literas recte curabit Marnius.

Nobilitate & doctrina clariſſ. Viro
D. Melchiori Haimenveltoni Guldaſto, J.C. & Phil.
Dn. & Amico cariſſimo. Heydelbergæ.

LXXIX.

LXXIX.

ADventum tuum jam aliquot menſes eſt, quod exſpectavi, & ne retardaretur, alteros viginti ducatonos, ultra triginta quos acceperas, in viaticum à Studeris miſi, quos, cum ob conditionem quam opimam nactum te referebant, recuſaris, ſuperioribus diebus mihi reſtituerunt: de conditione vero explorati nihil ab illis reſcire potui: Stukius certiorem me fecit à ſecretis te, Bullonio Duci, Lectii commendatione conſtitutum, illum in aulam Palatinam & Haſſianam ſequi, de quo, tuâ eâ, lætatus ſum valde, etſi ceterum dolerem nonnihil, quod me horum expertem & habuiſſes & Geneva, ne verbulo quidem deſuper ad me ſcripto diſceſſiſſe: Ex tuis demum quas ad XIV. Kal. Mart. Francofurtô accepi, idem planè intellexi, verum munus hoc tuum, minus diuturnum fuiſſe, mihi moleſtum, quamvis tum animus præſagiebat, cum primum accepi, haut pro genio ſeu ingenio tuo, fore iſthoc aulicæ vitæ genus, quod polytropum vult, & qui Alcibiadis inſtar ad omnium mores ſe applicare ſciat: Tu ad ſtudia tranquilliora natus, atque ad alia vocatus mihi videre, nec fruſtra fortaſſis Heidelbergam hac ipſa occaſione veneris, ubi aliæ cum Deo offerentur comoditates, naturæ & inſtitutioni tuæ magis conſentaneæ, eaque in re, Godofredi Ficheri, Grutheri & aliorum amicorum opera & conſilio juvari plurimũ poteris: quidquid vero te futurum erit, aut in alterutram partem conſtitueris, ſcire quam primum aveo: niſi uberior aliqua detur occaſio pupillo ab Hohenſaxo, de quo aliàs ſpem feci, præfectum te omnibus modis cuperem, is annuente Deo Heidelbergam proximo vere, certò mittetur, dilata enim hactenus profectio non ſine causâ: Sed heus! tu à me derelictus? minimè vero, tibi volui, tibi volo, idemque animus in te qui mihi fuit, dum voles erit: id reipſa teſtatum feci, porrò quoque facturus, cum uſus venerit, nihil æque doleo, atque occaſionem tui promovendi ullã hactenus offerri, nihil mihi (fidem ſanctè teſtor) prius, quam ut promotũ te alcinã videã &c. Supellectilem & cartas tuas Genevæ reli-

reſtituas, ſi ſalvas mecum eſſe vis, ſcribe iis, quibus concredidiſti, & litteras ad me mitte cum ſyllabo & mandato, ut tuo nomine ſive mihi ſive meo mandatario reſtituant, quod per Studeros, quantum poteſt effectum dabo: Has cum adjunctis Lectii Tiguro nuper huc miſſis, ad Fratrem tuum Francofurtum curavi, is porrò, dubio procul, recte ad te: Valere te opto mi Melior & nos amare: raptim Sangallo Kal. Martii. Anno 1603.

T. Schobinger.

Frehero Godofredo & amicis qui iſtic ſalutem ex me dicito.

Ornatiſſ. & doctiſſ. Viro
Meliori Hamenveltoni Goldaſto,
amicorum optimo.
Heidelbergam.

LXXX.

MItto Tibi litteras vir nobilis & clariſſime ad amicos communes ſcriptas quibus etſi non dubito te nota meliore ſatis ſuperque commendatum eſſe, tamen oſtendere ipſis volui, rem eos mihi gratam inprimis facturos, Si quæ tibi ſponte ſua volunt & cupiunt, mea etiam cauſa præſtarent libentius: quod pro ſua humanitate facturos non dubito. Vota mea ut tibi proſpere & feliciter eveniant quæcunque ad Dei gloriam reique pub. utilitate n inſtitues; utque in hac locus tibi obtingat quem Virtutis ingenii doctrinæque tuæ præſtantia meretur. Vale & præſtantiſſimo Viro D. Schaubingero ex me quàm officioſè S. quæſo p. Vitoduro XXVI. Jul. Anno 1603.

Tui ſtudioſiſſimus
W. Zundelinus.

Nobili & Clariſſimo Viro
Meliori ab Haimensfeldt Goldaſtio, &c.
Dn. & amico ſummè colendo.
In Herrn Doctor Schobingers
Behauſung zu lieffern.

LXXXI.

LXXXI.

Clariſſime Domine Goldaſte.

QUam à nobis diſcedens nuper reliquiſti mei uſibus primam tuorum paræneticor. partem cum magni animi jucunditate accepi & pervolvi, placet ingenium mihi tuum, placet ſtudium, ita velim pergas, & de antiquitate & re literaria ut cœpiſti bene mereri ne deſinas, ego ſi quid in tuam gratiam aliquando fa ere pore o, non intermittam, tibi enim pro humanitate tua & conſuetudine noſtra debeo plurimum ſcio. Hodiè quidem tuæ lucubrationis exemplar unum mitto in Weingarten, docti enim illius Cœnobii patres id à me ſtudiosè admodum repetunt, propterea quod Lindavio, uti ſcribunt, habere nullum potuerint. Sunt mihi tria, duo enim nuper dono miſſa. Sed planè me beabis Goldaſte, ſi uti recepiſti non ſemel, attuleris D. Galli archimandritæ noſtri vitam à Notkero Balbulo deſcriptam. Parentem certe ejus operis te prædicabo, ſi ne intereat juveris. Fac ut conſueviſti naviter, interimque valetudine fac cures. Vale. 1603. Menſ. Octobr. ex Monaſterio.

F. Jodocus Metzler.

LXXXII.

SUt videres, Nobiliſſ. Dn. Melior, Typographum promiſſis ſtare velle, en tibi duo iſta folia, dum impreſſa. Reliqua ubi fuerint, mittam quoque. In corrigendis autem eis, per omnia exemplar tuum, ſicut debui, ſum ſequutus, adeò ut ſperem, nihil in eo te deſideraturum, aut reprehenſurum: habebitisque exemplaria ſeptingen a, hoc eſt, omnia, quæ imprimentur. Interibi deſcribendam dedi hiſtoriam terræ ſanctæ à Textore deſcriptam primò: cujus folia mittam, Deo volente, brevi, poſtquam probè a me reviſa fuerint. De operibus maximi Vadiani n hil dum certi reſpondit Typog aphus. Videtur autem ad eorum editionem parum propenſus.

ſus. Fervet impreſſio nunc operis Antipiſtoriani: de quo accipies ſine dubio ex Compatre Dn. Eglino noſtro.

Sub prelo eſt & Regis Anglorum fidei confeſſio, Germanicè à me converſa, cujus exemplum miſiſſem, ſi ad finem fuiſſet perducta. Pax Genevenſium nondum rata dicitur. Quæ cauſa, cur Senatus Genevenſis hiſce diebus litteras ad noſtrum perſcripſit, ſe rogare, ut præſidia nondum revocentur. Quod illud ipſum Ducis infidum ingenium eſt, cujus meminiſti. Cetera ex eodem Dn. Eglino: uti & de Johanne Vitodurano, Minorita. Vale, amicorum optime, & Nobiliſſimum & Conſultiſſimum Virum, Dn. Schobingerum ex me officioſiſſimè ſaluta: quem & Typographus noſter Wolphius ſalutat, ac rogat, ut ſui apud Abbatem ne obliviſcatur. Iterum Vale. Tiguri, 22. Jul. 1603. Uxor mea te quoque unà mecum ſalutat, ac gratias agit pro donariis, quæ filiolis mercatus es abiturus.

Tui ſtudioſiſſimus

Caſpar Waſerus.

Nobiliſſimo eruditiſſimoq; Viro Meliori Goldaſto. Hamenvelroni, Dn. & amico fideliſſimo ac certiſſimo.

Santgalli.

LXXXIII.

Nobiliſſimo V. Dn. Meliori Goldaſto ab Heiminsfeld. J. C. S.

TU fortaſſè jam pridem a me reſponſionem expectas, at ego litteras tuas 29. Octobr. datas, 19. Januarii demum accepi, cum hiſtoriola illa tua de Gygante Aimone. Reſpondeo tandem paucis; plura daturus propediem. Altum tuum ſilentium, ſemel atque iterum non potui non mirari; ita ſane amor in te meus & obſervantia proclivis me jubebat. Audio excuſationem, eamque lubens accipio, ſimul quòd crebriores in poſterum offers litteras, toto amplector animuloque pectore. Quid enim gratius optatiusque mihi, quam à te, tuique ſimilibus, hoc eſt, hominibus eruditiſſimis

O chat-

chartaceo ſaltem, cum aliter non liceat, ſalutari colloquio? Interim nondum excidere animo meo ſermones illi, quos aliquando de Genealogia Goldaſtina texenda, inter nos habuimus. Prologum ejus ſub nominis mei auſpicio editum & lubenter patior & alios etiam, te ita exigente, perſuadeo, nec fidem meam fallam, totum per exam opus quâ poſſum diligentiâ, ubi omnia ad id pertinentia ſedulo collecta ad me tranſmiſeris, certè profectò nihil eſt, quod te monente, non lubens ſim ſuſcepturus; etiam cum jactura nominis mei: dum modo aliquid accedat ad tuum: quod equidem per ſe clarum, tenebricoſis noſtris facibus nec quicquam indiget. Poëtice ipſam ut æſtimo veneror que: ita & te validiſſime diligo, faciam itaque quod deſideras tam diligenter quàm libenter. Quod ſupereſt Doctoris titulum, quo ſolenniter es inſignitus, R.P. ſalutarem, tibi tuisque omnibus ut idem eſſe velim. Fratri Chriſtophoro, Suſannæ conjugi, & cæteris, quos me amare noſti, ſalutem adſcribo ſalvus. Vale adfinis excellentisſime, & amare perge

Amantiſſimum tui

Joſuam Malerum.

4.Feb.1604.

Genere, eruditione ac virtute excell. Viro D. Melchiori Goldaſto ab Heiminsfeld. J.C. Dn. adfini multis nominibus honorando.

Biſchoffzell.

LXXXIV.

ANnus jam eſt & amplius CL. V. idemque adfinis plurimum honorande, cum ad te miſi Epicedia in obitũ Matris tuæ beatiſſimæ memoriæ: quæ dum vixit erat vera virtutis imago. [illegible] temporis ne γ quidem Lucilianũ ad nos datur. Annea [illegible] vel vivisne? de utroque enim dubium me facit tuum ſilentium quod mecum Cl. Cerberus noſter, & Grobius admirantur. Varia interim mentem animum meum occupant; metus ille inprimis, ne forſan meus eſſe deſieris. Hoc, ſi me amas, quæſo me libera. In *Scobingeri* [illegible] noſtri, *morte* valde indolui. Sed [illegible] Deo ita viſum, optimum illũ ad

ad optimam traducere vitam; ad quam & nos adſpiramus. Idque eo ardentius quo copioſius indies ingraveſcunt turbæ & moleſtiæ. Adverſus luctum tuum, fragmentum de immatura morte Piorum ex l. Sap. c. 4. & 5. poëtica paraphraſi luſtravi, tibique dedicavi. Scripſi & odam exequialem; quam una cum fragmento; niſi jam accepiſti; à Dn. Eglino, compatre meo (qui & ipſe eleganti oda Scobing. obitum deplorat, & ad collacrumandum te implorat) brevi accipies. Rogo ut boni conſulas; & anſerem me inter vos ſtrepere olores æquanimiter audias. Hæc paucis rapui verius, quam ſcripſi. Dabo alias plura, cùm non ingratas tibi meas eſſe litteras intellexero. Conjux mea ſalva ſalvere te jubet plurimum. Vale, adfinis præſtantiſſ. & amare quæſo perge amantiſſimum tui

Joſuam Malerum.

Glatfelda Tigurinorum 24. Aug. Anno 1604.

Excellenti Viro
D. Melchiori Goldaſto ab Heiminsfeld: Muſarum & Gratiarum Alumno, in AltoSaxo &c. adfini peramanter obſervando S. P. D.

Hochen Sax.

LXXXV.

S. p. Supellectilem & libros quomodo acceperis, ſollicitus ſum valde, imbres qui à Clitellavii diſceſſu ingruerant: Plinii epiſtolas quarum tunc oblitus nunc mitto: Litteras tuas curavi rectè: Paræneticos, cum primum abſolveris, fac habeam, ita me urguet Typographus, quem vana ſpe, honeſtè non lactaverimus: Libri pro Baſtine Tiguro erunt comparandi, heic non habentur venales; Vadiani tractatū de monachiſmo & clero reformando, deſcribendū locavi. Ceterum quid arrideat conditio & qui acquieſcas, ſcire aveo: Vale & Udeshemium, cui à me epiſtolium, ſalvere jubeo; raptim S. Galli 15. Kal. Jan. Anno 1604.

T. Schobinger.

Domino Melchiori Hemisfeldio Goldaſto, Amicorum optimo.

Forſteg.

LXXXVI.

PAræneticos à tabellario veſtro, qui ſub veſperam tarde venit accepi, perlectos Typographo quantum poteſt commiſi cum iis legibus quas adſcripſiſti & nos jam pacti ſumus, id curæ mihi erit, tu fac modo, notas ad Germanos propediem habeamus: in exemplis diſtrahendis operā ſuam promiſit Wolfius, cui fidere nihil dubito &c. Variis qui circumferuntur rumoribus terrori vos non mirū; ita plena ſunt circumquaque omnia periculorum à Rhetis, à Valeſiis, à Bernatibus & Friburgenſibus: Sed tantum abeſt, ut bellum Pontificiis Tigurini indixerint, ut Comitiis quæ Aroviæ his dieb9 à religionis ſociis habita ſunt, de auxiliis in omnem eventum mutuo mittendis, intercesserint, ſemel nimirum icti nihil magis quam bellum reformidant, & frigidè nimis & lente nunc omnia agere videntur, quicquid ſit brevi fortâſſe menſiū aliquot malè cocta concilia emanabūt, & erumpet qui in cineribus diu latuit ignis, Deus qui ſuos in mediis turbis ſervare novit, noſtri miſereatur, à quo annos tibi precor feliciſſimos: proxime plura, hæc ad lychnum media nocte raptim Sangalli, Non. Jan. Anno 1604.

T. Schoblinger.

Tiguro nihil dum generoſæ cum accepi, ſed monebo tutores, proxima dominica die, gratias illi maximas meo nomine ages, de munere miſſo &c. Marnixii lib. proximè mittam, & addam tunc plura.
Suo
Melchiori Haminsfeldio Goldaſto, &c.

Forſtek.

LXXXVII.

S. P. Fererunt me, fratris mei nuptiæ, proximis hiſce diebus celebratæ quo minus ad te ſcripſerim, ceterum quid ceſſatim, ex typographi litteris intelliges, quas triduo accepi: Quia tam arcto temporis ſpatio, abſolvi vix poſſe videbatur, ipſeque quoque ſententiā mutavi, conſultius fore judicans, ſi ſtudio & diligentia exqui-

quiete potius, quam feſtinatione, quæ erroris plerumque mater, imprimi curaverimus, quare ita tandem convenit, ut initium quidem propediem fiat & prelo ſubjiciantur, cui fini chartam jam coëmi, & ſine feſtinatione, ea adhibita cura, iisque legibus obſervantur, quas jam eramus pacti: ita fiet, ut non ſolum ante diſceſſum tuum in Palatinatum perfectos, ſed etiam ad amuſſim correctos habeamus: & tu interim de hiſtoricorum Tomo I. adornando cogitabis. Sed brevi, volente Deo cum Generoſo tuo ad nos inviſes & cum Udeshemio & tùm coram plura.

De Lorhardo quæ innuis non placent, quod in tanta piorum & doctorum, quam heic habemus inopia, etiam illo privari patriam nolim, referam tamen, & quid animi deſuper habeat, ſciſcitabor: Generoſæ auctor potius ſum, de vocando parocho Altſtetenſi Mullero liberto & alumno ſuo Viro pio, modeſto & ſic ſatis docto, is recuſare munus nullo jure poterit, quamvis Altſtetenſes ingratis ſint illum dimiſſuri, & hoc ipſo Tigurinorum declinabit machinationes, quod meo nomine Generoſæ ſignificabis.

Proxima ſeptima Caſparum meum mittam ad vos à quo reliqua libri miſſurum te nullus dubito, videre illa & legere, unice nunc deſidero, dabis ergo operam ut quantum poteſt accipiam: Vale omnes mei te ſalutant, raptim Sangalli, 4. Febr. Anno 1604.

T. B. Schobinger.

Litteras à Wellero accipies, quæ proxima dominica die mihi redditæ ſunt, quid habeant, ſcire aveo, ſi reſcripſeris à me ſalvere jube.

Viro Clariſſimo
D. Melchiori Guldaſto, amico ſuo.
Förſteck.

LXXXIIX.

S. Quam recepi jam ipſe, hinc enim ordior & quidem te gaudere jubeo quia à moleſtiſſimo morbo qui repentino me invaſerat &

tantum non oppreſſerat revalui imo revixi: ad orci fauces deſtitutus jam videbar quod dubio procul à Baſtino veſtro qui tum hic fuit intellexiſti. Singularis Dei beneficentia eſt quod vivo, qui me bono Conjugis chariſſimæ, prolis numeroſæ & adhuc tenellæ & impuberis diutius ſupereſſe voluit, is faxit ut quod vitæ reliquum eſt, ad nominis ſui gloriam, Eccleſiæ & Reip. Commodum tranſigam. Caſparum meum ad te nunc mitto pro reliqua parte notarum tuarum in parænetic os, quas miſſurum te dudum ſcripſiſti & ego tanto cum deſiderio exſpectavi hactenus fruſtra, absque illis fuiſſet prelo jam diu commiſſi forent & magnam partem impreſſi, nihil aliud præter illas Typographum nunc remoratur, qui urgere me non deſiſtit, quare vehementer te rogo, ut per hanc occaſionem mittas, quo fidem Typographi datam liberare tandem poſſim, ne videar ſumptus quos feci fruſtra feciſſe.

Lorhardo noſtro quid animi ſit de functione illa Eccleſiaſtica ob Beati obitum vacante, ex ſuis ad te intelliges: Si res adhuc ſit integra & Generoſæ idem quoque animus qui fuit cũ de illa nuper ſcriberes velle & cupere illam multis de cauſis videtur, ſi ergo qua juvare illum potes, fac quæſo vel mea cauſa, ſi non ipſius & Eccleſiæ cui profecto egregiam operam cujus generoſam unque pœnitere poſſit vel debeat navare maximo cum fructu poterit, quod generoſæ meo nomine ſignificare potes: à qua obnixè pero, gratia & venia ſua tibi cũ generoſo tuo Udeshemio & Virgine per hos dies bachanalium ad nos interviſere liceat, quod te interprete ab illa impetraſſere confido præſertim vos ad amicam iſtam invitationem faciles vos mihi præbeatis & hac in re mihi gratificari velitis, ſunt plura de quibus coram diſſerere tecum cupio. Exſpectati ergo venietis ulla admiſſa excuſatione ſequenti ſeptimana ad VII. vel. Martii; quod ſi venire, quod nolim abnueritis vel qua cauſa non poteritis, per hunc eundem fac ſciam, cui quod reliquum

liquum eſt, mandavi: Vale & ſi me amas veni raptim. Sangalli ad d. III. Martii ſtili.

T. B. Schobinger. J.C.

Amicorum Optimo
Melchiori Goldaſto &c.

Forſteka.

LXXXIX.

Salve Vir Clariſſime.

MEmini ab Alexandro Platonico olim proditum, nec crebrò, niſi neceſſariò, cuiquam ſive dicendum ſive ſcribendum, nos eſſe occupatos. Credo quod totum hoc excuſationis genus plerumque putidum, vacuis & otioſis hominibus parum etiam veriſimile videatur. Ego me alterum moniti caput religioſè adhuc ſervaſſe probè ſcio. In prius ſi coactus impingo ipſe credo Alexander noxa eximat. Inter tot enim curas & negotia, quæ per caput & circa ſaliunt latus, cum amicorum officiis ſæpe deeſſe cogar, quidni quod res eſt, ſi uſus veniat etiam centies iterem? Certe reſponſum ad ſuaviſſimas tuas literas aliunde auſpicari non licet. Eas VI. K. Decemb. datas his demum diebus neſcio quis Callippides attulit, tempore quo ego occupationum mole tantum non obruebar. Ego paucis tibi nunc quidem ſatis fieri patieris. Affectum, quem offers, obviis ulnis amplector, & redamantem à te amari tibi perſuadeas, quod factis quam verbis credas malo, ſi quid unquam erit, quod in rem tuam, tuorum, à me præſtari poſſit. De Geroldo abunde admetitus es, & quidem ni tempore, quod omnium gratiſſimum; Geroldus enim tum maximè in hiſtoria Boica, ſub ſtyli acumine erat. Et Theganus de geſtis Ludovici Pij, quem à Pithœo editum non [illegible] Hiltegardis matrem diſertè Immam appellat, tu Rhegardem [illegible] filiam, ut Imma Hiltegardis fuerit avia. De theſauro illo [illegible] antiquitatis, vellem ſcripſiſſes diſtinctius, nam ego quidem argumentum libri non ſatis capio, neq; ſcriptionis genus an CXLV. auctorum, quorum ad XXXV. nomina poſuiſti, ſinguli partē aliquā [illegible] & quo collectore? quæſo fac ſciam explicatè.

De

De Turone & Fridebrando nihil nunc in mentem venit. Neque in VVinsbekiis te juvo. VVinsbekiorum familia nuper apud Bojos intercidit, quæ an huc quidquam faciat, cogitabis. Zappes Stifft & Oggelvedel mihi cum ignotiſſimis ignota ſunt. P. Gretſerus oſtendebat, hac tranſiens, catalogum collectaneorum antiquorum, quæ in duos Tomos digeſta te Moguntiaci brevi editurum ajebat; te dignum erit promiſſa repræſentare, tum alias præterea opes, quas ingentes apud te & apud Clariſſimum Schobingerum, cui amantiſſimam ſalutem reſcribo, condi video, bono Reipublicæ Litterari promere. Vale & deproperatæ ſcriptioni ignoſce; nam profectò hoc ipſum ſemihorium vix aliis negotiis ſuffuratus ſum.

Aliàs prolixiores exſpecta. Interim meam brevitatem atque jejunitatem imitari noli, neque enim dubitare debes, litteras tuas, quò longiores, eò mihi chariores futuras. Auguſtæ Vind. prid. Non. Febr. Anno 1604.

Tuus

Marcus Velſerus

Viro Clariſſimo
Dn. Melchiori Heminsfeldio Goldaſto,
St. Gallen.

XC.

LOrhardus quia videt tantam noſtrorum hominũ invidiam ſuſtinere ſe diu non poſſe atque oleum & operá hic ludere, de alia aliqua conditione quam miſera etiam cogitare videtur, quam te quantopere noſtram operam requirat ex ſcheda vides. Quæ apud vos oblata videbatur conditio quam exoptata de ea ſpes nondum intercidit, ſi modo rectè accuraverimus: Nam quod ſcribis Tigurinos qui ſuorũ aliquem ſint promoturi obſtare, [illegible] mihi videtur, ex Lemanni literis ad Lorhardum, cui ſic large operam ſuam hac in re pollicetur, & de conditione quaſi jam certa illi congratulatur, quantum ego intelligo nihil aliud reſtare videtur, quam ut Generoſa illum à Tigurinis per literas petat, quod ut quantum poteſt faciat

faciat pluribus ad eam perſcribo, Stuckius rem omnem curabit; ſi quid deſuper ad illum perſcribat, vel à te ipſius nomine ſcribi curet, de ſucceſſu ſpondere auſim; quicquid ergo ad promovendum illum facere poteris omni ſtudio facies, & ſi qua potes juvabis, ut voti fiat compos quæ faxit Deus. Vale. Raptim S. Gallo, 4. Martii.

Amicorum optimo
Melchiori Goldaſto.
Forſteke.

XCI.

S. Caſparum denuò mitto pro reliqua parte notarum tuarum in Germanicos Scriptores, quas diu jam fruſtra exſpectavi, quid cauſæ quod non miſeris, miror, fidei meæ committere dubitas? ſub prelo ſunt parænetici ut vides, in quibus ſedulo perget Typographus, ſingulis hebdomadibus 4. ad minimum folia impreſſurus: Quare ne quid porrò remoretur, non comittes, ut ſine illis redeat; Litteras incluſas his diebus Tiguro accepi, quas Generoſæ legendas mitto, mercatores noſtri proxima ſeptimana, ad nundinas Francofurtum profecturi ſunt; ſi Heidelbergam vel eo ſcribere quid velis ad me mitte & recte curabuntur. Vale; Generoſæ Udeshemio à me ſalutem. Raptim 13. Martii 1604.

T. Schobinger. J.C.

Melchiori Haminsfeldio Goldaſto,
Amicorum Optimo.
Forſtek.

XCII.

S. Fl. Dn. D. Bartholom. Schobinger. Communis ille noſter, Goldaſte, fuit: Fuit certè, dum in vivis erat, utriusque noſtr. ſtudioſiſſimus & ferè plus prædimidium vitæ noſtræ, ſed 5. Kal.

 Jul.

Jul. graviſſimorum ſymptomatum illorum (quæ noſti) ſyndrome confectus, novoque ſuperveniente Paroxyſmo Apoplectico, quaſi ictu oculi oppreſſus, Naturæ ſatoque concedens, eſſe deſiit: magno meo Goldaſte (ſeu fortè & tuo quoque) cum in commodo, luctu lachrymisque meis nunquam eluendo. Doloris mei magnitudinem è funere tam funeſti accepti pluribus ad te perſcribere nec per otium licet (nam tabellarius urgendo mihi adſtat) nec etiam lubet. Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet. Hæc indicaſſe ſufficiat: reliqua propediem coram. Nam Patrueles mei, defuncti noſtri fratres, te præprimum ad ſe venire percupiunt, eoque nomine ſolo illum, qui has tibi reddidit literas ad te miſerunt, ut te advocet, tuque unâ ad ipſum proprimum venias. Feſtinationis cauſam aliam neſcio, quam Typographi tui, Indicem urgentis, importunitatem cum petacitate ſumma. Quod ſupereſt, Goldaſte, literæ duæ 19. Junii ad me datæ nudius tertius mihi demum fuerunt redditæ, quia per aliquot jam dies Medicinæ faciendæ cauſa peregre fui. Vale amicorum optime, & advolando deſiderii noſtri nos compotes redde. Sangalli 7. Eid. Julii Anno epochæ Chriſtian. 1604.

T. ex animo

Sebaſt. Schobinger. D.

XCIII.

S. Nob. & Cl. Goldaſte.

ERuditioni ſummæ ſummam pariter humanitatem conjunctam eſſe ſolere, iſtaque numquam non ferè in uno homine paria facere ſæpiſſimè audivi, numquam tamen, tango hoſce oculos, ſic hoc reapſe expertus, præquam ex tui notitiâ atque familiaritate, in quo ipſæ, quas me dixiſſe commemini, virtutes tam amicè cooperant. Bonam verò ſcævam, & ô me felicem, qui Purſchio meo comes, cōpellare te auſus fuerim. Nunquam cuiquam ſuam audaciam tam benè voraſſe autumo. Quippini? non ſolum tuo colloquio qui fruerer dignus judicatus, ſed etiam in arctam amicitiam ϗ ἑταιρικῶς (ut meus longus loquitur) λυθῆναι μὴ δυναμένην receptus, quanto meo gaudio, quan-

quanto! Domine mi amicorum nobiliſſime, tibi probatus eſſe malim, ἢ πάσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν. Nec minori gaudio delibutum me ſenſi, quum illum animum tuum perſpexerim adeo cupidum Reip. literariæ qua juvandæ, qua augendæ. Bonum factum, cogitabam, quod noſter Hamenvelto , iſtas opes librarias & theſauros Muſæos ſit indeptus. Tale ſi βιβλιοτάφῳ cuidam obtigiſſet, quam ſe magnificum virum, quàm faſtidioſum faceret, citius certe tineis & blattis quam Philologis & Philomuſis aditum permiſſurus. Tu vero, Clariſſ. Domine, in alia potius is omnia. Patere vero & permitte, quæſo, ut & ego, quamvis adhuc ignorabilis & alicujus an nullius eruditionis homo, tui tamen admirator & cultor (ſi ſciens fallo) ſingularis, permitte, inquam, ut & ego benè feliciterq; acclamẽ, teque adhorter, ne diu & longâ morâ (qui mos hodie invaluit) nos teneas, ſed quam primum tua rara atque inviſa emittas. Scis enim, Domine mi, ποθεῦντας (quod Siculo Poëtæ ſcriptum puto) ἐν ἤματι γηράσκειν. Quid nos putas, qui adeo ardenter & impatienter Petronium tuum Gloſſariaque & alia, ad quæ te pranſum atque paratum acceſſiſſe novimus; exſpectamus? ἔξεχ' ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε. In longo meo aliquam multis locis me juvare poſſes, quos tui arbitrii facerem, niſi neutri noſtrum liber ad manus eſſet. Quamvis quid de longo longius? Fortaſcan prorſus mittam hanc de pectore curam, tamen etſi Scaligero, Grutero, Heynno, Ritterſhuſio, at quantis viris! hoc inſtitutum noſtrum haud improbari ſenſi. Verum Rigaltio concurrere ὁ θέμις οὐδ' ἀσφαλές. Narrationem de Apollonio Tyrio quamprimum hîc habere potuere tibi mittam. Alteram vero è manuſcripto quum Lipſiam pervenero. Tu inſubidas haſce literas, quia ſubitaneas boni jam conſules, & ex animi tui ſententiâ valebis & ſalvebis. Ita faxit ille παίων ψυχῶν, παίων νηῶν, Δώτορ σοφίας, ἐλατὴρ νόσων. ut cum Syneſio finiam. Scribebam Francofurti ad Mœnum 14. Aprilis 1603.

Dn. Purſchius te plurimum ſalvere jubet, & ut prima occaſione literas ad Heynnium &

Scriverium hæc mittas deſiderat, ipſeque ſe ante abitum ſuum ad te ſcripturum ſuumq; Salluſtium propediem miſſurum nuntiat.

T. addictiſſ.

Gothefredus Jungermannus.

Viro Nob. & Cl.
Dn. Melchiori Hamenveltoni Goldaſto,
Philologorum eximio, Dn. & amico meo ſingulari.
Heydelbergæ.

XCIV.

CAvi hactenus ſedulò, & quantum in me fuit, nequis amicorum meritò fidem forcillaret meam. Nunc vereri cogor autem, ne tu, Clariſſ. amice, hanc fidem fluxam adpellites. Ita ſanè, quæ incoram pollicebar, hæc inebræ quædam hactenus tardârunt, & quo minus plenè effecta dem, tardant. De Narratore hiſtoriæ Apollonii Tyrii dico; quod ne ſuſpicare, quæſo, mihi exeidiſſe negotium. Amici enim cujusdam incuriâ, cui Francofurtum proficiſcens reddendum in Bibliothecam noſtram Academicam tradideram, fuit ſepoſitus liber, ejusdemque immemoriâ factum, ut ubi liber ſit ipſe neſciat. Absque eo foret, jam miſiſſem. Satagere itaque me ſcito, quamprimum ut recipiatur, & deſcriptus tum ad te mittatur: ſin, videbo an editionem Auguſtanam habere queam, exque meo quas adſcripſi variantias lectionum tibi ſedulus enotabo. Tu, Clariſſ. Dn. ob moram hanc mihi ne ſuccenſeas, vel inclementer dicas. Dabo operam ne me diu reliquatum eſſe ſentias. Ad alterum de Lipſio quod attinet, en tibi illam epiſtulam cujus mentionem apud te faciebam. Alia ad hanc cauſam quæ ſpectant, dedit mihi N. L. At Putſchium talia hæc ad te ſcilicet perſcripturum. De illa vero oratione Lipſii de duplici concordiâ quæſo ſis meminens, & ad nos, ſi commode potes, exemplum procura. His enim oculis eam nondum uſurpavi. Et, ut aliquid de noſtris addam, turbellas quasdam dant poëtaſtri quidam laureati à Bilovii cujusdam manu. Illum enim poëtaſtrificem Bilovium (ſi modo in luſtris viri fama ad vos ſe penetraverit) acriter contudit Frid. Taubmannus Profeſſor Poeſeos Wi-

Wittebergæ, editâ diſſertatiunculâ forti, falsâ tamen. Et ante eundem Bilovium Spongia Rittershuſiana ἐξύγησεν ἐν χεῶ. Ergo ex illis ſubjuncta ſtris unus proſiliit, & Epigrammata inficeta, Juppiter & inveniſta, ſtulti monimenta furoris edidit, quib9 Taubmanno flagitioſe inequitat. In iis autem & Rittershuſium (quem ille bonus vir tamen ſe noſſe quis ſit cujatis ſit planè infitetur) improbè perquam & inſaniter impetiit, ſub nomine Polyphemi ſpongiati. Sed factum bene! Ei ſtatim tantũ mundo fuêre verbera, ſed literata. Reſpondit enim pro ſuo Rittershuſio quidam Amandus Roſacius feſtivè & eruditè, ut hominem eruditum & feſtivum decet, qui quoniam notus hâc στηλιτευτικῇ eſſe fugit, ego eum ſanè gnarigare (ut Livii verbum utar) nolim. Et ſanè tibi nec ignotus, nec inviſus eſt, cujus eam epiſtulam mitto. Alias meas literas quas Francofurti jam ad te ſcripſi, tibi traditas autumo. Tædio tibi reor jam ſatis fui, Clariſſ. Dn. mearum inſubiditate. Addo verò & laborem (ſi modò labor tibi eruditam faculam prælucere ubi mihi non lucet) quoniam chartæ aliquid vacat. In Sarisherienſi nempe his diebus fui, ubi quædam ita ignoro, ut me ibi fuiſſe tamtum non dubitem. In verſibus ad opus ſuum hos non intelligo: *Si develatam faciem monſtraverit, aut non perſtringat viſum caſſibus ille tuum.* L. I. Policratici c. 5. Hinc *teſſera, calculus, tabula, urio vel dardana pugna, tricolus, ſenio, monarchus, orbiculi, taliorchus, vulpes &c.* In his ludis qui ſint urio (ſi de equeſtribus loqueretur, putarem Troja fuiſſe,) tricolus, monarchus &c. tu me doceſis. Ib. c. 8. Hinc *mimi, ſalii, vel ſaliares, balatrones, ſtemihani, gladiatores, palæſtritæ, gignadii, præſtigiatores &c.* Novi omnes præter gignadios. Legi quidem in gloſſ. Arabicol. à Vulc. editis. Gignarus, delirus. Quod an hic locum habeat, οὐκ οἶδα. Ib. c. ult. *Aquila namque ſicut rex avium eſt, ſi non alarionem excipias, quæ forte aquilarum ſpecies potentiſſima* eſt. Alarionem alibi autorum non legi. Ib. *avis picta urbi Pictavorum contulit nomen, levitatem gentis, colore & voce præfigurans.* Quæ illa avis picta? Quæ poſt ibidem, *avis quæ vulgo dicitur Albanellus?* cur ibidem regulus dicitur *bitriſius?* Subjicerem & quædam leviuſcula, quæ emendare tentavi.

 Sed

Sed ſpatio excluſus iniquo deſino, & huic libertati meæ veniam oro, fac ſis exorem. Vale, clariſſ. Domine, & πολυτάλαντα tua opuſcula tandem in publicum emitte, quod tibi nobisque benè vortat. Scriptum Lipſiæ 18. Junii. 1603, à tuo Gothofredo Jungermano, qui te amat, ſeque tuum librâ novit & aere magis.

Nob. & Cl. Viro
Dn. Melchiori Hamenveltoni. Goldaſto,
J.C. & Philologo eximio, Dn. & amico meo.

Heydelbergæ.

XCV.

Jacob. Lectius JC.
Melchiori Goldaſto S.P.

VAdiani veſtri epiſtolam tam diu inter ſchedas meas quæritatam, vix repertam, miſiſſem jam, mi Goldaſte, ſi aut quò, aut per quem ſcribere poſſem, conſtitiſſet. Commodum venit pauculis ante horis, qui eodem pertinentes literas tuas reddidit mihi, & ecce ſuperiore excuſatione præmiſſa per eum mitto, quem confido rem tibi & clariſſimo Dn. Schobingero exoptatiſſimam redditurum. Publicæ noſtræ res, de quibus conſulis, in pace jam, & id velim ſingulari Dei providentiâ factum putes: quæ & ipſa veſtro beneficio & autoritate uſa in eum finem. Forte erit ut in novum vigorem jam ſchola noſtra erigat ſeſe; & ſperamus Germanicam aliquam nobilitatem huc comeare tutò poſſe ſeu linguæ & religionis cauſa, ſeu ſtudiorũ. Dn. Gothofredus, vetus Collega meus, ab diebus aliquot nobiſcum eſt, utinam futurus etiam porrò. Dn. Caſaubonum & hic fuiſſe & in Galliam revertiſſe non ignoras. Auxiliares copiæ veſtræ, Tigurinæ inquam & Bernenſes, quia pax non infeliciter pacta eſt cũ Principe, in fines ſuos reverſæ ſunt per hos dies. Reliqua ut ſolitum. Ubi eris Heidelbergæ, non indiligenter ad te ſcribam. Tu rogo mutuũ facias. Dn. Schobingerum amanter & reverenter ex me ſaluta. Dat. Genevæ V. Cal. Aug. 1603. Raptim nocte concubiâ.

XCVI.

XCVI.

Vir Clariſſime.

QUo tu Schobingeri memoriam cumulatius dilaudas, ego eo impenſius de ejus abitu doleo. Et debeo ſanè, ſiquidem ille me vivus amavit, ut narras, neque viſum, neque de illo quidquam unquã meritum. Sed mi Goldaſte, ſemel hæc omnibus via terenda eſt. XXXVIII. annos exegit, quid ſi altero tanto duplicaſſet? curricula quidem plura abſolviſſet in circo, favente & placidente opinor ſpectatore; huc tamen tandem deveniendum fuit, hanc metam nemo mortalium effugit, nemo effugiet, omnium noſtrum ad eam fracti currus impingunt. Et benè ſi currus tantum, nec auriga anima excidit, alliditur, trahitur. Intelligis, quid velim & quoniam intelligis, fac tibi quæſo, ſeriò cordi eſſe. De Paræneticis amo vos, etſi rubore perfuſus; nam ſi ærea frons ſit, non duret ad poſtremam dedicationis pagellam. At ego affectum, non rem, ſpecto, & quo longius à vero in hac cauſa abis, eo me tibi plus debere ſentio. Utinam aliquando reponere liceat, occaſioni, quæ ſe offeret, non deero, dices te beneficium apud memorem collocaſſe. Egi cum Willero diligenter, ſtatim annuit, ſe æquo pretio centum exemplaria redempturum. Ut verò intellexit, heredes omnia ſimul velle divendere exemplaria, ad mille quingenta eſſe, pedem retulit, neque ut tibi ſimpliciſſimè, quod res eſt dicam, ſpem video, vel Willerum, vel noſtratem ullum Bibliopolam omnia empturum, niſi viliſſimo pretio. Valde vellem exempla aliquot, ducenta trecenta puta, ad Francofordienſes nundinas miſiſſetis. Hiſtoricorum duplex volumen in Moguntinenſis Typographi manibus dudum eſſe opinabar & illum quercum adhuc excutiendam eſſe cenſeam. Ingolſtadienſes Caniſii ſequentibus Tomis antiquæ lectionis ſumptus negant, ſextus nunc nundinis prodibit, opinor ſed jam ad ſeptimum, imo octavum etiã, materia parata erat. Libros longi fori eſſe cauſantur, per paucos capi hoc antiquario ſtudio, quod ideò moneo, ne in illis ſpem ponas. Auguſtani Typographi, tenuiores ſunt, quàm ut propriis ſumptibus

pau-

paulò grandioris molis librum aggrediantur. Tyrole & Winsbekio imprimis delectatus ſum, & quam vellem totum illud carminum volumen ab homine docto & diligente, qui tua veſtigia ſecutus eruditas notas adderet, in vulgus dari? Principe aliquo Viro ea cogitatio digna ſit, aut certe homine, qui animum Principe dignum gerat. Vale. Aug. Vind. VI. Id. Sept. Anno 1604.

Tuus

Marcus Velſerus.

Nunc literas à Frehero accipio, qui Notgeri tertii Abbatis S. Galli verſionem Barbaricam (ita inſcripſit) id eſt Germanicam Pſalterii totius, paraphraſi VVilleramianæ ſimilem, apud ſe eſſe ait, & publico offert, ſi Typographum inveniat.

XCVII.

S. D.

QUid hoc rei eſt? Parænetic os tuos etiam ad Taubmannum? ſolent, quæ ſunt talia, doctis mitti & claris viris: alterutrum me cenſeas, erras: nec ſoliti ſunt, quod ſcis, hîc quæri qui ſunt iſtarum Muſarum. Quid faciam? mi clariſſime & excellentiſſime Vir, erubeſco (ſi poſſum in hac febre penè ſeptimeſtri) & munus accipio. Hoſtimentum à me quidem cave ullum exſpectes; non do: non poſſum, qui me diſcipulum veſtrum ultrò profiteor, & cur nõ? cùm me quotidie in libris veſtris aliquid doceatis. Gratias tamen ago; & una opera ſignifico, Plautum cum com̃entario DOCTORUM VIRORUM, ne tu Taubmanni putes, lucem propediem viſurum: in quo & tua quidem omnia, ſpero, invenies: atque ita ſalvebis à tuo

Taubmanno, qui nondum ſalveo. Witebergæ 9. Mart. Anno 1605. manu languida.

Tuis verbis, ſed meo affectu, ſi potes, quem calidiſſimum ſcias, ſaluta Nobilem illum Gruterum. Imò & tuum, quid tuum? imò & noſtrũ Schobingerum JCtum, etſi mihi de facie adhuc ignotum: virum, ut intelligo, nihilominus ab ipſis Muſis factum.

Clariſſimo & Eximio
Viro Melchiori Heimensfeldio Goldaſto,
Domino & Amico ſingulari.

XCIIX.

XCIIX.

S. P. Hem, ubi fides? ubi non dicam promiſſa apparent, ſed vel literulæ, quæ de loco, ubi verſeris, de rerum tuarum ſtatu, de valetudine amicos certiores faciant. Equidem enim nihil accepi, niſi nuper Spiræ faſciculum tua manu mihi inſcriptum, in quo cum alius ſpecimen Tomi Suevicorum, nullo autem textu epiſtolari, neque ſalute quidem intus. Quod omiſſum ut ſerio purges, vide mi Goldaſte literis tanto longioribus. Ego haſce jam effundo, abituriente Domino Hippolyto Præſide ad Helvetios veſtros & Rhætos, miſſu Principis noſtri ſed & ſua ob negotia privata & ipſe ego ſum in procinctu, tendens Lupodunum ad Epiſcopum VVormatienſem, à quo nomine mei Principis inveſtituram arcis & Oppidi Heidelberg. accipiam. Neque hoc te cælo, feudo quodam in Oberluſtatt prope Germersheim me à Principe nuper donatum. Per dictum Præſidem tutò & commodè ad me mittere poteris, quæ voles: voles autem quæ debes. Imprimis VValefr di illa ſive alterius ad Germanicas voces pertinentia expecto. Nam id argumentum mihi jam ſub manibus. No.kerum totum jam evolvi: ſed relegere operæ pretiũ videtur, quia prima lectione multa effugerunt. Quæſo, ſi fieri poteſt, age ut juſto pretio codex ipſe mihi tranſcribatur, facies gratiſſimum, & nihilominus copiam edendi tibi ſalvam habebis. Et quis ſcit, ubi viciſſim poſſim gratificari. Et hoc ſerio rogo, ſi quid eſt quod hoc tempore rogare te amicum velim. Vale & ſalve, ſal. plur. Dominis Stuckio, VValero (huic brevi ipſe ſcribam, ubi librum ejus perlegero, de nummis Hebræorum, quo me donavit) Grynæo & ejus notæ viris piis & doctis. Dab. raptim Heidelbergæ 10. Aug. 1605.

Tuus mn: ſtudio

M. Freherus.

XCIX.

S. D. Brevior ſum, mi Præſtantiſſime Hamenvelto; quia dubito, utrum Francofurti nunc conveniri poſſis. Et cui bono me occupem literis ne quicquã ſcribendis, ſi tibi forte non traderentur? Scias tamen, me Te, præſtantiſſime Melior, intimo & calidiſſimo affectu

 ama-

amare & æſtimare; etſi calamo tibi me non pingam. Mitto diſſertatiunculas noſtras. Nam eliciam tua, ſi quæ habes domi obſervata ad Plautum, quæ publicis tuis ſcriptis adſperſiſti, jam excerpta à me ſunt. Editionis quidem hujus me pudet pigetque. Itaque alteram paro, quæ melior erit, aut ipſe non ero: niſi me tu & omnes docti deſeratis. Ecquid Nobiliſſ. Lectius? noſtin virum? Saluta, quæſo te, meis, imò tuis verbis, ſed meo affectu, quem ſcias calidum eſſe & venerationis plenum. Si ſcirem, tibi hæc rectè traditum iri, plura ſcriberem. Nam cur dubitem, facit & quod ad illas meas, quas antehac ad te emiſi, necdum reſponderis. Ut ita inhumanus ſis, aut ego ita adſpernabilis tibi, abſit ut ſuſpicer. Non accepiſti, ſatis liquet. Vale cariſſimum caput & ſalve à Tuo

Taubmanno, *qui hæc feſtinabam*
30. Aug. 1605. VVitteberga.

Clariſſimo & Præſtantiſſimo
Meliori Hamenvelto Goldaſto, Domino
& Amico ſingulari.

C.

S. Litteras tuas Domine & affinis honorande, accepi eo tempore quo affixus lecto, morbo colico graviſſimè laboravi, quo non nihil allevatus de medicorum conſilio thermis noſtratibus ſex ſeptimanarum ſpatio uſus ſum non infeliciter Dei beneficio. Et hæc quidem cauſa eſt tardioris mei reſponſi ad humaniſſimas tuas litteras, quæ quidem me in hoc ipſo meo morbo, & [illegible] qui cum conſecutus eſt, longuore mirifice recrearunt. Ex [illegible] intellexi, te relictis vitæ aulicæ fluctibus in quietis & [illegible] portum contuliſſe & ad rem familiarem ac domeſticam animum tuum applicaſſe, quod tuum inſtitutum Deus bene fortunet, tibique fidam aliquã vitæ hujus reique familiaris ſociam & adjutricem adjungat. Et tamen ut liberè & ingenuè, quod ſentio tibi, cum venia & gratia tua aperiam

tiam, te in celebri aliqua Academia vivere & florere, quam in angulo illo neſcio quo obſcuro latere mallem. Sed forſan illud αβιώσας tibi magis arridet, nec tamen præclaræ luculentæque tuæ lucubrationes te latere ſinent. Sed magnam tibi & illuſtrem laudem atque gloriam conciliabunt. Ac illas quidem, quarum in litteris tuis mentionem feciſti, & quarum, mihi exemplaria promiſiſti, valde deſidero, avideque exſpecto. Mitto tibi has litterulas Heydelberga a D. Hippolyto à Collibus huc allatas. Novi quid ad te ſcribam non habeo, niſi forſan ſcire vis illuſtriſſ. Ducem Bullionium literas hiſce diebus per Viledingum Bernatem miniſtrum ſuum ad 4. civitates Evangelicas miſiſſe, quibus partim gratias iis pro legatione illarum, & interceſſione apud Regem Galliarum (quæ tamen irrita fuit) agit maximas cum promiſſione Studiorum & Officiorum ſuorum, partim de inimicorum ſuorum calumniis, quibus oneratur, graviſſime conqueritur. De quibus D. Tilenus quoque Theologus Sedanenſis privatim ad me ſcripſit, ita ut exigua adhuc ſit ſpes reconciliationis ejus cum Rege & reſtitutionis in integrum: miſeret me ſanè heroici illius viri & de ſua Patria, de Eccleſia, de Rege illo optimè meriti: Deus det ei patientiam, innocentiam ejus patefaciat, eumque priſtinæ dignitati libertatique ſuæ reſtituat, quod precor animitus. Vale Domine & affinis ornatiſſime, meque tui ſemper amantiſſimum & obſervantiſſimum redamare perge. Tig. Kal. Septemb. Anno 1605.

Tuus

Joh. Guil. Stuckius

Genere, doctrina, virtute ornatiſſimo Viro
D. Melchiori Goldaſto, J.C. Domino atq;
Affini ſuo percaro & obſervando.
Zu Biſchoffszell.

CI.

S Miraberis forſan V. Cl. quod te aliis rebus occupatum meis literis alloqui audeo. At ubi cauſam intellexeris, ſat ſcio, aliter ſenties. Jam pridem ex editis tuis ſcriptis intellexi, te non tantum eruditæ antiquitatis in Latina lingua perquam ſtudioſum; ſed & hiſtoriæ antiquitatis diligentem indagatorem eſſe. Et ex Bibliothecis publicis & privatis & ex Archivis plurima antiqua diplomata & Inſtrumenta ac res abſconditas luce tamen dignas ad manus habere. Earum ſi mihi copiam faceres, & hiſtoriæ antiquæ ſtudioſis omnibus, & mihi ad inſtitutum opus perficiendum, rem gratam & neceſſariam præſtares.

At, inquies, quæ hæc eſt impudentia ab ignoto ea importunè flagitare, quæ quis magno ſumptu & labore in privatos ſuos uſus collegit? Scias me tibi non planè ignotum eſſe, & ex communicatis ſtudiis notiorem & familiariorem fore: nec etiam eum eſſe, qui aliena pro ſuis venditare & alium ſuo honore privare velit. Sed ipſa inevitabilis neceſſitas me cogit, ut hoc à te flagitem, Impoſitum eſt onus Germ. Chronicon Stumpfii continuandi; In hoc hactenus multi multa deſiderarunt. Si quid ergo auctione aut emendatione dignum in ſcriniis tuis habueris, rogo petoque ut illa habere valeam, quo nominatim cum tua laude illa addere & aliis communicare valeam. Inprimis quæ in Reip. S. Gallenſ. aut Epiſcop. Cellenſis continuatione neceſſaria erunt, colligas & commodo tempore per Briſagerum noſtrum vel alium fidum nuncium ad proprias manus tranſmittas. Senties me aliquando gratum futurum. Vale V. Cl. & hæc mea boni conſulas. Sept. 7. 1605.

T. t.

Marcus [illegible] V.D.M.
Kilchbergæ ad lacum Tigurinum.

Cl. V. & antiquæ hiſtoriæ ſtudioſo
D.D. Melchiori Guldenaſtio, Viro optimo
& amico aureo.

CII.

S. P. Scripſi nuper ad te, amiciſſime Goldaſte, per D. Præſidem Hippolytum, qui Tiguri VVaſero eas literas reliquit: ſpero te accepiſſe. Jam tuas accipio, cum fragmento Strabi, de quo plurimum te amo, & ſartum tibi ſervabo. Suevica tua & Sibyllam Fr. Francofurto (ubi nundinis hiſce non fui) expecto. Cupio per otium conjecturas tuas, quod Notgeri ſit liber ille fabuloſus de Carolo M. Sangallenſi Monacho à Pithoco & Caniſio tributus, conſignes & mittas: & quæ præterea ad Tomum meum Francicorum conferre habes, quæ in ſcheda mihi conſignaſti. Præſertim Fredegarii illa videre & cum Caniſianis conferre cuperem. Quid ſi etiam regulam Benedicti videndam communices, ſalva tibi omnia erunt. Neque epiſtolarum ad me Henr. Stephani obliviſcaris. Viciſſim me meaque omnia parata habes. Cuperem te propiorem habere, vel potius omnino noſtratẽ eſſe. Domus illa Stuckiana, de quo ſcribis, ſita eſt in oppido Billigkeim, trans Rhenum in ambactia Germersheim ana, prope Landavv, locus ignobilis, neque tibi (ut videtur) habitabilis aut idoneus. Vendere ipſi cupiunt. Sed plura alias de hac, cùm Gernandũ audiero, quem hac de te domi quæſivi, non inveni. Itaque differo, & te cum amicis ibi, ſalvere à me & amicis qui hîc, præſertim Lingelshemio, jubeo. Literas Scaligeri ad te de quibus ſcripſi recipiam ſpero, & ad te curabo. Dat. raptim 27. Septemb. 1605.

Tuus omni ſtudio.

Marq. Freherus.

Dem Edlen/Ehrenveſten
Melchior von Heimingsfeld/genant Goldaſt/
meinem beſonders günſtigen lieben Freund.
Zürch/oder Biſchoffszell/oder St. Gallen.

Poſtſcripta.

De rebus noſtris 1. literis, iſta. Ad Alemannica necdum invenio, quod conferam. Mitte tamen rogo rogo, folia excuſa ſub inde,

 Forte

Forte ſub finem aliquas Notas meas ad legem veterem Alemannorum adjungere dabitur, ſi plus ocij, jam enim occupatiſſimus.

De Notkero diſcurſum tuum avidè exſpecto. Juvabunt aliquid iſti verſiculi Pſalterio antiqua manu præſcripti: quibus nihil addidi, niſi quod ibi inveni. Notas ipſe intelliges, & ad ſua verba referet. Si apographum ipſius ſuper Notkero Metzleri miſeris, rem non ingratam feceris. Libellum illum MS. ſive Notkeri, ſive Werneri Francicis addendum, non repugno, fiet. Et Weiſini viſionem: quam commoda occaſione remittes, quamvis malim adhuc Alemannicis accedere, cujus tamen verſus video jam à Caniſio præraptos. Sed non moror. Itaque Typographo de Francicorum Tomo ſpem certam facere poteris, ſed non ante nundinas tradendo. Multum enim operæ relectio & recenſio requirit. Interea conditiones, quas ille offert, in ſpecie ſignifica, quantum in ſingula folia, quot exemplaria loco mantiſſæ. Nam & Wechelus, ſi urgeam, ut obtulit, aliquid faciet. Richardi Chronicon olim D. Bongarſio donavi, ſibyllica videre ſaltem aveam. Ut & epiſtolas aliquas Petrarchæ ad Carolum IV. Imp. ineditas: quarum meminit ſcholiaſtes Valeriani Cimelenſis, Moſcovicon inierarium exſpectabo, ſi qua occaſio offertur mittendi. Non ſine lege redhoſtiendi. Ad Paræneticos addere poſſum Alcuini nondum editam regulam honeſtæ vitæ, ad Matronam quandam ſcriptam in MS. meo.

Panditur ecce liber, ſolvit ſignacula Notker
Abdita perſpicuis ſeptem ſpeculatus ocellis.
Guſta quam ſapiant quia quarto vaſe nec obſtant.
Balbus erat Notker, *Piperis granum* fuit alter,
Tertius hic *labio* datus eſt agnomine *lato*:
Pectore mandatum geſtans labio quoque latum.
Latior hinc labio puto nemo videbitur illo.
Ecce favos labio quales ſtillat tibi lato.

Ver-

Verſus Notkeri:

Obſecro peccator, tu cor compunge creator.
Tu mihi da meritas lachrymis, extinguere flammas
Et miſero dignos inferni perpetis ignes.
Salvifica populum clemens extolleque cunctum:
Et ſuper Eccleſiam tua ſit benedictio ſponſam.
Rex tibi per cuncta loca tempora laus ſit & ultra.

CIII.

S. P. Et epiſtolam & munera tua mihi reddidit veſter Diaconus: Goldaſte nobiliſſime, quæ longè gratiſſima fuerunt, cum quòd opera illa tamdiu deſideravi, tum quòd priſtinam tuam in me benevolentiam clariſſime declararunt, tum deniq; rerum ſtatum tuarum, & ubi locorum eſſes, mihi ſignificarunt. Certè gaudeo vehementer in patria te eſſe, & ſedem figere conſtituiſſe. Inſidias verò illorum, qui tibi & omnibus orthodoxis male volunt, ne cures. Has etenim Dei beneficio, cujus pietati te committis, facilè evades. Interim ne differas fidam aliquam atque individuam ſociam tibi adjũgere, quæ ſubſidio atque ſolatio tibi eſſe poſſit: cujus generis multas paſſim offerri non dubito. Tunc in quiete ô quantum juvabis rem litterariam publicam! Teſtes ſunt parænetici, quos accepi & oſculatus ſum, tuo & beati Schobingeri nomine; teſtes etiam auctores rerum Suevicarũ jam miſſi: pro quibus ἀντίδωρον aliquod ſive ἀντάλλαγμα mittere, quod non minoris pretii fuerit, æquitas ſuaſerit, & jus exigat meritò, à me verò fruſtra ſis ſi exſpectes. Dabo iterum, quod κατὰ τὴν τύχην μου dare habeo, inſtitutionem meam. Hanc accipe δόσιν ὀλίγην. Numos Hebraïcos nundinis Vernalibus puto te accepiſſe à Typographo, cui ut faceret in mandatis dederam, quanquam ex tuis literis, factum ne id ſit, non cognovi. In iis, ſi modò accepiſti, ſi à ſenſu, à vero, à probabili me ab erraſſe videris (humano quippe modulo ac pede metior mea omnia quãtilla) libere ac candidè pro amicitia ſi me monueris, correxeris, caſtigaris, perquã gratum feceris.

Id

Id à te jure quodam meo poſtulo atque efflagito. Alioqui & Oeco, & Rugerus, & Ficherus, & Remus, & alii viri magni gratam operam illam meam habuerunt & commendarunt, litteris ad me perſcriptis. Iis adjungam brevi, Deo dante, menſuras Hebræorum: In quo labore ſi me poſſis, ut potes plurimum, juvare, erit id longè gratiſſimum. Arithmeticam meam, ſi nondum dedi, faciam, & dabo adhuc. Vale Nobiliſſime & amiciſſime vir, Dn. obſervande, meque benevolentia tua proſequi perge. Salutat te uxor mea, quæ tibi precatur Gotth Idim, VVerdiadem & Fridgundim. Tiguri raptim eadem hora ac die, qua tua accepi, nempe ult. Octobris 1605.

I. C. VVaſerk.

Nobiliſſimo atq; Clariſſimo Viro.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Juris Conſulto eruditiſſimo: Dn. &
amico meo obſervando.

Epiſcopo-Cellæ.

CIV.

De EINHARDO, quo antiquiorem hiſtoriæ ſcriptorem non habet Germania, quemque nobis tulit hæc ipſa, quā incolimus, Regio, nihil aut perparum haberemus dicere, ſi non memoriam fieri nobis conſervaſſet Chronicon Lauriſhamenſis cœnobii vetuſtiſſimi, ubi illum familiari er verſatum colligimus, quod ex Archivis Palatinis erutum cum aliis Germaniæ Scriptoribus eatenus incognitis ante biennium publicavimus. Cujus tamen fide eſſe velim, quod ibi de eo refertur, ut juvenis in aula Caroli M. Imper. Notarium ſedulo agens cum filia heri ſui Imma nominatim concubuisse conſueverit: & ab ea per nivem deportatus ab inſomni Principe fortuito deprehenſus venia clementer conceſſa portatricem ſuam uxorem acceperit non abſque muneribus & latifundiis, quæ tum à Ludovico Pio Imp. poſtea auctis & cumulatis: quorum poſtea partem cum ſibi pro ... eos contuliſſe, diplomata ibidem prodita loquantur. Quæ

narra-

narratiuncula utut apud nonnullos fidem repererit, mihi quidem eodem loco videnda habetur, quo gemina planè ſeu hiſtoriola, ceu fabella, quam de Henrico III. Imp. Vincentius Belluacenſis lib.25. ſpeculi hiſt. cap. 10. annotavit. Utut tamen vera falſis mixta videantur, hoc conſtat, fœminam eximiæ virtutis claramque natalibus Einhardum in matrimonio habuiſſe: quam poſtea (implorantis neque quam Martyrum interceſſionibus) Fato ſibi præreptam graviſſimè luxerit, & domeſticum vulnus impatientiſſimè tulerit: ut ex ejus ad Lupum Ferrariæ Abbatem, familiarem ſuum epiſtola apparet, cujus amicis & repetitis conſolationibus literis vix tandem ad æquanimitatem reduci potuerit. Ab eo casu pertæſus ſeculi animoque proſtratus, & ætate declinante ad aſceticam vitam ſe contulit, condito & fundato cœnobio Salingenſtat, quod adhuc eo nomine ſupereſt ad Mœnum fluvium: in quo reliquum ætatis exegiſſe credibile eſt. Tritemius ſcribit, ejus Collegii primũ Abbatem ipſum fuiſſe. Libellos quos ſcripſit idem aliquos recenſet: quibus ex Chronico Lauriſhamenſi addendus eſt de *translatione & Miraculis SS. Marcellini & Petri Martyrum*, & ex Fuldenſibus annalibus ſub Anno DCCCLXXIV. *Monita Gabrielis Archangeli*, & ex Lupo libellum *de adoranda cruce*. Ea erat illorum temporum Theologia. Vitam quidem Caroli M. quæ aliquando in MSS. ſine auctoris nomine invenitur, ibidemque à Friſingenſi & aliis quandoque laudatur, & à quibuſdam Alcuino perperam tribuitur, Einhardi noſtri genuinum eſſe fœtum, liquido nobis conſtat. Nam & ab Einhardo deſcriptam ejus Principis vitam Marianus Scotus aliique teſtantur, idemque ille Lupus epiſt. 1. qua Einhardi ipſius amicitiam ambit, *venit in manus meas*, inquit, *opus veſtrum, quo memorati Imp. clariſſima geſta (liceat mihi abſque ſuſpicione adulationis dicere) clariſſime literis allegaſtis, ibi elegantiam ſenſuum, ibi raritatem conjunctionum, quam in auctoribus notaveram, ibidemque non longiſſimis periodis perplexitas & implicitas ac modicis abſolutas membris ſententias animadverti. Quare cum ante propter opinionem veſtram, quam ſapientiæ viro dignam videbam, tum præcipue propter expertam mihi illius libri facundiam, ...*

ceps aliquam nanciſci opportunitatem, ut vos præſentes alloqui poſſem & ex illo ipſo, qui extat, libello, loca quædam ſub Einhardi nomine ab aliis afferuntur: ut nominatim à Poëta qui aliqua multis poſt annis ſub Arnulpho Imp. ſcripſit, editus à Reinectio:

Si tamen hoc dubium cuiquam fortaſſe videtur,
De vita Caroli ſcriptum legat ipſe libellum,
Quem Francos inter clarus veraxq; relator
A Summo prudens Einhardus nomine ſcripſit.

Denique non alio ſub nomine edidit, qui primus edidit, diligentiſſimus & feliciſſimus Germanicæ antiquitatis indagator, illuſtris Hermannus Comes Nuenarius, fide utique codicis vetuſti, quem utinam etiam toto contextu edendo ſecutus eſſet, nec ſibi permiſiſſet phraſin illius ævi floridiori permutare, quam omnes ſequentes editiones poſtea retinuerunt. Et in Chrono Suarzachenſi membranatio optimæ notæ ante CCCC. annos ſcripto, in quo per occaſionem mentionis Gothorum & Longobardorum, libelli Jornandis & Warnetridi integri inſeruntur, ubi ad Francos ventum eſt. Einhardi opuſculum cum hac præfatione inſertum extat; *Carolus autem defuncto fratre, conſenſu omnium, Francorum Rex conſtituitur, de cujus nativitate atq; infantia vel pueritia, dicit actuum ejus ſcriptor Eginhardus ab eodem Principe educatus, quod neq; ſcriptis unquam aliquid declaratum ſit, neq; quiſquam ſuo tempore inventus, qui horum notitiam ſe habere dixerit. De actibus vero & moribus, cæteriſque vitæ illius partibus ita explicuit.* Quod ipſum profectò obſervatam digniſſimi æternæ famæ Herois memoriam ſtylique tolerabilem bonitatem meritò Germanis in pretio & deliciis eſſe debet: quando nec hoc uno antiquius ullum à Germano homine hiſtoriæ monumento nobis ſupereſt & tam nobilem alumnum hæc quam habitamus Provincia. Sibi peculiariter aſſerit. Ut autem ipſe in hac Caroli vita texenda Suetonium (quod eruditiſſimus Caſaubonus obſervavit) ſibi imitandum propoſuit, ita ab illo qui poſtea ejuſdem Principis geſta ſcripſerunt ſubinde quædam mutuati ſunt, uti in Adelmi annalibus, aliiſque nō

egre

ægrè deprehenditur. Donatus autem Acciajolus Florentinus ſui de Carolo M. comentarii non alium quam hunc fundum habuit. Ne de miraculis vero aliisq; feriatis qui res Magni hujus (quod fatum pariter & nomen cum Alexandro illo commune habuit) diverſis poſtea [illegible]mais, proſa verſuq; nõ jam fabuloſè, ſed portentoſe decantarũt, in quibus Monachus S. Galli ex Relatione Werenberti & Adalberti. Ceterisq; Turicenſis familiã ducunt & Franco-Gallica figmenta (quæ *Roman[illegible]* vocant) vulgi manibus teruntur, verbum addamus. Utinã autem æque nobis ſalvum eſſet alterius ejus ævi & Profeſſionis Viri, ADALARDI Corbejæ Abbatis (cujus multa in Carolinis Annalibus mentio) opuſculum, non ſine deſiderio nominandum, cujus in veteri membrana talem titulum invenio: *Ordo Palatii & Reipublicæ diſpoſitio, qui ſub Imperatoribus Pipino & Carolo Francorum [illegible]batur; Per Adhalardum venerabilem Abbatem literis commendatus ad memoriam & inſtructionem futurorum.* Sed titulum tantum: cum opus ipſum ſcriptor non exaraſſet, titulumque ipſum vix ſcriptum mox cancellaſſet. Cujus tandem ſummam excerptam ab Hincmaro in Epiſtolis ejus Moguntiæ nuper editis nobis conſervatam gaudeo. Et hæc de iſtis.

M. Freherus.

CV.

Have, Vir Clariſſime.

HOc ſolum eſt quod modo ſcribere poſſum. Addam tamen unũ primo te intuitu amare cœpiſſe, nunc quoq; poſt Menzelii colloquium admirari. Mitto pignus aut teſtimonium amoris Habsburgiaca. Audio tibi in eandem materiam parata multa. Recte ſacies, ſi quoque vulgaveris, aut, ut poſſim editione ſecundâ, communicaveris. Quod a tua humanitate ſpero. Et in hoc finio. Vale, & me quoque redama. Lucernæ 2. Octob. 1605.

Tuus

Franciſcus Guillimannus.

Viro Clariſſ.
Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto

CVI.

S. V. Cl. - - - - - magno cum gaudio accepi ſed ſine literis & perluſtravi rerum Suevicarum ſcriptores à te editos. Quo nomine magnam tibi ago, & ſi potero, parem referam gratiam. Unum te admonendum cenſeo. Dominus Henzelius noſter ex meo dono habuit primam illam peregrinationem F. Fabri, pervetuſtam editionem : cum qua ligata erat alia mſc. Peregrinatio Wilhelmi Textoris Aquenſis unſer Baden. Quæ in diſtractione librorum boni Viri, neſcio à quo erepta fuit.

Quod nuper te rogavi, iterum rogo & flagito, ut ſi quæ habeas, quæ ad emendationem aut continuationem Stumpfii Chronicon faciunt, præſertim in S.Gallenſium, Conſtant. Turgavienſ. rebus, maturè transmittas. Typographus ſatis importunus non lentè ſed properanter feſtinat, quo minus accuratius emendari poſſunt omnia & ſingula. His paucis vale, & votis noſtris ſatisfacito 6. Novemb. 1605.

T. t.
Marcus VVidlerus. P.Kilchbergenſis.

Cl. V. Melchiori H.Goldaſtio, antiquæ hiſtoriæ diligentiſſimo indagatori, amico obſervando.

CVII.

S. Reddidit mihi Dn. Briſacherus tuas, 8. Decembr. ſcriptas, Nobiliſſime & amiciſſime Vir, quæ reſponſum tuum ad meas continebant: quanquam quid de illa porrò fieri velis non planè intellexi. Ad Widlerum quæ miſeras, in meas ſtatim manus pervenerunt, quum totum onus Chronicorum mihi nunc incumbat. Ex iis, quæ de Epiſcopo Cellanis præclarè adnotaſti, & caſtellis nonnullis Tauriaci, quæ Stumpfius prætererat, & quæ imprimis ad nobiliſſimam Goldaſtorum ſpectant familiam, ea omnia ſuis locis, Deo dante, rectè inſeram, ut ſperem tibi ſatis factum iri. Dabo

etiam

etiam operam,ut inſignia tua, fideliter depicta, & exſculpta, inſerantur, ad perpetuam memoriam, quâ dignæ ſunt ejuſmodi familiæ. Hic autem novus labor in cauſa eſt nunc, ut, quod occœperam, in menſuris meis pergere hoc ſemeſtri non poſſim. Tunc autem, ſi emerſero, efficiam, Dei benignitate, aliquid priori tractatu meo non indignum, qui Nobilisſimo Frehero, Occoni, Caſaubono, Remo, Polano, Kekermanno, & aliis viris doctisſimis, ut eorum ad me litteræ teſtantur, non ſanè diſplicuit. Stanislaï Gerſepſii, cujus in tractatu ipſo luculenter memini, cur in Indice non meminerim, ipſe miror, & neſcio quomodo factum ſit. Operarum incuriæ id attribuo. Nam in manuſcripto eum adnotaveram. Sed leviculus eſt error.

Quod attinet ad locum Jeremiæ cap. 5. verſ. 15. loquitur ibi Propheta de antiquitate non linguæ, ſed monarchiæ & Reipubl. Babyloniorum, quam conſtat ſanè antiquiſſimam fuiſſe. Quippe princeps monarchiarum & rerum publicarum fuit, inde à Nimrodo, cujus mentio fit Gen. 10. 8. prognata. Et quia Nimrod tyrannidis nomine inſignis fuit, innuit, ejuſmodi gentem contra Judæos adductum iri, quæ tyrannicè eos ſit exceptura: cujus etiam linguâ ſint ignoraturi. Judæi etenim utebantur purâ illâ, quæ ab Hebero denominata, in ejus familia permanſit: Babyloni verò impurâ illâ; quæ ab Hebræa quidem nata primum non niſi certis dialectis inde diſcupavit: Sed ſucceſſu temporis in propriam & peculiarem degeneravit, quam Judæi amplius intelligere nequiverunt; ut ex Ezechiæ hiſtoria palam fit: perinde ut vetuſta Germanica, cujus ſpecimina aliquot illuſtria in paræneticis tuis ſcriptoribus dediſti, hodiernam genuit Germanicam, cujus tamen alumni hodierni pauciſſimi primævam illam intelligerent. Minatur ergo Deus, ſe contra Judæos adducturum Babylonios, qui gens ſint à ſeculo, מעולם, hoc eſt, antiquiſſima & vetuſtiſſima, imperio videlicet ac tyrannide, quippe inſiſtens veſtigiis progenitoris Nimrodi. Item qui diſpari & Judæis haud intelligibili utantur linguâ. Quæ pœnæ divinæ in

Judæos exaggeratio non levis eſt. Hoc igitur modo explicari poſſe puto locum Prophetæ: quomodo explicant Hebræi omnes & noſtro ævo Junius Piſcator & alii.

De VVolffgango VVettero, quod petieras, inquiſivi. Is Tiguro ante aliquot annos in Palatin. tum eſt profectus; ubi Miniſterio Eccleſiaſtico functus aliquandiu, mortuus eſt relicta vidua ac liberis. Libros autem meliores hinc ſecum absportavit: pauciſſimos & levis pretii relictos, eo mortuo, ejus affinis Keſslerus neſcio quo tranſtulit. In eis autem negat Dn. Cornerus fuiſſe vitam illam, quam deſideras, quod ipſum annos ante aliquot Dn. Schobingero beato, quoque ſignificavi.

Eglinus, quum ſibi timeret à Magiſtratu, quod præter ipſi datam fidem, ſtudium Alchymiæ perſequeretur, idque manifeſtum factum eſſet ex ipſiusmet litteris ſcriptis ad juniorem Piſtorium, quæ alicubi in agro noſtro amiſſæ Magiſtratui offerebãtur, hinc diſceſſit in agrum Suitenſem, inde Conſtantiam. Unde quum redire nollet, etiam per ſalvum conductum revocatus, Magiſtratus nudius ſextus eum Canonicatu ſuo privavit, quem locavit Dn. Joh. Caſparo Murero. Ubi nunc ſit, ignoro. Deus ei meliorem mentem largiatur. Vale Nobiliſſ. & humaniſſ. Vir, Dom. & amice perobſervande. Salutat te uxor mea.

Tiguri. 18. d. Decembr. 1605.

T. C. VVaſerus.

Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro
Dn. Melchiori Goldaſto ab Haiminsfeld, J.C,
Eruditiſſimo. Domino & Amico meo
perobſervando.

Epiſcopo-Cellæ.

CVIII.

S. Proſperum & felicem Annum tibi tuisque precor. Mi Dn. D. Melchior quæſo petitioni meæ mature ſatisfacias. Importunus Typographus moram nullam patitur, properat. Jam jam petit e-

nit

nit ad Turgaviam. Homo non honoris, ſed lucri cupidus, hiulcum opus edet. Sibi aliisque invidiam conciliabit. Fac ergo quod amicum & antiquæ hiſtoriæ ſtudioſum decet, ut primo quoque nuntio, quæ de Conſtant. S. Gall. & Turgavicis rebus obſervaſti, habeam. Seriò admonendus Typographus, ut honoris ſui & publicæ utilitatis rationem, quàm privati commodi rationem habeat. Vale V. Cl. & me amare, & bona ſtudia promovere pergas. Kilchbergæ d. 9. Decemb. 1605.

T. t. Marcus VVidlerus,
I. D. M.

D. Eglini inſanam Alchimiam dubio procul audiſti. Dici non poteſt quantum me excruciet ejus Alchimancia. Quanto cum offendiculo & bonorum virorum dolore ultrò ſponte non coactus, ſtationem ſuam deſeruit. Ominoſum illud Iconii nomen quod mihi ſemper diſplicuit, & Dominus Bullinus. B. M. Patri ipſius, ne amplius uteretur, interdixit, reſpondit cum illo Zachariæ XI, 17.

Dem Hoch- und Wohlgelahrten / fürnehmen
und Weiſen Herrn
D. Melchior Guldenaſt / wohnhafft zu Biſchoff-Zell / ſeinem guten Freund.
Biſchoff-Zell.

CIX.

S. Non mihi excidiſti, ut ſcribis, Domine & affinis honorande nequaquam, ſed hæres ſemper in pectore meo. Proximis literis tuis, quæ mihi gratæ valde fuerunt & acceptæ, reſpondiſſem, niſi D. Huberus Parochus veſter, qui me peramanter tuo nomine ſalutaverat, me inſcio & inſalutato hinc diſceſſiſſet: negotia quoque ſæpe mea publica & privata mea invaletudo, ipſa denique ſenectus, quæ, quod cottidie magis ac magis experior, rectè morbus eſſe dicitur, me contra volun-

voluntatem meam ad amicos ſcribendi vel reſcribendi conſuetudinem cogunt intermittere. Nunc gratias tibi primum & ago & habeo maximas pro literariis & ſanè literatisſimis tuis donis, quæ proxime ad me miſiſti, ex quibus ſingularem tuam perſpexi & eruditionem & benevolentiam in me, ſi ea remunerandi mihi erit occaſio, eam non prætermittam, quod ſcribis in utraque tua epiſtola tibi in Turgavia & in patria tua non licere tutò vivere, teque religionis ergo multis etiam propinquis & conſanguineis tuis inviſum eſſe, doleo vehementer atque miror, cum Doctrina tua atque virtus te potius omnibus deberet commendare, ſed forſan experiris verum eſſe illud Chriſti in Evangelio Prophetam in patria ſua contemni potius quam magnificeri. Satius itaque tutius & dignitati utilitatique tuæ conſultius mea ſententia eſſe, de quo proxime quoque ad te ſcripſi, te in externa aliqua & celebri Academia verſari, in qua ingenii Doctrinæque tuæ lumen eluceſcere, & munus aliquod Profesſionemve te dignam & fructuoſam facile poſſes nanciſci. Nā in Helvetia noſtra, ut ipſe literis tuis confiteris juris Profesſio atque ſcientia parvo vel nullo pene eſt in pretio. Jurisconſultorum non modo, conſilia atque monita, verùm etiam vultus ipſe atque nomen plerisque eſt ſuſpectum & deſpectum, inviſum & odioſum. Pluris apud nos fieri ſolet ruſticus aliquis, vel parum juris noſtri vernaculi peritus & parum diſertus vel loquax potius et garrulus, quam Bartolus et Baldus, et Jurisconſultus quivis vel diſertisſimus et juris ſcientia præſtantisſimus. Juriſtas, ut vulgò loquuntur, Luriſtas appellant per contemtum et contumeliam. Hic autem in Patria mea nullam tibi ſpem potiundæ Profesſionis alicujus vel muneris ſpem facere poſſum. Nullum enim hujuſmodi apud nos vacat munus, etſi vacaret, plurimi ſunt apud nos cives, qui ad hujuſmodi munera aſpirant, qui tibi ceu peregrino, quantumvis longè doctiori anteponentur. Quod ad illam de Moſe quæſtionem attinet, aliud tibi hoc tempore reſpondere non poſſum, niſi ipſum ab initio ſolum jus Iſraelitis dixiſſe, ſed poſtea cum ſe ſolum tanto muneri atque oneri ſuſtinendo nequaquam parem eſſe vidiſſet de Jethronis ſoceri ſui

con-

conſilio, quoſdam ſibi conſilio, prudentia & pietate præſtantes viros tanti muneris ſocios & adjutores adſciviſſe, inter quos tamẽ ipſe Principem ſemper dignitatis locum obtinebat. Quantum ad loca illa ſcripturæ attinet, inter quæ videtur quædam eſſe repugnantia, ita facile regula illa Theolog. conciliare videtur poſſe, diſtingue tempora & concordabit, ſcriptura. Item illa: multa in Sacris literis dici κατ' ὕστερον πρότερον. Vale Domine & affinis ſumme obſervande, fratrique tuo plurimum meo nomine ſalutis dicito, & gratulare de conjugio, de quo intellexi. Tig. 20. Decembr. 1605.

Tui ſtudioſiſſimus

Joh. Guil. Stuckius.

Nobili ornatoq́, Viro Dn.
D. Melhiori Goldaſto de Haiminsfeld, Domino & affini ſuo perobſervando.
Epiſcop. Cellæ.

CX.

S. P. D. Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, mi Goldaſte clariſſime, idemque amiciſſime, gratius & munus ad me miſſum, quandoquidem effectum eſt eo, ut literis ad me datis veteris amicitiæ noſtræ memoriam renovares. Velim igitur exiſtimes te à me vicisſim amari, nihilque magis cupere, quam ceptam ſemel amicitiam noſtram, atque actam non ex his initiis, quæ tu benivolè magis, quàm verè, ut arbitror, ſcripſiſti, ſed ut ego interpretor, ex ingenii, doctrinæque tuæ laude, atq; convictu, conſuetudineq́; quotidiana contractam, cum perpetua benivolentia conſervari. Quod honorem publicum gratularis, quam tamen ſplendidam potius miſeriam appelles, rectius ego tibi ſive munus tuum, ſive dignitatem, quam in aula Electorali Palatina te conſecutum intelligo, gratulabor, & hoc amplius ex publicatis nunc ſcriptoribus aliquot rerum Suevicar. ſurgentem ut nominis tui gloriam atque famam. Quod de Codice tuo offerendo Senatui noſtro mandaſti, id equidem diligenter curavi. Neſcio an ex voto! ſed tamen quantum gratiæ conſecutus ſis, intelliges, opinor, ex his, quos Scedulæ illitos, atque his lite-

CXI.

S. Quod me facturum promiſeram, Nobiliſſime & Clariſſime Dn. Goldaſte, id præſtiti, hoc eſt, inſignia & encomium antiquiſſimæ familiæ tuæ Chronicis Stumpfianis inſerui, eidem loco, iiſdemque verbis, quæ tu præſcripſeras. Ceterum pro inſignium formula lignea, pictura & ſculptura pictori & ſculptori debebis coronatum circiter argenteum, hoc eſt, viginti quatuor batzios ſive urſatos. Aut ſi pretium nimium videbitur, mitte Talerum Imperialem; & experiar, num accepturi eum ſint. Scheda incluſa ſculptoris duntaxat continet mercedem: qui carior eſt; quia ſolus apud nos, & ad neminem alium veniri poteſt. Diſceſſum tuum doleo. Maluiſſem enim in patria aut Tiguri nobiſcum te eſſe potuiſſe. Sed quò fata vocant, eo ſequendum eſt. Noſti, viro probo & erudito ubique patriam eſſe. Heydelbergam ſi veneris, me porrò commendabis nobilisſimis viris Dn. Pleſſenio, Dn. Hippolyto, Dn. Frehero & aliis, quibus ad nundinas proximas, σὺν Θεῷ ſum ſcripturus. Itinerarium ſi miſeris conferam cum autographo. Nuper enim conferre non licuit, quod maturius illud repeteret Bibliothecarius noſter. In quo ſtatu ſint res Dn. Eglini noſtri, tu noſti melius me: quia in vicinia eſt veſtra Witgoltingæ, ubi jamdiu hæſit. Vale optime, & amicitiæ ac benevolentiæ tuæ aura me proſequi perge, deque rerum ſtatu tuarum Heydelberga ad me perſcribe.

Tiguri. 6. Mart. 1606.

Tuus totus

C. VVaſerus.

Nobiliſſimo & Clariſſimo
Viro
Dn. Melchiori Goldaſto, Juris Conſ.
eruditiſſimo: Domino & Amico meo perobſervando.

Biſchoff-Zell.

CXII.

S. P. D. Ego verò non luiſſem, mi Clariſſime, idemq; amiciſſime Goldaſte, te, literis ad Conſulem noſtrum ſeorſim datis gratias egiſſe Reipub. pro remuneratione.

Nam etiam tunc, cum eidem indicaſſem, me aliquid habere libri, quod offerendum tuo nomine Senatui literis ad me ſcriptis rogaſſes, literas tuas peculiares ad Ordinem poſtulavit, neque prius deſtitit, quam ei communem ad cunctos ordines circuli noſtri (ut loquimur) dedicatoriam oſtendiſſem.

Nunc autem, cum res ita ſit, nullis amplius opus eſt. Sat locutus ſum pro te, adhibita epiſtola tua, tanquam locuplete teſte. Pro ſemiſſe tuorum exemplarium, illico diſtributo inter eos, quos deſideraſſe intellexeram, gratiam habeo; habiturus majorem, ſi ſaltem dodrans fuiſſet. Nempe gnaviter impudentem eſſe oportet. Sed nec te noluiſſe video, ſi per gerulum licuiſſet. Quod porro in animo habes vulgare proximis nundinis Sibyllam Franciſcam & alia quædam paulò poſt; facis tu quidem pro fama tua & in Rempub, literariam ſtudioſè. Sed tamen cur ad me mittas aliquid ex operibus tuis, publicè præſertim proſtaturis, cauſæ nihil eſt mi Goldaſte. Satis eſt, ubi partem alteram hiſtoriæ Suevicæ inſeris ad Senatum, ut opus completum ſit; pro quo ipſo tamen non puto te aliquid expectaturum. Nam ad me quod attinet propterea nihil ex tuis monumentis expecto, quod nec te mihi quidquam debere intelligo, nec ſimili aliove munere parem gratiã referre poſſim niſi contentus eſſe velis grato animo, & memore conjunctionis noſtræ; quam voveo tibi mi Goldaſte Cl. una cum officio a ſalute. Salve etiam à ſororio & Vale. Ulmæ 18. Martii A. C. 1606.

T. exaſſ.

Joh. Krafft.

Dem Veſten und Hochgelahrten
Herrn Melchiorn von Haiminsfeld/ genannt
Goldaſt/ etc. Meinem günſtigen lieben
Herrn und Freund.

S. Gallen.

CXIII.

Edler / Hochgelehrter / Inſonders günſtiger
lieber Herr/

DEmeſelben meine gutwillige Dienſt zuvor / benebens zuvernehmen / daß ich ſein Schreiben / ſamt beygefügtem Packet / zurecht wohl empfangen / und Inhalts vernommen; Wie ich mich nun deß Herrn zu mir tragenden guten affection, und dannenhero überſchickten einen Exemplars ſeiner publicirten Schwäbiſchen Schribenten / nicht wenig zu erfreuen / und dienſtlich zu bedancken: Alſo hab ich hinwiederumb nicht ſollen unterlaſſen / das andere E. E. Rath allhier gehörige Exemplar dem Herrn Ambts-Bürgermeiſter / wie auch dem Herrn Stadt-Schreiber (weil ich ſelbſt nicht in Rath komme / ich werde dann erfordert) der Gebühr anzumelden und zu berühmen / die es dann künfftige Wochen (weil es die vergangene / wegen anderer Geſchäfften / nicht beſchehen mögen) einem Ehrſamen Rath ebenmäßig antragen und überantworten werden. Was nun E. E. Rath hierüber zu danckbarlicher Erzeigung ſich hierüber reſolviren und entſchlieſſen wird / ſoll dem Herrn vermittels ſeines Herꝛn Schwagers deß Stadt-Schreibers ohnverlängt zugefertiget werden. Und ſoll mir der Herr gewißlich zutrauen / daß ſo viel an meiner wenigen Perſohn / alle gute Recommendation und Beförderung / hierzu bey E. E. Rath (qui ceteroqui, quod diſſimulare non poſſum, Mercurio magis quàm Apollini favet) beſchehen ſoll. Dann dem Herꝛn in dieſem und andern angenehme wohlgefällige Dienſt zu erweiſen / bin jederzeit bereit und gutwillig: mit dienſtlicher Bitt / diß mein eilfertig Antwort-Briefflein (ſo wegen überhäuffter Geſchäfft deß Wochen-Marckts anderſt nicht angeſtellt werden mögen) in Ungutem nicht zuvermercken / deme ich mich hiemit zu beharrlicher Freundſchafft / und uns allerſeits Göttlicher Verwah-

S 3 rung

rung anbefehlen thue. Datum Lindau in groſſer Eil den 22. Martii v. ſt. 1606.

Deß Herrn

Dienſt- und gutwilliger

Daniel Heider / D.

Dem Edlen und Hochgelehrten Herrn Melchior von Heiminsfeld / genannt Goldaſt / J.C. und Churfürſtl. Pfältziſchen Rath. Meinem inſonders günſtigen lieben Herrn. Biſchoffs-Zell.

CXIV.

S. P. D. Cauſa non ſcriptionis fuit, quòd ipſe (uti dixeram) Francofurto tranſire debebam, iturus ad Electorum Comitia Bingam: ſed iter illud rupit valetudo minus commoda à catarrhis, & luctus domeſticus ob ſobolem bimeſtrem mortuam. Nunc tuis receptis, quia intelligo, te ibi etiam hærere, ſcribo ſed breviter, ut occupatiſſimus. Egi cauſam tuam, & agam adhuc omni opere apud Dominos Grunradium, Hyppolitum, Pleſſium, Lingelshemium, alios: quorum nullus tibi non optime cupit, & occaſionem tui promovendi quærit optatque. Hic jam nulla apparet, quia nulla conditio vacat. Locus in Senatu Eccleſiaſto apertus eſt obitu D. Marci Zum Lamb: ſed eſt, cui dudum illa conditio promiſſa, L. Schumannus. Neque etiam tibi illam adeò convenire puto, quæ maximam partem in Examinibus ſcholaſticis, trivialibus inquam, occupatur & conſumitur. In ſuperiori Palatinatu locum fieri poſſe putant, ſed neſcio an tibi commodum tàm longè à Patria, à nobis, à Francofurto eſſe: Equidem vix conſulerem; & oblatam mihi ipſi dudum à Principe Caſimiro ibi conditionem Satrapiæ ſive præfecturæ, repudiavi. Quid ſi (ut obiter hoc) apud Comitem Hanovianum vobis vicinum (propinquum) locum habere poſſes. Is enim quærit, & deſiderat viros idoneos: & apud

cum

cum aliquid poſſem, poſſent & illi amici ſperemque non caſſos ſpe futuros. Excitaſti me in ſpem magnam, his quæ ſcribis de ſperata aliqua dote dapſili ἂν γένοιτο. Opto ex animo, imo jam ſperare juvat, & ne me iſta ſpes deſtituat, Deum omnis boni datorem rogo venerorque. Si quid juvare poſſim, mone, ſuggere, jube, perſcribe. Omnem lapidem movebo. Fauſtum illum an norim, neſcio. Sed ad notos ignotosque ſcribam, ibo lubens. Itaque proximè amplius ſcribe, quæ, qualis, quanta, quomodo, quando? ſcio talia ſine adminiculis geri non ſolere, è quibus ô ſi tam ſelicem me haberes, quàm promtum paratumque habes.

Ad Alamanica, omnibus meis excuſſis, video me nihil habere. Verſio illa Legis Carolinæ, de qua dixeram nõ Alamanica, ſed merè Belgica eſt, è Trevirenſibus Archivis mihi communicata, & jam alicubi meo ſcripto inſerta. Notgeri de Carolo M. libellus & à Caniſio excuſus, eſt in meo mſ. non minus, quam illius editione ſine ſuo manens. Quod ſi integrum dare poſſem, Francicis jungerem, quamvis tum ineptum & fabuloſum, ut olim repudiarem, neque tomis meis inſerere dignarer. Francica, quæ ſuppeditaſti, retineo ea lege, ut meo Tomo accedant, ita ut, ſi cum Typographo illo tuo nomine agere poſſis, de edendis Francicis eâdem lege & conditionibus, quibus Alamanica edit, adquieſcam: inque partem pro rata tuorum feras. Et à munere dedicationis, ſi quod accesſero. Remitto VVettini viſionem, quam omnino Alemanicis inſerendam cenſeo, non aſpernandum fragmentum. Nam & ille ipſe Alemanus fuit Augiæ hoſpes, quæ in Alemania & VValofrid is talis, cujus & alia tu in Tomo illo habes. Et hoc tuo volo Theoduthiana jam a Pithæo & Caniſio edita video. Hisce modo vale & reſcribe.

Datum 15. May 1606.

Tuus quem noſti

Freherus.

Inter Francica promiſeras olim & alia.
Dicæarchi fragmentum de Gallia.
Ivonis Abbatis Clunniacenſ. abbreviatio figur. hiſtoriæ.
Tancredi Provinciale.
Pepini annotatio de Apoſtolicis & Impp.
De Regibus Francorum ſub nominibus Sibyllarum.
Einhardus tuus ubi? Ede quæſo ſed ſchedam de illo meam remitte, in qua ſunt, quæ mutem & addam non contemnenda. Et quia tam vicinus, Selingenſtatt excurre, ubi ille fuit, forte ab Abbate vel monachis aliquid expiſcabere.[1]
Ennodius item, quem parabas, ubi? D. Bongarſius exemplar ſuum à me repetit.
Quid præterea in Parænecticis? haberem plura ejus generis.
De libro mſ. ad Baroniſſam Hohenſax. ſcribet Princeps. nollem perire.
Pichin apud Ecchehardum eſt noſtrum *Picken*, quod eſt ſcalpere, pungere. Ibidem legendum cenſeo: *Domine miſeram iſtam.*
Felix in Pineis cujus mentio in Martyrologiis & Calendariis XIV. Januarii, rationem neſcio.
Fillones idem fortè quod *Verberones*. *Fillen* vetus eſt, apud Otfridum, Notgerum, alias frequens, cædere, flagellare, fuſtigare.

Dem Edlen und Ehrenveſten
Melchior von Haiminsfeld/ genannt Goldaſt/
Meinem ſonders günſtigen lieben Herrn
und Freunde zu Handen.

CXV.

S. P. Tradendo literas & libellos tuos, vir amiciſſ. me iterum monui Patronos & amicos illos noſtros, D. Grumradium, Præſidem, Cancellarium, Pleſſeum, Lingelshemium. Illi nec minus, ultrò & ſponte tui memores, & occaſionem tantum tui pro merito promovendi quærentes. In conſilio Principis tam iſthoc, quam ſuperiori, jam locus nullus vacat: neque præfectura illa per Provinciam.

Va-

Vicarie poteſt provediem, ut ſubinde fit; & ſpartam ſpera certò, ſi non ſit te dignam, ſaltem pro tempore & loco, donec Deus meliora. Neque commendatione ulteriore ab Epiſcopo Conſtantienſi aut Rep. Tigurina opus: ipſa virtus & eruditio tua abunde commendat: & quæcunque (Deo ordinante) tibi conditio obtingat, magis illa te quam tu illi, gloriari poterit. Me quidem ſollicitatorem & obſervatorem diligentem habes, de quo non dubitare te amicitia & conjunctio noſtra permittet. Itaque forte brevi plura & certiora, quod Deus fortunet. Interea ex animi ſententia vale & ſalve. De Illuſtriſſ. Duce Bullionæo, qui in ſumma Regis gratia jam floret, & Pariſiis nuper adhuc hæſit, particularia inquiram, & proxime. Dab. raptim Heidelbergæ è Plinianis 30. Maij 1506.

Tui amantiſſimus

Marq. Freherus.

Nobili & Doctiſſimo Viro
D. Melchiori Haiminsfeld Goldaſto,
Domino & amico meo ſingulari.

CXVI.

Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, Gothofredus
Jungermannus S. P. D.

TU verò me parùm noſti, nobilis & amiciſſ. Goldaſte, qui notare in me videris neſcio quas avaritiæ ſordeculas, quæ animum hûc obſideant, & in cauſa ſint, quod me conjecerim in tantum laborem. Nil profecto quæſivi, & adhuc quæro, quam reip. litterariæ emolumentum, & privatum otium. Illud ſi partim contigerit, quod tamen ſcio quàm parce ob alterius voti fruſtrationem, non me adhuc laborum tædet: hoc quidem, de otiolo aliquo privato, quo ſolus interdum & Muſis quid canerem, nō contigiſſe planè ſcio atque doleo quoque. Stipendium vero quod accipio annuum non tantum profecto eſt, ut ea eam inſuperhabita, quemadmodum tu ſentire videris, ideo quæ optanda ſola, τὸ κάλλιϛον, inquam, [illegible]. Nam Jovem lapidem tibi jurare poſſum, me de meo, quod exiguum adhuc domo promitur, addere neceſſe habere in ſumtus quo-

tidianos: niſi interdum mihi & aliis injurius videri velim. Nec ullum tamen facio, quod olim adoleſcentulis vitio non dabatur, ut ſerio jocer, immò poſſum gloriari me hîc non ſecus ac Heidelbergæ ſobriè, ſi quisquam, ſat vixiſſe. Utut ſit, opibus auctior numquam mehercle hinc diſceſſere. Gratiſſima vero tua de me cura, & quod ita Bibliotheca tuâ uti frui mihi conceſſum eſſe adfirmas liberè. In quo humanitatem tuam eximiam agnoſco: & benè quod illa egregiæ eruditionis perpetua amat eſſe comes. Valeant vero illi βιβλιοτάφοι quotquot ſunt, cujates ſunt. Ego ſi cõtra tibi de mea pollicear idem, quid aliud facio quã χάλκεα χρυσείων. Lavatero à te ſalutem juſſi, qui per me te jam reſalutat. De Gentilis noſtri in Apuleium, neſcio an id audere poſſim inconſulto Marnio, qui ſemper hoc agit, ut editor libri ſui primum exemplum videat, nec alii prius facilè permittit: præſertim quum ego corrigendi laborem ad prelum non ſuſtineam in hoc opuſculo, ſed collega meus; recenſendi quidem habui antequam inciperent operæ excudere, quod hac hebdomadâ demum contigit. Tua quidem quæ in hanc Apologiam notaſti, ſi critica ſunt, & quæ mendis emendandis; audeo adfirmare nihil à Scipione occupatum: qui in explicando ſere verſatur, & in iis præſertim quæ jus & leges concernunt; aliàs ſequitur Caſaubonianam editionem. De Oribaſio ideò quæſiveram; quod mſ. Polluci, quem è Bibl. Palat. impetravi, additi ſunt liber XXIII ἀκέφαλος, & lib. XXIV. μείουρος collectionum medicinalium Oribaſii, quæ de anatome quidem & partibus corporis earumq; uſu agunt, ex Ruffo & aliis. Sunt autem bonæ notæ, ut mihi è Polluce patet, quem eadem manus exſcripſit multis locis auctiorem. Si itaque illos cuſos, ſi modo ſunt cuſi, nactus fuiſſem, una & eadem opera contuliſſem. Prudentius in Kamartigenia viperæ exitioſum partum canit, unde primũ verſum ſic mendoſè deſcribunt, *Mater morte ſua, non ſixa fertiles*, aut de Rego te, inquire in Prudentio, & ut editus ſit, doce. Quid n. malum *ſixa* an *vita*, Sed non lubet indulgere conjecturis: & Prudentium hîc reperire non poſſum. Vale, nobil. & amiciſſ. Vir. Rapt. prid. Id. Jun. 1606. e Typogr. Wecheliano. *V. Nobili & Clariſſ.*

Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, amico honorando.

Franckfurt. CXVII.

CXVII.

S. P. Siccine ceſſas, à quo ſingulis ſeptimanis literas habere optem & deſiderem. Ego quidem ſi rarius per occupationes ſcribo, amare & meminiſſe non ceſſo: idemque faciunt cæteri noſtri Patroni & amici, Hyppolitus, Pleſſeus, Grünradius, Lingelshemius, intenti omnes in occaſionem tui pro merito promovendi. Quod Deus fortunet, ſpero. Nunc non nihil ecce ad ornandum Notgerum tuum mitto, vitam ejus a Viviano & Ortelio in itinerario quodam poſitam. Utere & mitte tandem quæ elaboraſti. Folia Alemanicorum excuſa nimium quam videre deſidero. Quid me crucias? Francica adornabo σὺν Θεῷ ad nundinas prælo danda. Interea & iſtud, quod in charta notatum vides parentis mei p. m. meaque manu accurate deſcriptum edere in ipſas nundinas meditor. Eſt enim de tempore, ut loquuntur cum Venetis quoque jam Papa negotium faceſſat, paritandem (ut ſperare fas eſt) cum ſuo triumpho & emolumento. Quære ex tuo Typographo Bernero, an edere velit, in quarto ut cætera mea charactere, qui Mittelſchrifft dicitur. Conditionem aliam non dicam hac vice & editione, quam 100. exemplaria uff Schreibpapier mihi ex quibus muneres amicos, & forte (quis dedicare animus prurit, nec ſine cauſa) ipſis centum viris Venetis. Et de hoc reſcribe, ſi me amas, quam primum, & vale optime. Dat. rapt. Heidelbergæ 27. Junii 1606.

Tui amantiſſ.

M. Freherus Keſſingides.

A Monſieur
Monſieur Melchior Goldaſt de Heimingsfeld,
pour le preſent *Franckfort*
Im Leinwadshauß zu lieffern.

CXVIII.

Nob. & Cl. V. Mel. Haim. Goldaſto.
Gothofr. Jungermanus S.P.D.

NIl mihi jucundius, amice vir, quã ſic tecũ mutitare litteras, & quidẽ hoc hebdomadatim ἀλληλεπαλλεῖν: ſed iſti interdum negotiorũ Typographicorũ multitudo me ab iſto officio abſtinet, quod tũ, pro humanitate tua, mihi ignoſces credo. De loco Prudentiano ago gratias. Et quid malũ mãtãt illi novi illi9, quos ferunt, editores? Alter à Lipſio

publicè commendatus, Hub. Audejantius, qui illum Poëtam minaretur. Alter in Thuringia J. Weitzius, mihi per litteras notus, qui ad triennium jam mſ. opt. notæ apud ſe adhuc credo detinet. Quam multa enim in eo meliora fieri queant qua ab ingenio quà ab libris oſtentarunt publice Giſanius & Colerus: ille ad Lucretium, hic ad Valer. Maximum, ut noſti. Ego per aliquot nundinas fruſtra illum Poëtam in Bibliopoliis quæſivi. Minutiſs. enim editio, quà olim meum Putſchium, Streniæ demerendæ, donabam, apud Raphelengianos quoque eſt diſtracta penitus. De Oribaſio nihil ſcio, nisi quod tu me ſcire feciſti, & quod nuper in Brodæi Comm. ad Epigrammata Græca advertebam illum dicere, Oribaſii pæne omnia publicè edita eſſe; & quod jam incidebat, dum hæc ſcriberem, viſere ad Catalogum H. Stephani, quo recenſet authores, è quibus Theſaurus Græcæ linguæ congeſtus, in quo ſanè inter editos Oribaſium invenio. Sed heus eſt quod à te obnixè petam. Elogia hiſtoricorum, ſi quæ notaſti, in Sleidanum; & ſi quid te vita Sleidani. Ut ea quidem in Boiſſardi imaginibus extat, mihi eſt deſcripta. Et *anne ullus in ipſius de IV. Monarchiis libellos commentatus, præter Meibomium?* Valde *vellem tale aliquid editum ineditumve noſſe.* Sed & hoc addo, ſi tibi vacat. Quære in tuo mſ. Suida an ἀπινιαυτηναι, ut vulgati, penultimá per η ſcribat. Erit enim mihi lis cum Meurſio; ſed de litterula. Sic enim & meus mſ. Pollux. Atque ille ad Lycophronem audet in Suida corrigere ἀπινιαυτίσαι: quaſi illud nauci. Et multa tamen talia tibi in mentem veniant, ſignata utraque formâ. Immo unde alias Platonicum ἀπινιαύτησις, niſi ab [illegible]; Ceterum te moror: & meas operas quoque. Quid tu? Non putabam te mihi adeo familiarem forte dices. Ignoſce & vale atque ſalve. Raptim A. die VI. Kal. Jul. Hanoviæ 1606.

Viro Nobiliſſ. & Clariſſimo
Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
amico meo colendo.

Franckfort.

CXIX.

CXIX.

S. P. Hoc tantum, Vir amiciſſimè, ab occupatiſſimo habe, remitto vitas Carolinas, quas petis: ne ſtudiis aut commodis tuis deſim. Remittam & cetera Francica tua omnia propediem per gravitam occaſionem: nam tabellario omnia credere religio fuit. Atque adeò ſuadeo, ut ea ipſa Francica Alemanicis tuis per iſtam editionem appendicis titulo jungas vel proxime edas. De meis, quæ magna ſatis mole erunt, necdum conſtitui ſatis. Adelmus jam recenſitus & reſtitutus eſt; item alia. Heimburgica mittam & ipſa per illam, quam videre videor occaſionem, Typographo mancipanda. Sed 100. exemplaria in charta ſcriptoria & nitida volo, non illa vulgari, quod diſertè cavendum eſt. Et de hiſce aliisque propediem plura. Vale feliciter & ſalve.

11. Julii 1606.

Tui amantiſſimus

Freherus.

Sed quid de illo negotio uxorio, quod innuebas, ſpe injecta. Ne celaveris tui boni optantiſſimum.

Neque notarum in leges Alemanicas obliviſcar. De Epigrammate videbo. Gruterus cauſatur occupationes & ſtyli deſuetudinem. Cui ſalutem nuntiavi & renuntio.

Dem Edlen Ehrenveſten
Herrn Melchior Goldaſt von Heiminsfeld/
Meinem günſtigen/ ſonders lieben Freund.

CXX.

S. P. D. Aliquot à te literas accepi, vel potius redditæ eæ mihi ſunt, cum ferè toties domo abeſſem, quæ cauſa fuit non reſcripti hactenus, ſed & nunc catenati quaſique conjurati labores, (& jam in procinctu ſum ad Epiſcopum Spirenſem excurrendi) me diſtringunt, ut ſtudiis meis herilia negotia præponere neceſſe ſit. Itaque

 neque

neque Heimburgiana illa abſolvere poſſum, neque quæ meditabar in leges Alemanorum, quamvis & alia cauſa eſt, quare illa a ceteris legibus ejuſdem generis commode avellere non poſſim neque velim, & editionem Pariſinam Lindebrugii prius expectandam exiſtimem. Epigramma in Alemanica tua (ſi Phœbus faverit) exprimere conabor, & tempori mittam. Quæ in iis hactenus excuſa ſunt ab iis, quæ poſtremo miſiſti, videre aveo. Francica quoque te apparare non dubito. De adjungendis meis conſilium neutiquam mutavi: Sed cum ea ſuo quodam modo ita diſpoſita & coagmentata ſint, ut neque à ſe avelli & turbari, neque quidquam inſeri poſſit, commodiſſimum videretur tomo peculiari ea excudi, qui tuo jungi, addi, copulari poſſit. Recepiſſe te tua non dubito. Idacii Miſcella, ſi Francofurti nondum nactus es, prima occaſione mittam. Eſt enim liber majuſculus & craſſulus in quarto. Hiſce modo vale feliciter, & ſi quid ſpei gameliæ affulget, amicum ne cæla. Nos hîc tua cauſa, quæ poterimus, faciemus, vale iterum & ſalve à d. 19. Auguſt. 1606.

Tui ſtudioſiſſ.

Frehero.

A Monſr.
Monſr. Goldaſt de Heimingsfeld
pour le preſent.
Franckfurt. Bey Herrn Rectore
im Baarfüſſer Cloſter zu finden.

Poſt Scripta.

AN Chronicon Bavar. & epiſtolas Caroli M. ab Herdeliano acceperis, ut ſpem fecerat, ſcire cupio. Has quidem meo Tomo Francicorum, in quo plures epiſtolæ Franciçæ, accedere poſſe, valde optem etſi conditionibus æquis à te impetrari poſſit, nullas defugiam, noſti animum & promptitudinem ut puto, meam, Tu vide.

Thoromachum ob molem libri per tabellarium jam mittere non poſſum: circumſpiciamus occaſionem.

Imo

Imo exſcidi, & mitto; recepturus commodo tuo. Folia quæ in fine amputavi, pertinent ad ſupplementum Gregorii Turonici, quem MS. habemus in Bibliotheca Palatina, è quo ipſo Codice Flacius edidit, ſatis quidem oſcitanter. Ego jam relego Terſionem cui curaturus. Sed ecce. Conſilium de edendo fragmento Ivonis (nam qua de Francis incipit, amputatus eſt malâ manus) neceſſariò mutandum eſt. Quia ex Anglia (ubi integrum exſtare index Bibliothecæ, quem aliquando hic vidiſti, indicio eſt) Thomſonus reſcribit, Gruterus litteras exhibuit) jam ſupplementum illud exſcribi, ſe curante. Ideoque exſpectandum erit. Cui enim bono liber mutilus vix & dimidiatus, deſinens in eo ipſo, quod quæritur, & quod *Franciscorum* inſcriptio promittit? Itaque ejus loco Idacii Miſcellam, non paulo meliorem collationem, Tomo tuo Principe loco ſupponas, conſulo, & te iterum ex animi ſententia valere, ſtudere, procari jubeo. Optimo & eruditiſſimo Viro Dn. Segeto ſalutem plurimam meis verbis dicas rogo. Scribam ad eum proxime & prolixè. Vale Vir amiciſsime.

Datum ut in literis.

T. Freherus.

CXXI.

S. Litteræ tuæ, Nobiliſſime & amiciſſime Goldaſte, quas ſcripſeras ad me poſtridie paſchatis Francoſurto, redditæ mihi demum ſunt, ſub finem nuperi Julii. Itaque quod nundinæ inſtarent, ad eas reſponſum hoc diſtuli. Vehementer doleo, inſignia non rectè ſculpta eſſe, aut picta. Pictori ego exemplar tuum manuſcriptũ prælegi ipſe, & reliqui, ut inde rectè & fideliter depingeret, ac diſertiſſimis verbis Leopardũ debere eſſe ei ſignificavi. Quod igitur perperã depinxit, in culpa non ſum. Errorem tamen tolerabilẽ puto eſſe: quanquã eũ libenter correxiſſem, niſi penitus jam impreſſa fuiſſent chronica. In fine adjici nova inſignia nõ potuerunt, nec fortaſſis paſſus fuiſſet Typographus: cui pervelim ipſe loquaris, ſi in tui gratiã totũ reimprimet, bene habebit, ego quicquid voles libenter mutabo.

Cete-

Ceterum ex animo lætor, Heydelbergenſibus te quam-commendatiſſimum eſſe, ſupereque illos te omnibus modis promotum. Eglinum noſtrum Marpurgi cum familia nunc vivere, notius tibi, quàm ut de eo aliquid ad te ſcribam. Satis *illi nunc negotii erit cum plumbeis illis nodoſiis Marpurgenſibus Lutheranis, ſi aureos velit facere.* Qui alioquin multum poterit docendo, diſputando de myſteriis religionis. De lite, quæ Pontifici Romano cum Venetis eſt, ita cenſent quidam, fore, ut in bellum erruptura ſit apertum: cum pacem Italiæ invideat vel Ate; aut potius DOMINUS turpitudinem meretricis Babylonicæ, ejusque tyrannidem, etiam ſuis amaſiis, velit ob oculos ponere. Illi hoc menſe Auguſto novo edicto ſanxerunt & per omnes urbes dominii ſui proclamârunt, ne Jeſuitis amplius in illud regredi liceret: ſubditis quin etiam mandatum, ut filios ſuos, quos in Collegiis vel Scholis eorum habere poſſent, ocyus ſine mora domum revocent. Quid porro futurum ſit, cognoſcemus ſuo tempore. Transtuli ego nonnulla de hac lite ex Italico in Germanicum, & miſi ea Hanoviam ad Magnificum Brederodium. Si impreſſa ſunt, ut fore imprimenda ſpes mihi facta eſt, pete meo nomine exemplum à Typographo. Videbis non cotemnenda. Utinam illuſtris illa Reſpublica veniat vel tandem ſaniorem ad mentem, atque dum tempus eſt, evomat, quidquid è calice ſcorti Romanenſis hauſit veneni. ἀγένοιτο.

Vale, Vir amiciſſime, & me tui amantiſſ. redama. Tiguri 30. Auguſti 1606.

Tuus ex animo

C. VVaſerus.

Nobiliſſimo Viro
D. Melchiori Goldaſto, Juris Licentiato,
& Philologo Excellentiſſimo.
Domino & amico meo obſervando.
Franckfurt im Leinwat-
Hauß zuerfragen.

CXXIII.

CXXII.

S. P. D.

ET ego, nobiliſſ. Dn. reſcribo ſpiſſius, quam me facturum putaram. Ita enim cum nundinis adproximantibus negotia agent, ut iis profligandis vix ſufficiam ita ſolus. Accedit oculi invalitudo, quæ me per menſem unum & alterum ita adflixit, ut medici ſua ope parum hactenus effecerint, & me fere coegerint eſſe λειπεργάτην, ut meus Longus loquitur. ἀλλὰ τοῦτο τῷ ψυχῆς ὄμμα καὶ γυῖον ἀληθινῷ παιῶνι ἄριστα μελήσει· ὃ εὐχαῖς εὔχομαι. De Prudentio, & Oribaſio intellexi quæ ſcribis. Ut & de *Sleidano pariter tecum cenſeo.* Sed quis iſte ἀνέκδοτος ejus commentator quæſo, quem ſub Scriniis tuis conditum tenes? de ἐπιτετώτισαι conſiderabo porrò. Movet me in his vix quidquam præciſe adfirmare quod modum illum ἴω et ἴζω in iiſdem verbis ex manuſcriptis optimis variare videam. De Megalo vero vel Megallo quæ doces, mihi hactenus fuere profecto inaudita. Debeo ideo tibi δίδακτρον. Sed heus, nobiliſs. Dn ſine me iterum tuo auxilio uti. ſed celeri, & quod non procraſtinare velis, nam eo dein nos uti velle fruſtra erit. Gratum erit referre gratiam, & ad id ero promptus, ſi quid te velle intellexero.

I. Locus Apuleji Apolog. de paupertate; ad quem ſcribunt: Caſaubonus legit; *adverſum divitiis profeſſa* adverſam. Quæſo perſcribe ad me totam Caſauboni emendationem illius loci, qui aliàs hic: *æmula laudis, adverſum divitias poſſeſſa, habitu ſecum.* Sic peſſim explere noſtris operis hanc lacunam.

II. Alterum ſi ſcias quis præter Caſaubonum & nuperum Meurſium illum Apuleji locum ibidem; *hæc tibi ut quædam mendicabula animi ſordent*, ita reſtituerit: *mendicabula nimis ſord.*

Duo hæc ſi me ad ſummum intra triduum edocueris: rem facies gratiſſimam: quod facile tibi fore non dubito: & velle etiam

iam, pro noſtra amicitia credo. Vale atque ſalve. Raptim è Typographia Wecheliana. a. d. 14. Kal. Sept. 1606.

Tuus

Jungermannus.

V. Nobiliſſ.
Dn. Meliori Haiminsfeldio Goldaſto, Philologo & hiſtorico præſtantiſſimo, amico chariſſimo.
Franckfurt/im Carmeliter-Cloſter zuerfragen.

CXXIII.

SA quo Francofurti & reliqui, Vir amicisſime, totius ſeſquimenſis erroribus ad utramque Rheni ripam circumactus vix tandem, ſed ſalvus ad ſalvos meos Dei gratia redii. Et nunc ſcribo (ne fidem meam ultra eleves) ſed & promiſſa mitto, Ivonis Chron. cujus archetypum cum ſcripto collatum recipere cupio. Eum Francicis tuis præfigi, cum teſtatione aliqua amicitiæ noſtræ patior. Atque utinam integrari aliquando posſit, magna & optima ſui parte mutilus: quo nomine & in Galliam & Angliam ſcripſi. Mitto item Chronicon Latomi Francofurtenſe: quod non dubito ab ipſo continuatum auctumque fuiſſe; tu apud ejus heredes inquirendi, imò & conquirendi facultatem, (ut puto) commodam habes. Martini Chronicon (videtur alicubi vulgato eſſe auctius operæ pretium feceris conferendo) mſ. remitto: è quo hiſtoriolas illas Adolffi & Henrici VII. Impp. per itineris horas tædioſas exſcripſi; quas nunc invenio Continuatorem Urſpergenſis Paralipomenis ſuis, ut e Codice Wormatienſis Chronici deſumtas, intexuiſſe; ſed truncatas & interpolatas. Ego in faragine mea Germanicarum alicubi cum mentione tui inſeram.

Heimburgiaca abſolvo, & quibus de illis ſpem feciſti, conditione dicta 150. exemplarium in charta ſcriptoria, ferè eſt ut addicam. De quo proximè. Quæ de Johanna Aurelianenſi edidiſti,

con-

conſul. Bougarſio (ni factum) ocyus mittas Pariſios. Talia jam & Pariſiis eduntur. Vale & ſalve

à Tuo

Frehero

CXXIV.

S. P. Breviter accipe ab occupatiſſimo, quæ monenda videbantur. Collectione mistam tuam etiam adjutum irem (publicè refert talia ſervari, cum cautione tamen, ut è marginalibus videbis) niſi obſtaret Collectio ſimilis, & rerum rariorum, adornatà à quodam ſecreti conſilii (D. Lœfenio intelligentiſſimo horum temporum) mei Principis, & jamdum Ambergam miſſa Typographo & jam cepta: quæ, vereor, tuæ officeret. Atque adeò ejus elenchum mitto. Unde vides, nihil ſingulare ſupereſſe præter Aviſamenta iſta num. 5.6. quæ equidem non aſpernanda cenſeo. Elenchum Tomi tui rerum Germanicarum videre cupiam: fors ſit, quod ſuggeram. Sed & de aliis reſponſum tuum & prolixas de variis literas exſpecto, ſemper mihi gratiſſimas. Heimburgiaca abſolvo & brevi mittam. Specimen tituli, quod miſi, recipere & mutare cupio. Bulla Sigismundi num. 3. qua de re agit? extabit ſine dubio ſed jam non occurrit. Scribe, quæ jam ſub prælo habes, & ſpecimen mitte. Noſti quod ſim ſatis um curioſus, & deſiderii impatiens. Et ipſe ad nos aliquando excurre. Hiſce modo vale, & iterum ſaluto plurimum Dn. Segetum, ad quem tam longas literas ſcribere cœpi, ut necdum abſolverim.

Datum raptim Heidelbergæ 14. Novembris 1606.

Tuus Freherus.

A Monſieur
Monſr Goldaſt.
Franckfurt, bey dem Hn. Rector
im Baarfüſſer Cloſter
zu lieffern.

CXXV.

Nobilis atque Conſultiſſime Vir.

SI ulli unquam aliquid, Tuæ præſtantiæ certò debeo plurimum, idque variis nominibus, qui non ita pridem me antehac nonquã viſum, nec de te meritum, litteris tuis amore, benevolentia adeo & comitate pleniſſimis non ſalutare ſolum, ſed & libro à te doctè & concinne ſane ſcripto honorare, librariam quoque meam ſuppellectilem augere dignatus es, quo certè efficis, ut & me ipſum tibi debere volens nolens fateri cogar; Sed nec iſthoc benevolentia & amoris in me tui teſtimonio contentus eſt liberalis tuus animus, quin & nuper alios æquè doctè à te conſcriptos mihi tranſmittis & offers libros, quorum unum, (reliquos enim ex ſenſu tuo mihi reſervavi.) Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo meo Principi, Cujus Celſitudini poſterior libri pars inſcripta eſt, de manu in manũ tradidi, atque labores & induſtriam tuam ex ſuperabundanti comendavi. Hunc Celſitudo S. liberali certè facie ac fronte ſerena accepit, ſeque hos T. præſtantiæ laudabiles conatus valdè probare, & gratum exhibiturum ſe haud obſcurè annuit.

Quid verò à mea tenuitate pro his ſperes, nihil, ubi animum tibi devotiſſimum tuique obſervantiſſimum reſpuis, in me reperio, majus enim tuum in me eſt meritum, quam ut digne & pari aliquo munere compenſare id valeam; Quis enim non credat, Nomini meo, quod in frontiſpicio ſtatim libri tui poni dignum duxiſti, plurimum lucis de tuo illo lumine accreſcere, & pallenti meæ famæ? Id quod ſingularis tua facit humanitas, ſimul atque in omnes bonos, quibus ſolis Bidermannus Tuus probari cupit, amor & benevolentia;

Cæterum quæ de ſcriptis antiquioribus, & memoria dignis ex Augia olim divite, ſed nunc verè depauperata, petis, ſedulam navabo operam, ut ſi quid tale reliquum ſit, à me accipias brevi, ipſus enim illuc me conferam viſum, tale ne aliquid reperiatur quod peti-

petitioni tuæ ſatisfacere poſſit , certò namque de me hoc tibi pollicere, quod & omnia, tui cauſa velim, & libens meritò velim. Hicce vale Vir præſtantiſſime, meque tui amantem redamare ne deſine, &, ni pigeat ad fovendum mutuum amorem noſtrum ſæpè reſcribe. Mariſpurgi 20. Novembris Anno 1606.

Præſtantiæ & Humanit. T.

Obſervans & addictus
Joh. Georg. Biderman. D.

Nobili & Clariſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
J.C. Celeberrimo Domino Chr.
amico ſuo ſingulari.
Anjetzo zu Franckfurt zu erfragen.

CXXVI.

S.P. Ne utrinque erremus, Reformationem Sigiſmundi non niſi unam editam puto, cujus auctor intus ſe ita prodit: *Nomen Poëtæ*: Man ſoll wiſſen / alles das in dieſem Buch geſchrieben ſtatt/hab ich Friederich von Lands-Cron/ein Diener und Knecht und Rath Kayſer Sigmunds. Editiones ejus duas vetuſtas habemus, unam recentem Baſileæ per Seb. Henric. Petri in octavo. Scribe, an ita ſit, & quid habeat Bulla illa Sigismundi à te num. 3. notata. Et quæ præterea expectas, ubi receperis, ſignifica. Nam invicem adjuvabimus. Et D. Lœfenio rem gratam facies, quem tuo nomine ſalutavi. Nihil ne habes ad *Bohemica?* quorum ſecundam partem jam edo. Vale & reſcribe. 21. Novembr. Anno 1606.

Freherus.

CXXVII.

S.P. Receſſus ille Noribergenſ. Comitiorum Anno 1431. idem eſt cum illa Bulla Sigismundi: ut ex capitibus apparet. Et ab hoc incipit collectionem ſuam noſter Lœfenius, quæ jam Amber-

ge in folio excuditur, anterioribus amotis, in quîs & reformatione illa Sigismundi, utpote non authentica ſed apocrypha, & propoſito (ut noſtri loquuntur) in mente retento. Itaque inſtituto tuo illa editio officere non poterit, in quo ut pergas ſuadeo, atque adeò exornandæ illi Reformationi mitto de ea locum Trithemii non editum, valde ad rem facientem & præfigi dignum. Mittam & alia: in quîs (ni jam habes) matricula Imperii, Außzug deß Reichs Anſchlag/ den Römer zu belangend/ Anno 1521. zu Worms gemacht/ quamvis ejuſmodi extracta alia etiam excuſa extant. Conquiram & alia. Faveo enim huic conatui tuo, ut ceteris omnibus Elenchum Tomi & Germanicorum, Francicorumque à te quamprimum exſpecto. Cautione tamen ſumma in iſta collectione opus eſſe, ipſius ſatis vides in iſta capitum diverſitate in Imperio. Præſertim etiam ob inſtituta comitia, ubi talia divulgantur, & multos cenſores reperiunt. Ea ad Aprilem prorogata noſti. De conditione tibi optata ego & amici curam non depoſuimus, crede. Et ſpera bene, Tout vient à poinct, qui peut attendre. Vale & ſalve & ſaluta Dn. Segethum. 5. Decembr. 1606.

Tuus

Marq. Freherus.

Dominus Segethus promiſit hac hyeme huc excurrere, cui te conjungas velim. Gratiſſimus uterque hoſpes. Schönvvetterus excudit librum *Farrago Privilegiorum* in fol. Quam neſcio, unde Coraſam à neſcio quo Spirenſi nactus eſt. Puto utilem tibi eſſe poſſe. Equidem jamdudum expetii. Rogo exemplar mihi emas & per occaſionem mittas.

A Monſ.
Goldaſt de Heiminsfeld.
Franckfurt/
bey dem Hn. Rectore im
Baarfüſſer-Cloſter.

CXXIIX.

CXXIIX.

S. P.

QUas tu ſolennes moras objicis homini tam fidei tenaci & officiorum prompto, & forte magis præcipiti? habes ecce Matriculam & duo Ferdinandi Imp. Edicta, quæ ut ad Papiſtas magis inclinantia, ita fidem majorem collectioni tuæ conciliabunt tanquam ex æquo utrique parti faventi. Indago & plura, quæ mittam, jam relego Heimburgiaca, quo proxime tabellario omnia ſimul mittam. Notis tantum & primo folio ad finem operis reſervandis. Quod Typographo indicabis, & pactum de 150. exemplaribus (ut ſcribis) ad liquidum panges. Interea Faraginem privilegiorum ab illo exſpecto prima occaſione. Numeros ſuadeo non Barbaricis Ziffris 1.2.3.4.&c. ſed Latinis Literis deſcribi I.II. V.X.&c, eſt elegantius & minus ita peccatur. In notis ad Valerianum pag. 146. laudas poëma facetum & elegans, ſed Barbara lingua ſcriptum *Lybiſtri & Rhodamnes*, ut à Martino Cruſio vulgatum, quæro, ubi? an ſeparatim, an in aliquo opere majori? reſponde. Pleſſeni uxor nuper deceſſit in partu. Vides verſiculos non optimi Poëtæ; Vale & ſalve à me & Amicis.

Datum raptim 14. Decembris 1606.

Tuus

M. Freherus.

QUem *Pleſſene* doles non ficta fronte dolorem,
Tecum iterum doleo, ceu dolui ante meum.
Ingens plaga, malum inſuperabile. Vulnus acerbum,
Impius aut lapis eſt, quem minus illa movent.

Tu

Tu tamen in cura requieſcens ætheris almi
    Mentem animi, certus numinis, æquus habes.
Nemo Deum præter talem donare jugalem,
    Præter eum talem tollere nemo poteſt
Motus amore dedit, proprio jam jure repoſcit.
    Quis ſua, cui ſeſe debeat ipſe, neget?
Mittere quis Maram renuat, quo tendimus ipſi?
    Non mors, ſed vitæ hæc meta (ſumma) vocanda (petenda) piis.

CXXIX.

S. D. Cùm lator harum Valent. Borſch/civis (ut ait) veſter ſalutem abs te mihi nunciaret in loco Conſiſtorii (nam ipſius cauſa Senatus habebatur) crede mihi, optime & Nobilisſime Goldaſte (verè talis) exſilui. Nam factum nimis diu eſt, poſtquam abs te aliquid; privatim inquam: nam quæ publicè dediſti, ſcimus. Parænèticorum tuorum Tomum I. olim mittebas; atque ab eo die ne literam: etſi minari viſus non unâ vice: ita certè Schürerus noſtrás, itaque nunc tuus iſte prædicant. Sed his miſſis, dic mihi quis Priapi Scoppiani egregia illa ſacra invulgavit? Aut tu, aut Goldaſtus, nonne? profectò riſi, ut vidi, at ille non ridebit, ſatis ſcio. De mea Plauti editione: ejus (ut nuper, niſi tamen fallor, ſcripſi) me piget, pudetque. Minamur accuratiorem. Tu, pro ingenii tui divinitate, minas noſtras juvabis, & CANDIDE, hoc eſt, liberrimâ voce errantem caſtigabis; & quæ tu interea obſervaſti, etiam ſubmittes. Fragmenta inprimis, ſi omnino per opera tua operoſiora poteris, fac emendatiora & notis illuſtrata habeamus, aut da optionem ex Amicorum tuorum proventu. Optimus noſter Rittershuſius carmen ad me mittebat ſuperioribus diebus: quod ego hîc publicare auſus ſum: ſpero cum gratia amici communis. Ejus exemplum ecce habes. Addo & de meo aliquid, quod vicem

cem ſit litterarum, quas volebam, prolixiorum. Vale atque iterum ſalve dulciſſimum caput Goldaſte à Tuo

Taubmanno, *qui hæc feſtinabam inter varias occupatiunculas 19. Decembr. Anno 1606. Wittebergæ.*

Si me amas, ad communem amicum noſtrum Caſaubonum has litteras utprimum mittas velim.

Clariſſ. & Nobil. Viro
Melchiori Goldaſto ab Heiminsfeld, Helv.
Amico meo magno.

Francofurti.

CXXX.

S. Quæ ex nundinis nuperis miſeras, Vir Nobiliſſime, ea omnia probè reddita ſunt: pro exēplaribus, quæ mea eſſe voluiſti ex liberalitate tua, gratias tuæ humanitati ago ingentes: operam dabo, ἐάν πῃ ἐπιτρέπει ὁ Θεὸς, ut ἀντίδωρον, ſi non æquale, tamen eodem ex animo profectum, à me habeas. Tomum ligatum tuo nomine obtuli Conſuli Groſsmanno, cujus vices tunc erant, totique Senatui noſtro ampliſſimo: cui certè dedicatio fuit longè gratiſſima & acceptiſſima: quod brevi reipſa teſtatum faciet. Alterum, quem ego compingendum dederam, obtuli eodem fere tempore venerando Collegio noſtro Doctorum & Profeſſorum Eccleſiæ Scholæque noſtræ, in frequenti Cœtu ordinario; quibus benevolentia illa tua in ipſos eximia non minus grata acceptaque fuit: utque experiaris gratiſſimam accidiſſe, illi quoque operam dabunt. Liber egregius eſt, & dignus, qui noſtris temporibus à quovis homine litterato, præſertim Theologo, legatur: cujus certè operæ præclarè navatæ habebis præcones aliquando etiam poſteros. Tu hiſce & ſimilibus voluminibus perge juvare Rempublicam Chriſtianam pro ſummis illis donis, quæ divina tibi conceſſit Clementia.

Quod reſtat, gamelia tibi gratulor ex animo, Deumque oro vehementiſſimè, ut illa quam fortunatiſſima tibi velit eſſe. Epithalamia mittentur ad nundinas, ſi quæ obtinebo. Meum tamen habebis qualecunque. Sed ut Brouchtono ceſſit? Id enim ſcire poſſem.

Quod de Heliopholo à Perſis addidiſti, illum ab Alchymiâ haut deſtiturum, profectò idem unâ tecum puto; & ſatis manifeſtè apparet ex diſquiſitione ejus nupera, denuo impreſſa Marpurgi: quæ noſtros vehementer offendit. Publica apud nos priſtino loco ſunt. Vale, Nobiliſſ. Vir, amice ſumme, meque favore tuo proſequi perge, qui tibi ad omnia officia, quæ à me proficiſci poſſunt, ſum paratiſſimus.

Tiguri, 23. Decembr. 1606.

Cl. V. Dn. Seghetum Scotum, veterem meum amicum, officiosè ſaluto; ad cujus humanisſimas litteras reſcribam brevi: nunc per negotia non licuit.

T. totus

Caſpar. Waſerus.

Nobil. & Clariſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & Amico meo ſummopere colendo.
Francofurti ad Mœnum.

CXXXI.

NOn fefelliſſe me ſpem meam, quam jam pridem de te, cum diſcipulus meus eſſes, concepi, Clariſſime Domine Doctor, Dn. & amice honorande, non ſolum litteræ tuæ terſiſſimè & politisſime ſcriptæ, ſed etiam adjuncta opuſcula ſatis ſuperque teſtantur. Quæ ſanè ego amplisſimo noſtro Magiſtratui de meliori nota commendavi, & plane ſperavi, me honorificum aliquod tuæ Præſtantiæ honorarium impetraturum. Verum cum Reſpublica noſtra; ut

&

& aliæ vicinæ, exactionibus vel tributis hactenus in Turcicum bellum factis, valde exhauſta & prope tota obærata ſit: nec deſint propè quotidie, qui vel libros Magiſtratui noſtro offerant, vel ſtipem petant: & inſuper ex Conſulibus noſtris & Senatoribus pauciſſimi literati ſint: ita ut uſum & fructum talium ſcriptorum non ſatis intelligant; Unico aureo nummo, quem his literis incluſum accipis, te ſimul & me contentum eſſe oportet. Quia vero Suevici tui commentarii exemplar etiam Bibliothecæ noſtræ, vel Miniſterio, Eccleſiæ & Scholæ transmiſiſti, agunt tuæ Præſtantiæ, Eccleſiæ & Scholæ noſtræ Miniſtri eo nomine magnas gratias; & ut ipſi quoque ſuum erga te gratum animum aliquo modo declarent, adjunctum alterum nummum tibi per me mitti voluere: obnixe rogantes, ut præſtantia tua exiguum iſtud munus æqui bonique conſulat. Ad me quod attinet, grato etiam animo opuſcula tua accepi: lecturus ea cum primum commoda ſeſe occaſio obtulerit; & cum plura etiam te transmiſſurum pollicearis, ea expectabo: & tum demum operam dabo, ne in ingratum te beneficia tua contuliſſe reipſa experiaris. In præſentia verò hoc tibi de me perſuadeas velim, opuſcula tua mihi perquam grata eſſe, meque magnópere mihi de tali diſcipulo gratulari, qui ipſummet Præceptorem Eruditione & aliis donis ſuperet. Plura ſcriberem, niſi jam propediem non ſolùm funus affinis cujusdam mei mihi deducendum, ſed etiam funebris concio habenda eſſet. Quare te præſtantisſime Vir per breves meas literas boni conſulere, meque tibi comendatisſimum eſſe cupio. Reſalutat te frater meus cum Collegis. Datæ Memmingæ. 3. Id. Martii Anno novisſimi temporis 1606.

T. Præſtantiæ Studioſiſſ.
David Lange, Eccleſiæ ibidem Miniſter.

Clariſſimo & Conſultiſſimo Viro
D. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto, V. I. Doctori, Domino ſuo reverenter colendo & honorando hæ literæ reddantur.

In Biſchoffs-Zell.

CXXXII.

Salutem plúrimam & felicisſima anni auſpicia.

HAbes tandem Vir amiciſſ. Heimburgiaca deſcripta, relecta, diſpoſita, & prælum appetentia. Conditionum memor eris, de quibus antea inter nos actum. Formam & characterem optem paria Marſilianis, quæ adjeci ut argumenta paria, etiã charta & littera ſint æqualia. Neque hoc Typographo grave erit. Accedet autem adhæc ejuſdem *Admonitio ad Principes contra Papam*, edita olim ab Illyrico quam jam deſcribendam dedi, forte 10. foliorum, quam proximè mittam, pro corollario minori littera addendam. Specimen ubi cæptum erit, fac videam; ut & tuorum, quæ ſub prælo habes. Vale.

Dat. rapt. 2. Jan. 1607.

T. Freherus.

Propediem plura.

Carmen meum ad Pleſſeum, Lectum concerpere aut ad me mittere potes.

Apologia illa gemina Ludovici Imp. credo, verſa eſt è Latina, edita à Nauclero, Flaccio, aliis, & in meo Tomo I. Germ. in appendice.

A Monſr.
Monſr. Goldaſt de Heminsfeld.
Franckfurt beym Herrn Rector im Cloſter.

CXXXIII.

S. P. Perplacet inſtitutum tuum, ſocero meo Lœfenio, mihique nec utilius videtur poſſe collocari opera, quam in vindi-

can-

candida antiquitate libertatis patriæ. Ex illis quæ conſignaſti, Henrici conſtitutionem de Phalburgiis, & Gravamina nationis, Socer quoque in ſuis habet, quæ jam eduntur Ambergæ, cum excuſa fuerint dabo operam ut exemplar quoque quam primum habeas. Lœtenius non putat rectè conjungi cum reliquis quæ de Rotvvilenſi judicio habentur. Nam illa non auctoritate publica imperii facta neque etiam hactenus rata ab aliis habita. Video quædam lingua Belgica te habere ſcripta, qua lingua vix eſt ut credam Impp. publicè uſos, ſi nanciſci quid eorum potero, vel ſimilium lubens ſubminiſtrabo. Sed & alioqui in tuo ære me eſſe profiteor, paratus commodare, qua potero. Certè inſtitutum tuum laudabile, quod favorem apud bonos tibi conciliabit.

Verum licet ne apud te liberè quid ſentiam proferre? quidni liceat inter bonos? nolim tuum nomen immixtum fœdis Priapeis infamis illius Scoppii, quam indignum, quod protervus ille nebulo inſultat optimis quibusque? & tam contumelioſus eſt in μακαρίτην Douſam? ecquid enim illi quisquiliæ quod huc dignum ſit? ad ſpurcitiem rerum addit ſordes verborum, nec vidi adhuc, qui rem Veneris, tanta verborum fœditate dehoneſtarit. Quærit ille ex inſectatione bonorum nomen, ſed cum abominatione optimi cujusque, & fruſtra caticula Lunam allatret. Jam oppedit rurſus Scaligero & Casaubono, optimè de litteris meritis. Neceſſe eſt bellum virtuti indixerit, qui ſic graſſatur. Tu ignoſces juſtæ meæ indignationi, qui doctam te de literis præclarè meritum contagione quadam iſtius hominis ſceleſtæ impudentiæ contaminatum. Laudem veram parabis iſtis quæ jam moliris, cui & ego applaudo. Ceterum quæ mihi tribuis nimia ut non agnoſco, ita gratus tam eſt mihi amor tuus in me, in quo mutuum tecum facio. Publicæ rei, quod nunciem, jam nihil eſt. Itaque valebis, Vir Nobiliſſime.

Heidelbergæ. 16. Jan. 1607.

T. omni ſtudio

Lingelshemius.

Nobili & Clariſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, &c.
Domino meo colendo. *Francofurtum,*
Im Carmeliter Cloſter.

CXXXIV.

S. P.

SPeravi aliunde eruere aliquid pro collectione tua juvanda, ſed ſpes fefellit: & valeat. Mitto Friderici II. Reformationem, ut quidem edita Baſileæ, quem libellum exſcripta illa integrum ad me redire cupio: ob cauſas. In Matriculis illis nihil expedio, video & numeros & nomina corruptè paſſim ſcripta. Et altera, quæ reditus habet, planè edi negat. Utraque à privato aliquo, nec ſatis liquido ſcripta videtur. Apologiam illam Ludovici Imp. nunquam vidi Teutonice ſcriptam, neque ita originaliter ſcriptam puto, ſed ex Latina (quam Nauclerus, Flaccius ediderunt) verſam, & fortè ineptè. Marſilii Defenſor Pacis Teutonicè verſus extat ſed ineptiſſimè. Notas in fine operis an additurus es? non dubito. Et videre cupiam ſive ſcriptas ſive excuſas. Fors erunt, quæ addere, monere, poſſim. Hiſce modo Vale. Dat. raptim 23. Januarii Anno 1607.

T. Freberus.

Farrago Privilegiorum ubi eſt? Specimen Heimburgiacorum ubi cœpta, videre cupio, & Miſcella Idacii mihi ſubinde opus, quia jam Francica ſub manu. Remittas ubi uſus fueris. Excuſus eſt olim à Feirabendio (niſi fallor) ex antiquiſſima editione liber Käyſerlich Land- und Lehen-Recht fol. curante Schardio vel Meiſnero. Is ubi neceſſario videndus ad iſtud inſtitutum.

A Monſr.
Monſr. Goldaſt
à Francfort.

CXXXV.

S. P.

FRehero tempeſtivè indicavi, quid peteres, ille longo poſt intervallo negavit, ſe quidquam tibi præſtare poſſe. Ceterum gratis-

tiſſimum mihi fuit cognoſcere tibi itidem diſplicere, caninam illam maledicentiam. Quod auctor jactaris Idoli Hallenſis, non ignominioſum tibi eſſe debet apud bonos. Lipſius libellum illum blaſphemum in ſe & Divam nuncupavit, ſed refutationem adgredi auſus non eſt, nec puto auſurum quemquam cui ſanum eſt ſinciput. Audio Scoti Vindicem veritatis à quodam redargui. Vidiſti opinor Amphitheatrum honoris, in eo putatur Idoli auctor divinus Scaliger, tanto minus tibi dolendum ſi iſti par judicatis. Salutem dixi, Præſidi & amicis tuis, ij te reſalutant. Rotvvilenſe judicium privata auctoritate inſtitutum à Cæſare & ab Auſtriacis adhuc uſurpatur. Sed ab Imperii Ordinibus nunquam comprobatum. Sed per me licet ceteris tuis adjungatur præſertim, cum tu emendatius feceris. Quod Cameræ inſinuatum, non addit ideo auctoritatem, nam privatorum quoque privilegia illic inſinuari ſolent. Hæc ego feſtinantiſſimè diſtractus aliis. Vive valeque, & à me amica omnia exſpecta.

Heidelberga, 29. Jan. 1607.

Tuus

Lingelshemius.

Ecce autem abs te redditur mihi cum epiſtola etiam munus gaudeo, hæc apud nos quoque publicari pleraque jam legeram, viciſſim credo tibi placituram iſtam quam mitto Conſultationem, Lutetiâ ad me miſſam à Bongarſio, quæ Spiræ jam recuſa, non pro meo voto. Multum tibi debeo, paratus referre gratiam qua potero. Vale.

Nobiliſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, &c.
Domino & amico ſuo ſingulari.
Franckfurt/ im Carmeliter-Cloſter.

CXXXVI.

CXXXVI.

S. Indignor tibi moleſtiam creari ab improbis, aliter merito de bonis litteris: Sed bonum factum, quod muſcæ iſtæ odioſæ quidem ſunt, ſed ſine aculeis nocere non poſſunt. Frehero ſtatim ſuas tradidi & quæ juſſiſti indicavi. Gratias habeo, de iis quæ nunciaſti. Conventus Circularis ut vocant, Rheni Vormaciam indictus, ut de quibuſdam capitibus deliberetur per quæ præparatio quædam fiat ad Comitia, quæ omninò putantur in complures adhuc menſes prolatum iri. Neſcio an videris, reſponſionem hanc, acrem & doctam. Volui te ejus participem facere, ut ſaltem agnoſceres, animum mihi eſſe gratiæ tibi referendæ. Gallus Venetis denunciavit nihil ſe opis ipſis publice præſtare poſſe adverſus Papam, neque copiis neque auro, itaque Cardinali Joyeuſio & Freſino Legatis ſuis mandaſſe, ut unà cum Hiſpanicis id agant, quo controverſia illa componi poſſit. Quidquid fiat, vulnus inflictum magnæ Beſtiæ, quod haud facile ſanabitur. Tu vale & amare me perge. Reſalutant te quos nominaſti Præſes Lœfeniusque. Heidelb. 27. Febr. 1607.

Tuus omni officio

Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſt, &c.
à Francfort
Im Carmeliter Cloſter.

CXXXVII.

S. O ſcelus Bilderbeckii! inquire apud poſtam, an non forte è Colonia ad te remittat literas meas, quas periiſſe nolim. Notas omnes jam affectas cum præfationibus cras mittam per mercatores noſtras cum non ſint multa, abſolvere triduo Typographus poterit, quod & alii tali temporis articulo antehac non gravatim faciebant.

In-

Interim ſi Latina donatio Conſtantini nondum forte cœpta eſt, cupio deletis verbis quibuſdam viridi colore ſubductis, iſta ſubſtitui in ſcheda conſignata, quæ ſunt in authentica editione apud Martin. Polon.

Et ne me tui immemorem putes, ecce inſigne diploma Friderici III. ex Originali ſigillato tranſcriptum. Sum tuus & ſalvere te jubeo. Raptisſime d. 10. Martii 1607.

Tuus

M. Freherus.

Scribe paulo ſpecialius quis tuus hoſpes, an recipere nos menſa, lectis velit & posſit, quo pretio?

CXXXIIX.

S. Vidi apud D. Waſerum noſtrum *Scriptores rerum Alamanicarum* abs te luce donatos, qua in utilem navaſti operam & apud antiquarum rerum ſtudioſos magnam iniiſti gratiam: utinam aut maturius edidiſſes, aut Typographus noſter cum editione Chron. Stumpfiani non ita feſtinaſſet, quo illud auctius & emendatius in lucem prodiiſſet: Utinam illud pervolvere poſſem, & ſingula penitius & diligentius legere.

Vidi obiter Catalogum priſcorum Germanicorum Nominum, de quo te hoc admonere volo D. C. Geſnerum piæ memoriæ collegiſſe Germanicorum nominum propriorum Virorum & mulierum (quibus uſa eſt Germania, antequam Sanctorum nomina ex linguis peregrinis reciperet) aliquot millia ſecundum terminationes diſpoſita. Schedas illas ab obſervando affini meo D. Caſparo Wolphio p. m. nactus, auxi & in ordinem redegi & deſcribere cœpi, nulla autem edendi occaſio hactenus data, Patrono nimirum deſtitutus. Si editione digna videbuntur, transmittam, ut emendare & ex tuis ea locupletare poteris.

Intelligo te colligere Itineraria in terram ſanctam. Felicis Fabri habet D. Heinricus Hauzolius, ubi res ipſius paratæ fuerint, communicabit. Habeo in mea Bibliotheca Lodi à Moggen nobilis Lucernatis Latinè Dillingi editum Marchionis Loſſi von Unterwalden Germ. Item Jacobi Tſchudi Glaronenſis Anno 1529. Germ. Peter Füsli von Zürich Anno 1528. mſ. Hæc aliaque commodare paratus ſum. 13. Martii 1607.

T. t.
Marcus Widlerus, Tig. P. Kilchbergenſ.

CXXXIX.

S. P.

EGone ſileo, qui nuper ad te literas longiſſimas ſcripſi, per Bilderbeckium, quas ſanè nolim periiſſe: erant enim & adjuncta & incluſa, de quibus reſponſum tuum exſpecto. Notas ad Heimburgiaca ſtatim abſolvero, & per proximos mercatores ſequenti ſeptimana certò mittam.

Libellum quem petis, habui: an habeam non ſatis ſcio, nam diligentiſſimè quæſitum non reperio, ſi adhuc reperiam, certo habebis. Forte tibi ipſi, aut aliis jam donavi. Puto è Latino verſum fuiſſe & illa quæ mitto, cui ille adjunctus fuerat.

Semper enim paratiſſ. me habes ad ſervitia. Hiſce modo vale & ſalve ab occupatiſſimo.

Raptim 13. Martii 1607.

T. Freherus.

D. Hipp. te ſalutat & Lingelshemius.

Reſponde quæſo ad literas ſuperiores. De illo imprimis, an in hoſpitio tuo per nundinas commode diverſari poſſim; quæ ibi conditiones & commoditates hoſpitum?

Velim

Velim te ipſum correctionem ultimam hujus opuſculi ſuſcipere, in quo correctores forte nec mihi nec Lectori ſatisfaciunt.

Diploma Ottonis tu quoque deſcripſiſti, itaque ſi illi hærent, tu adjuvabis.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heiminsfeld, &c.
Franckfort.

CXL.

S. Litteras tuas, Nobiliſſime Vir, ſcriptas ad d. V. Eid. Jan. accepi: & quos ex Bibliotheca noſtra libros poſtules intellexi ſatis. Sed narravit mihi Bibliothecarius noſter, Dn. Friſius, ſe nullum eorum, quos adſignaſti, reperire potuiſſe, quum diu quaſiſſet. Gratificari ergo tibi haud poſſumus, quum vellemus maximè. Itinorarium terræ ſanctæ, quod hîc deſcribendum curavi, remitto ad te, nec denuo deſcriptum. Nam qui deſcripſit ſanctè affirmat, ſe illud juxta exemplar manuſcriptum quam fideliſsimè deſcripſiſſe: & ei rei teſtimonium perhibere poſſum non tantum ego, ſed Dn. Eglinus noſter, qui tempore quodam deſcriptorem, Joh. Jacobum Weckerum, convenerat, & miratus fuerat ejus in deſcribendo diligentiam. Pretium ligaturæ alterius voluminis tui in ſcheda incluſa deſcriptum habes. Quæſo illud digneris Dn. Jo. Felici Orellio, mercatori noſtrati, à quo has accipis, refundere, cui in mandatis dedi, ut Francofurti aliquid meo nomine emere dignetur.

Ceterum pro tam honorifica & amica inſcriptione tua, qua honoraſti plurimum utrunque Senatum noſtrum, mittitur ad te poculum argenteum per eundem Dn. Orellium: quod ἀντίδωρον ut pro comitate humanitateque tua boni conſulas, te etiam atque etiam utriusque Collegii nomine, obnixisſimè rogo. Si præterea idem tibi gratificari poteſt aliis in rebus, habebis paratisſimum & promtisſimum: Tu vicisſim in benevolentia tua erga nos perſiſtere velis. Quæ de B. ſcripſiſti, non miratus ſum.

Nam eadem ferè, aut paria ab illo audivi. Apud Dn. Beumlerum te excuſavi, qui excuſationem accepit. Novarum rerum nihil eſt, niſi quòd utrinque maximi apparatus fiunt in Italia à Venetis & Papa. Per Sant Gallum & Toggenburgicos quotidie plurimi milites Germani Mediolanum contendunt. Vale, Nobilisſime & humanisſime Vir, meque favore tuo proſequi perge. Reſalutant te Dn. Lemannus, Stuckius, Lavaſarus, Hoſpinianus, Beumlerus, Simlerus, adeoque totum Collegium noſtrum. Datum Tiguri, 13. Martii 1607. Reſalutat te honorificè etiam uxor mea.

T. totus

Caſp. Waſerus.

Nobiliſſimo Viro:
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, &c.
Domino & Amico meo ſummopere
colendo.
Francofordiæ ad Mœnum,
Jm Carmeliter Cloſter zu erfragen.

CXLI.

STe, Domine & affinis ornatiſſime mei ſemper eſſe memorem & amantem ex dedicatoria tua epiſtola, in qua honorificam mei mentionem feciſti, facile intellexi; noli dubitare, quin benevolentiæ huic tuæ reſpondeam, ſemperque ſim reſponſurus, dum vivam. Gratulor tibi ex animo, de honorifico & opulento tuo matrimonio, ſi verus eſt nuncius, qui ad nos pervenit. Præmio, quod à Senatu, Collegioque noſtro tibi decretum pro dedicatione tua à D. Vaſero noſtro accipies, pro animi tui æquitate ſis quæſo contentus, majus elicere non potuimus: de quo D. Vaſerus te ſuis literis plenius certiorem faciet. De rerum noſtrarum ſtatu ex D. Volfio, & mercatoribus noſtris coram certior poteris fieri. Vale meque tui amantem & obſervantem redamare perge, & nobilis-

liſſimo doctisſimoquе viro D. Marquardo Frehero honorificam meo nomine ſalutem dicito. Tig. 16. Martii Anno 1607.

Tui Studioſisſimus

Jo. Guil. Stuckius.

Genere, ingenio, doctrina & virtute ornatiſſimo Viro

D. Meliori Goldaſto Haiminsfeldo, Domino & affini ſuo percaro & obſervando.

CXLII.

S. Multa me memoranda docuiſti ultimis tuis, gratias habeo: quod viciſſim nunciem, nihil eſt, cum ad vos undique confluant, qui quidquid uſpiam geratur narrare poſſunt. Tantum rogare te volui, ne mea cauſa ſumptus facias in emendis ſcriptis Italicis ſuper re Veneta, mittuntur pleraque etiam aliunde, ac jam vidi Eugenii ſcriptum contra Venetos. Nihil vidi ego comparandum Pauli Servitæ ſcriptis, ſed perplacent etiam, quæ in Gallia edita. Sed avocor. Tu vale & me amare perge. Heidelbergæ 25. Martii 1607.

Tuus

Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſte &c.
Carmeliter Cloſter
à Francfort.

CXLIII.

Diu eſt, cum ad te ſcripturio, mi Doctiſſime Goldaſte, ſed quorſum literas mitterem incertus & dubius huc uſque diſtuli. Gratiſſima tua munera literaria ipsâ materiâ tuâ ipſius operâ, ſine qua

magis illa proba quàm clara. Tu enim his antiquitatis tenebris facem prætuliſti, quam nulla temporis deinceps injuria extinguat. Perge, quæſo te, & quæ cepiſti propera, quæ confecta habes, mature prome, nomenque tuum jam ſatis quidem omnibus melioris mentis cognitum, & carum majoribus veluti columnis in æternitatis æde, ſtabilire, perſevera. Qua in re tibi auxilio eſſe poſſim, tu certè videris. Ego ne à me fruſtra aliquid poſtules profectò enixim laborabo. Murenſe Chronicon non amplius habeo. Neque eſt res alicujus momenti. Quicquid pene ejus eſt, in Habsburgiacis reperias, paucæ ſunt pagellæ. Integrum dicitur extare Tiguri, & impendit aliquantum pecuniam Abbas, ut recuperaret: non potuit, neſcio cujus fraude aut malitia. De Tellio quod requiris etſi in Antiquitatibus Helveriis famam ſecutus quæ vulgarem tradiderim, tamen ſi ſeriò & penſitato ſentiam proferre lubeat, fabulam meram arbitror, præſertim cum ſcriptorem aut Chronicon nullum adhuc repererim, qui ante centum annos vixerit aut ſcriptum ſit, in quo ejus rei mentio ſit. Ad majorem invidiam ficta videntur ea omnia, & fabulam ortam ex more loquendi vulgi, qui Sagittarium commendans pomum de vertice filii poſſe impunè & innoxiè dejicere telo, eum jactitat. *Ipſi Uranii* de ejus ſede non conveniunt, nec familiam aut poſteros ejus oſtendere poſſum, cum pleræque aliæ familiæ eorundem temporum ſuperſint. Multa alia argumenta habeo. Sed cur te morer in tali re? pergratum feceris, ſi Helvetiâ tu maturaveris. Cupiam jam quoque ſcire auctores. Nec dubito quin multa in iis quæ ad perficiendos meos Principes Auſtriacos facere poſſint. Ea cauſa cur adhuc ſuſtineam. Adfectos habeo de Principibus Auſtriæ Habs-

Habsburgiæ gentis libros X. Urgentque Cæſar & Archi-Dux Maximilianus ut proferam, ſed nondum moveor, qui adhuc ſpero tua opera aliquid quod illuſtriores eos reddat nanciſci, ſicuti ex tuis Suevicis haud pœnitenda hauſi. Kiburgios perfice. Merentur ſanè & illi tuam gratiam. Francicorum vix fero deſiderium. Poſtremo tibi perſuade, ita me & bonos omnes de te & tuis ſcriptis ſentire: nihil poſſe accuratius atque doctius antiquitatisque ſtudioſis fructuoſius & gratius provenire. Ab Habsburgiaca augenda aut illuſtranda ſi quæ habes, ut habes, quæſo, impartire, & ſi quæ præterea jam tuo marte, tua induſtria & opera edita, & ad plures manus, nondum tamen ad meas perlata. Cupio tua omnia. Deamo ſingula tui ingenii, tuæ amicitiæ clariſſima monimenta, ſed hanc quoque frequentioribus literis excita, quod me quoque facturum ſpondeo, ſi quo mittam ſignificaveris. Vale mi Goldaſte, & me tui amantiſſimum redamare perge.

Friburgi Briſg. 27. Martii 1607.

Tui ſtudioſiſſ.
F. Guillimannus.

Viro Clariſſ.
Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Domino ſuo & amico
ſingulari.
Francofurti.

CXLIV.

CXLIV.

Homo proponit, Deus diſponit.

EGo enim ad vos ardebam,ſed retinent pedes, neſcio quid podagricum verminantes, & cætera corporis valetudo non nimis bona. Itaque præter ſpem fiet, ſi vel adhuc in fine nundinarum me videatis. De voluntate interim iſta tam bona tibi gratias ago, paratus referre. Sed heus, quod primum volo, ſcripſit Sereniſſ. meus, ſuper libro iſto ad viduam HohenSaxiam & Stuckium,ut vides: & non deſinit me urgere, ubi reſponſum ? ubi liber ? miſſurus erat peculiarem curſorem, ſed ſuaſi, ut expectarentur nundinæ, in quis forte per Bibliopolas Tigurinos acciperemus, quod deſideratur. Inquire ſodes cum ſtudio & rem age qua & Principi gratum fiat, & nobis commodum inde proveniat. Nam ſi recipiamus, faciam, ut reliqua exſcribere poſſis, & totum publicare.

Conſtantini Donationem non prodire certè doleo. Id ſi ita eſt, addam ſanè & notas ipſas in textum jam paratas, ſed ut ſtatim à nundinis excudantur quo juncta illa Heimburgiacis compingere & Venetias curare poſſim. Exemplaria,quot valet, Marſchallo noſtro Bibliopolæ dari juſſi: tu curabis. Reliquæ probè compacta illi trade, ut ad me perferantur.

Et autographa mea (quæſo iterum, nam antea per Bilderbeckium, à quo literas meas accepiſti) vide ut ſerventur, & ad me redeant. Ea enim ego (ob cauſas) religiosè aſſervare ſoleo. Hiſce iterum vale & ſalve.

Datum Heidelbergæ, 30. Martii 1607.

T. Frehertu.

Dem Edlen und Ehrenveſten
Melchior Goldaſt von Heimingsfeld/etc.
Meinem günſtigen vertrauten
lieben Freund.
Franckfurt im Carmeliter Cloſter.

CXLV.

CXLV.

S. Narro tibi, heri in hortis Princeps cœnavit, cujus epulis mihi accumbere contigit. Aderat Legatus Cæſaris, Baro Wolckenſtenius, Bipontini, Hanovici, alii ſtatim ad me de libro illo, ubi moretur? adfuiſſe ſibi his diebus nobilem ex illis partibus oriundum, ei ſe dediſſe negotium apud Baroniſſam inſtandi. Imo res in vado eſt, inquam, liber extat in manibus COS. Tigurini, mittendas propediem huc. Fiat, inquit: ego enim illum deſidero. Quare pro primo & ſummo capite mandatorum, de rogo, ut hocce negotium confectum nobis des. In Conſtant. Donatione ipſa illuſtranda hactenus multum operæ poſui & abſolvi. Latinam integram alicunde erui, cui Græca (quatenus convenerunt) è regione oppono, utraque ſuis notis compta; & excrevit ſub manu labor, ut juſtum opuſculum conficiat. Num ad Carolum quoque in notis quædam & paſſim mutanda & addenda ſunt. Quare maximopere rogo, ut chartas meas omnes, nihilo excepto, per iſtunc ordinarium mihi proximè remittas, recepturus cum fœnere per eundem, ut prælo ſtatim mandentur. Sunt & alii Typographi, qui pro iſto opuſculo apud me inſtant; ſed ego fidem datam ſervare didici.

Interea alterum illud de æquitate credere poterit, cui præfigam præfationem ad Cancellarium noſtrum. Interea exemplaria Heimburgiaca retine penes te, donec & alterum obſervatur. Tum de occaſione ad me transferendi videro. Si literas illas meas accepiſſes, jam jam tum ſciviſſes pro XX. quæ petis, XXV. exemplaria me obtuliſſe. Ea ergo habe. Bilderbeckius ait, ſe cuidam,

faxo ſciam cui ? literas Francofurti dediſſe, ſpero adhuc ſalvas fore. Si ad nos huc exſpatiari velis, gratiſſimus hoſpes eris, domus mea patebit cum menſa & cubiculo. Tu tenuitatem boni conſulas. Vale optime, dat. raptim: jam jam enim currus Principis jungitur, cum quo mihi excurrendum Manhemium, cras reverſuri. 10. Aprilis 1607.

Farrago Privilegiorum ubi?

T. Freherus.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heimingsfeld à

Franckfurt/
im Carmeliter Cloſter.

CXLVI.

S. P.

Litteras meas ante octiduum ſcriptas rectè te accepiſſe & contenta curæ habere confido. Miror autem ſchedas meas ſuper Donat. Cõnſt. non remiſiſſe, in queis neceſſariò mutanda & addenda ſunt, & formula planè nova Græco-Latina ſubſtituenda. Quæſo ne ipſe in mora mihi ſis. Spondeo, me ſtatim totum remiſſurum. Interea Exemplaria XXX. accepi à Nauclero noſtrate. De fide & diligentia tua gratias magnas habeo; in ipſa quidem editione ſunt, quæ deſideremus, ſed contenti ſimus hoc Catone.

De æquitate illud an excuditur? Præfationem præponam ad Cancellarium noſtrum ſanè luculentam.

Atque

Atque eccum quæ Noriberga ad me afferuntur, quondam Bilib. Pirckeymeri V. C. opuſcula pleraque ἀνέκδοτα edenda meo arbitratui & curæ permiſſa. Si ille noſter Typographus animum habet, ad alios non ibo, & tolerabilioribus quàm priora mea conditionibus permittam (niſi tibi aliter videtur) centum exemplaribus uff Schreib-Papier contentus. Si quid inſuper extorquere poteris, tibi cedat ſinam. Parata ſunt omnia, & initium laboris ſtatim fieri poterit, ut ad nundinas prodeant. Cura quæſo & reſcribe quantocyus. Nam pronepos authoris Johannes Imhoff V. N. affinis meus reſponſum à me expectat. Titulo ſeu frontiſpicio affigi poterit imago Pirckeimeri in æs inciſa ab Alberto Dürero pictorum Apelle: Item operi inſeri currus Thriumphalis Maximiliani I. Cæſ. eodem inventore. Laminas æneas meo ſuaſu ſuppeditante ipſo Imhoffio, quæ res non exiguo cedet ornamento ipſi operi. De Lindebruchii reditu ex Italia gratum fuit cognoſcere, & quæ præterea de illo ſcribis. Sed literas meas Pariſios miſſas & quidem ad D. Bongarſium (ſi rectè memini) illi non redditas, ſerio doleo, nec illa res magis me commovere ſolet. Utinam prodeat tandem editio illius Legum Germanicarum, jam dudum ut promiſſa ita deſiderata, quam & libenter adjutum eam quaqua poſſim: neque enim negavero, multum mihi in illis vigilatum, neque pauca obſervata, annotata, quæ omnia excerpere & deſcribere magni laboris fuerit, & forte maximam partem ſuperflui, ſi & illi eadem jam ſint in mundo. Quod ſi viderem illius collectanea vel notas, tum verò libenter quæ vel plura vel diverſa habeo, ſuggererem & adjungerem. Quod ſi id fieri non poſſit, ut videam, antequam edantur, unum ſupererit ut editio ejus (ſi

ipſi conditio placet) mea per appendicem addantur. Miſi jam dudum Pithœo, quæ ad Salicam habui diverſa: neque exemplum retinui. MSS. nil aut perparum juvare potero. Excerpſi quidem è Palatinis quaſdam Caroli Regis additiones hinc inde aſperſas: ſed puto illum & eaſdem & meliora pluraque alia habere, Leges Anglo-Saxonum, de quibus mentionem alias feci, editæ in Anglia, ſcriptæ ſunt totæ ſermone & charactere Saxonico neque ad hanc collectionem facient. Sed heus! cum ultimò Francofurti fuiſſem, ſermo mihi de his legibus fuit cum Sebaſt. Henric. Petri, Baſilienſi Typographo, viro optimo, è cujus officina illæ primum prodierunt curante Baſil. Heroldo, & pauca forte 50. vel circiter exemplaria ſuperſunt. Is ſe recudere nolle profitebatur, meam opem & conſilium petebat & de exemplari Lindebruchiano ſibi cedendo ſollicitabat Pariſienſes, ſed nihil de illo comperit. Habet ergo paratum Typographum Lindebruchius, niſi forte apud ſuos edere Hamburgi, & editioni ipſus præeſſe malit. De quibus omnibus, ut ad ipſum ſi ſcribendi occaſionem habes, referas, te rogo. Salute plurima meis verbis adſcripta. Hiſce modo vale, & per hoſce dies vernos ipſe ad nos veni. Dat. raptim Heidelb. 7. April. 1607.

Tuus

Freherus.

Princeps in curru nuper ad me, So werden wir das Buch wieder bald bekommen / Fr. Ja gnädigſter Herr / & quæ plura ex tuis literis &c.

Ille. Gut / Ich freu mich ſchon drauff. Vides deſiderium, & bene merebere, ſi te etiam ſollicitante, faceſque ſubmittente liber

ber redeat. Cum habuerimus, venire, ſi libeat, & quæ deſideras, deſcribere poteris. Habebis apud me focum & locum, und dem Wein im Kühl-Waſſer.

Bilderbeckius ſcribit Lingelshemio, ſe meas ad te literas per feſtinationem, cum ipſe tradere non poſſet tradendas commiſiſſe cuidam ſuo Francofurti cognato, quem non nominat. Sed cum Dominus Malapert illi ſit familiaris, eum quæſo conſule, ſi qua illæ indagari poſſint quas perire cum rebus incluſis ſanè egerrimè ferrem.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heimings-feld, &c.
à Francfort
Im Carmeliter Cloſter.

CXLVII.

S. P.

NOn placet, librum apud Tigurinos deſcribi, non quod invideam, ſed quod ea re reſtitutio in longius tempus extrahatur, non enim tàm cito liber ſpiſſus deſcribetur: adde quod inter ſcribarum manus magis magisque teretur liber, maculabitur, corrumpetur. Utroque nomine gratia apud Principem Sereniſſ. peribit, mihi tibique & illis.

Quare averte (ſi potes) hortor, & ſignifico, jam potiſſimã partem apud te deſcriptam manu Schobingeri extare, deſcripta iri, & reliqua, omnia σὺν θεῷ edenda. Cujus rei copiam, poteſtatemque tibi procuraho, ſi velis; Et hæc res me anxium habet, qui ingenium moræ impatiens Principis novi, & is hîc quid niſi ſuum ſuo jure repetit. Alterum eſt de Ennodio Ticinenſi quem jam dudum

à te editum reſp. poſtulabat. Bongarſius ſuum exemplar nuper à me ſeriò repetit, nec video quî me ſalvare poſſim. Ede, ede bonis avibus tam rarum & utilem auctorem à te illuſtratum & reſtitutum & vale plurimum.

Raptim abeunte Opſimathe 19. April. 1607.

Tuus

Freherus.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heimings-
feld,
à
Francfort.

CXLIIX.

S. P.

QUia non venis, quod ſperabamus, iterum ſcribo. Quid ſuper Conſtantino noſtro meditatus ſum, vides. Expectabam à Caſaubono exemplar Græcum integrum & ea cauſa me hactenus retardavit, ſed fruſtra; nunc illa, uti ſuppetunt, edenda ſunt, quæ curæ tuæ etiam atque etiam commendo, ut correctè, ut ſpecioſè edantur characteres, formamque eandem ſumet, qualia in Heimburgiacis. Textus uterque Conſtantini & Ottonis paulò majorem ſcripturam requirit, quod ipſi intelligunt. Græca & Latina diverſis & oppoſitis paginis collocanda ſunt, in quo fidem tuam obteſtor, ut Græca (quatenus ea ſufficiunt) ex altera ſcriptura elegantiore ſumantur, poſitis ad marginem, diverſitatibus verſionum, in quibus multum eſt momenti, & in notis ap-

paret. Ottonianum diploma retinuerunt, quod ſuo loco inſeretur, ita:

Conſtantini
Notæ
Othonis
Notæ

Sed quid iſta tam anxie ad te, diligentiæ non minus quam fidei compertum. Itaque deſino, addam hoc ſolum. Cupio autographum meum retinere, mihi remitti, ut & in Heimburgiacis. Vale optimè. 21. Aprilis 1607.

T. M. Freherus.

CXLIX.

S. D. P.

ERgo Meurſius tecum eſt? ſpero, aut potius confido fore, ut idem mihi dixeris, ergo Meurſius tecum eſt, Taubmanne? idque propediem, da interim homini has à me tabellas & meam vicem amplectere. Porſio iſti veſtro ſive Porſennæ quis Cocles in ponte reſtitit, ut tuam illam ſarcinam humeris ſuis excuſſerit? malè illi ſit! imò benè, ſi culpam deprecatur. Apparet tamen aliàs ipſum non peſſimæ Uxoris virum eſſe. Schoppii Priapeia jam habeo, ut & Eglini. At Octaviani Exoterica nondum etiam vidi, ut nec illa tua, quæ primo Tomo Panegyric. mihi olim tua manu inſcripto interea acceſsêre. Schoppii Plautina tuo nomini inſcripta fac primus omnium habeam, quod facturum ultro polliceris. Sed & ea quæ tu peculiariter in illum Comicum obſervaſti. Publica tua excuſſi jam olim, quæ quidem hic inveniri poterant. Schikoradii epiſtolam Criticam, ut & Lipſii, ecce mitto, ſed non in funus Auguſti, uti ſcribis, quâ ille quidem nunquam in his oris habuit, ſed in Wilhelmi Sax. Ducis, Jenæ. Induſtriam tuã, ſed imprimis Judicium vehementer amo, quod res majorum noſtrorũ præ cæteris tractas, & quæ in uſum Reipubl. ſunt, è tenebris eruis. Quàm indignum eſt facinus, aliena curio-

curioſè ſcrutari & domeſtica ignorare. Tu melius ſapis. De Petronii MS. tibi gratulor. Editionem quantum potes matura ſed velim ea etiam addi, quæ ab aliis ante te ingenioſè inventa proſtant: ut juſtum corpus habeamus: nec opus eſſe novas ſemper editiones præſtinari ob unas aut alteras notatiunculas. Sed tu per te iſta rectiſſimè ſapis. Quas Porſio tuo nuper commiſi Caſaubono deſtinatas ecquid curaſti? nihil tu quidem in tuis earum meminiſti. Fac, quæſo te, fac, causâ tui.

Taubmanni, *qui hanc feſtinabat*
14. May 1607. Witteberga.

In Petronium quidem à me tu ne quid exſpectes. Major meus ſtupor eſt, quam ut ſubti'e iſtud ſophos pervideat. Optionem tamen dedi Barthium meum, cui *rapido ferventius igni* ingenium, & doctrina ſuper ætatis modum & noſtræ Saxoniæ. Magni Parentis F. eſt, qui olim Elect. March. Brand. Cancellarius. Quæſo te, & quiqui tui aliquid habent, fovete hoc ingenium, & flabris hortationum animate. Si vita eſt, famam Guilie'mi Acidatii & omnium popularium ſuorum facile & primo peditu contundet. Sed tu, meum cariſſimum caput vale, & Meurſium mihi meum ſine mora trade, ita volo, itaque jubeo *Imperator* ſcin' cujusmodi? *veni* & *vide:* imo *venite* & *videte* hominem qui *caſeum* edit.

Clariſſimo Viro
Melchiori HaiminsfeldGoldaſto,
Carmelita Francofurtano,
amico meo ſingulari.

Francfort.
Abſente hoc Meurſius
aperiat.

CL.

CLI.

S. P.

Quid Stukius ad Sereniſſ. ſcribat, vides: quod ipſe Sereniſſimus mihi dedit, vix ſe amplius deſiderium ferre teſtatus. Urge quæſo, quà potes, ut liber quantocyus redeat, uſui & nobis privatim futurus. Cæterum quid de Pirckemerianis fiet? quid de Æquitate mea. Conſtantinus ſub cultro eſt, & redibit ad vos. Tum omnium aliorum de ea donatione ſcripta. Vallæ, Steuchi, Petſei, Cuſani &c. &c. Conjuncta uno tomo compingenda, bibliopolæ excudenda, ſi velit, à me dabuntur. Quid habes à Lindebruchio? ſcribe quæſo, de variis, illis, aliis. Semper enim Lectio tuarum mihi gratiſſima, & ipſe ad nos aliquando excurre. Vale, dat. raptim in Cancellaria 20. May 1607.

Tuus

M. Freherus.

A Monſieur Goldaſt
de Heiminigsfelden &c.
à Francfurt.

CLII.

S. Binis tuis reſponſum debeo, quarum ultimas Dn. Bongarſius reddidit. Gaudeo te à Typographo accepiſſe quod miſſurus tibi erat ſocer meus, qui factum hoc probat, & te amanter ſalutat. Lindenbruchio volo qua vult, ſed non ea, quam tu rere, mihi copia Anglicè ſcriptos habeo libellos aliquot, ſed leges veteres Londini editas, obtinere non potui, quas vidi apud Freherum. Hic autem is eſt, qui hæc talia ſtudioſè collegit. Placet viri illius inſtitutum, & doleo nihil opis me adferre poſſe. Bongarſius triduum apud nos ſubſtitit, nihil ſuavius ſummi illius viri convictu. De publicis memorandi nihil eſt hoc tempore. Itaque valere te jubeo, & de re publica porrò bene mereri.

T. omni ſtudio

Georg Mich. Lingelsheimus.

A Monſieur
Monſ. de Goldaſte &c.
à Francfort,
Im Carmeliter Cloſter.

CLIII.

S. P.

Vix à me impetrare ultra poſſum, ut ſcribam: ex quo literæ illæ per Bilderbekium tàm malè curatæ ſunt. Atque eccum hominem, cui ille ſe commiſiſſe tibi tradendas ait in literis incluſis: literas ejus ad ipſum vide. Utenhoſius gente non mala. Malapertius quoque te juvare indagando poterit. Quæſo nil diligentiæ intermitte. Mallem ego decem Plinii epiſtolas intercidiſſe, Symmachi quoque & Sidonii, Ennodiique totidem, quam illam unam meam, multis rebus refertam, & ad quas ſingulas reſponſum à te expectavi. Stuckio ipſe ſcribam his diebus. Princeps quoties me videt, de libro quærit. Etiniquè certe ab illis agitur, qui rem ſuam tanto Principi detinent. Intercede, urge, mone, ſollicita, quantum potes. Pirckeymeriana ad me mittentur: vel ipſe afferam, iturus fortè ad fratris mei nuptias cum filia D. Philippi Camerarii V. C. Noribergam, & inde Auguſtam, ſi Deo placet. Donationes egregiè locupletatas brevi mittam. Sulpitium interea nil eſt quod moretur. Lindebruchio an ſcripſiſti, quæ ſuggeſſi? Græca, de quibus ſpem fecit, cum tanti videntur fore ejus farinæ, qualia Caniſius edit. Quid de Epiſtolis Caroli M. & Hadriani PP? Utinam habeas, & Tomo tuo inſeras, Ego meum paulatim abſolvo, tuo conjuncturus. Nactus ſum eximium MS. Sangallenſis illius Notgeri vel Wernheri - de Carolo M. unde multa correxi, ſupplevi. Sed in fine & ipſe mancus eſt. Credo omnino Auctorem (morte præventum forte) non abſolviſſe. Notas in illum ſcripſi, non pœnitendas. *Pfalburgeris* vix adhuc expedio. Niſi quod ſuſpicor, eſſe ψευδοπολίτας ementitos cives. Talis compoſitio videtur in *Balmond* quod falſum tutorem ſignificabat veteribus Teutonibus & alicubi legiſſe memini apud Nauclerum, Cruſium Cujac. quoque habet de Feudis pag. 303. in 8vo. Hiſce optime vale, & nos ama. Reſalutant te omnes amici, tui memores & amantes, Godofredus ivit Pariſios. Nundinæ noſtræ futuræ ſunt 13. Julii: Ad eas te invito. Hoſpitio & menſa tenui mecum fruere. Vale iterum. Dab. raptim XII. Junii 1607.

Per

Per optimum Virum D. Molnar Ungarum, cui pro more tuo comiter facias, rogo.

T. amantiſſ.

Freherus.

Nobiliſſimo & ornatiſſimo Viro, D. Melchiori Goldaſto de Hemingsfeld, &c. amico ſingulari.

Franckfurt
Im Carmeliter Cloſter.

Par Amy, que Dieu conduyſe.

CLIV.

S. P.

QUas verò tibi, Nobiliſſime Goldaſte, ſatis magnas gratias agam pro eximia tua in me benevolentiâ & egregiâ liberalitate, qua non uno, non binis, ſed pluribus libris præclariſſimis Bibliothecam meam locupletâſti nuperis & antecedentibus nundinis? Certè immortales debeo, quas referre nunquam poſſum: ſed Deum orabo, ut qui liberaliſſimus eſt remunerator, is cumulatiſſimè rependat. Quod itinerarium ſcribis lacunas multas poſſidere, velim te ſcire, eaſdem ipſum etiam originale poſſidere exemplar. Ligaturæ pretium accepi ab Orellio, & libros omnes à D. Wolphio, qui nuper tribunus plebis eſt creatus, unanimi conſenſu tribulium. Capelli Sedanenſis de Menſuris vidi; & non diſplicet. Fecit is, ut meâ operâ vix progreſſurus ſim in theatrum, quam alioquin abſolveram omnino, & conſecraveram Nobiliſſimo Viro Jacobo Studero, Santgallenſi. De Felicis & Regulæ paſſione Manus C. apud nos nihil vidi, nec indagavi. De ea Hoſpinianus aliquid habet, in præfatione de hiſtoria Sacramentaria, ampliſſimo magiſtratui noſtro dedicata. Fortaſſis apud noſtros non magnam gratiam iniret, qui eam ederet. Nam de circumſtantiis nonnullis adhuc ſub judice lis eſt: & mallent noſtri ſimilia potius ſopita, quam in vulgus producta; Talibus etenim

Piſtorius & alii Pontificii exagitare nos crebro ſolent. In cæteris, omnia priſtino ſunt loco, niſi quod Helvetii maximopere & unicè nunc laborant in pacandis & tranquillandis Rhetis, in quîs immanis furia & gravis Erinnys a Martio menſe graſſata eſt, adeo ut optimates quique, Gulerus, Sonvicus, Salicæi, Gugelbergii, & alii, fortunis & honoribus ſpoliati, à patriaque ejecti ſint præter omne jus, qui hactenus antiquum Gallicum & novum Venetum fœdus ſervandum cenſuerunt. In hac Tragico comœdia Davi ſunt Hiſpani vicini: Sed tamen aperto Marte nihil adhuc tentârunt. Deus nos conſervet in pace, cui te, mi eruditiſſime Vir, ex animo commendo, rogoque benevolentiâ tuâ me proſequi pergas. Præſtantiſſimum Virum Dn. Seghetum Scotum, cujus egregia carmina magnâ cum voluptate legi, humaniſſime ab te meo nomine ſalutari cupio, ad cujus amantiſſimas litteras reſcripſi nundinis ſuperioribus. Hiſce vale. Tiguro 23. Junii anno 1607.

Tuus
Caſpar Wiſerus.

Nobiliſſimo & Cl. Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto:
Domino & meo ſingulari,

Francofordiæ vel Heidelbergæ, ubi is eſt.

CLV.

S. Perculit nos caſus Segheti. Itaque miſſis omnibus ſcribimus ad Senatum, ad Glauburgerum, ſi hominem è carcere liberare poſſimus. Tu quoque fac hoc diſcrimine, quod poteris. Et facis, non dubito. Cuperem & miniſtrum noſtræ Eccleſiæ D. du Bois eum accedere, ſolari, in viam reducere. Quis putaſſet talia. Verè ſollicitos nos hæc res habet. Scribe de eventu. Scripſi nuper per Ungarum quendam Albertum Molnar: ad ea nil reſpondes. An & illæ perierunt? Quid à Lindebru-

ſchruchio habes? quid à Stuckio? piget iniquiſſimæ moræ in libro illo. Vale modo & ſalve. Raptim 1. Jul. 1607.

T.

Freherus.

Cum Einhardo tuo an & jungas ejuſdem narrationem, ejuſdem de translatione S. Marcellini, Scire cupio.

A Monſr. Goldaſt.
Franckfurt.

CLVI.

S. P.

PErgratum fuit, quod accurate de Segehti noſtri ſtatu nos certiores feciſti: & gratiſſimum fuit, quod officioſus in hac ejus afflicta fortuna, in ipſum exactè fuiſti. Graviter me afficit hic caſus, & ſpero quidem ipſum vinculis liberatum, ſed video difficultatibus aliis ipſum involutum, ex quibus vix ſe expedierit, ſine maiori ope. Socer meus ferre poteſt, ut in tuam συλλογὴν coniicias de ſuis quæ apta videbuntur. Sed totum opus addere tuis, id fieret in detrimentum typographi cui conſultum ipſe vellet. Polybii Caſauboniani tres priores terniones Lutetiæ Regia forma excuſos videre apud Marnium, cui mitto à Dn. Bongarſio, poteris. Præclarum opus. Heinſius noſter Scaligero Panegiricum dixit, inſcripſitque Thuano. Is vindicare parat injurias Scoppianas, quod gaudeo, perfricabit ſcabiem impuro illi. Baronium vivere deſiiſſe nuntiant ex Italia, cuius inſtinctu iſte præcipuè procurrit. Tu vive valeque, & à me omnia mutua exſpecta. Heidelberga. 9. Jul. 1607.

T. omni ſtudio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſte, &c.

à Francfurt,
Im Carmeliter Cloſter.

CLVII.

Guillimannus Goldaſto S. D.

NActus hominem neſcio quem, qui ſe recta Francofurtum profectùrum adfirmavit, facere non potui, quin tria ad te verba darem. Nihil enim profectò malim quam literas utrinque intercedere quam frequentiſſimas. Sed neque adhuc ego ſatis intelligo, quo pacto meas tu recte accipere poſſis, niſi locum Francofurti ſignes, unde petas, aut qui deferat hominem. Hoc age, & mutuum hoc ſcriptionis iter quam ſæpiſſimè obtere. Quid enim dulcius addo & fructuoſius? Hoc prope ſolum vivere arbitror cum iis qui maxime inter viros virtute & eruditione antiſtant, vitam & vitæ ſtudiorumque rationem communicare, D. Piſtorius, qua humanitate eſt, & in omnes, qui paulo ab hoc vulgo magiſtrorum ſecretiores adfectu & amore, te tuaque ſuſpicit, imo amat. Multa is haut dubie habet quæ tibi non leve adjumentum ferant, ſi librorum tuorum & auctorum, quod petieram, indicem miſiſſes. Pithoei annalium novam editionem meditatur, ſed multo auctiorem. Tu vide quid velis, & me non jam interprete, ſed ſponſore utare. Experieris, qua is vir incomparabilis magnificentiâ ſit, & boni publici cura. Quin imo judicium ejus de tuis & in te adfectum accipe. Miſit ſuperioribus diebus ex Piſtoriano, arce Hardera vulgo dicta, Joannis filii domicilio, intra Friburgum & Zeringam conſtituto, quo per hos dies calentes ſe contulit. Ibi cum plusculi ex amicis ad eum viſum conveniſſemus, & de te, ut ſæpe fit, ſermo ortus eſſet ſanè perhonorificus, paucis poſt diebus quæ hic vides adjuncta reſcripſit. Tu lege & gaude tanti viri judicio, conſilio amore. Sed amabo, dic tu viciſſim, qui pervolutaſſe videris, quos in Bibliotheca S. Galli auctores noſtri Palati adhuc reperiamus. Pollicitus eſt Abbas, ſe copiam facturum. Leges Allemannorum ſcio ex tuis notis adeſſe, quas cum reliquis, Longobardicis inquam Francicis, Vandalicis, &c. quam velim cum nova aliqua cura in lucem redire! Multa ſunt in iis bona, & legu-

leis

les iſtis incognita, imò non intellecta. Anſegiſum, Salicas, Longobardicas, Gothicas habeo mſs. ab eodem ampliſſimo D. Piſtorio, non item ceteras. Conſidera, quid agamus, quos præterea ex eadem Bibliotheca S. Galli libros Mſs. debeamus petere Conſtitutionum Impp. tomos 2. quos noras, cura ut habeam meo ære. Tuorum operum excepta Parænesi quam dedit Mezlerus, nihil habeo, niſi quæ nuper miſiſti Allemannica Suevica, Francicæ Sibyllæ. Adde & quæ habes Habsburgiacis noſtris magis illuſtrandis commoda & ante promiſſa. Vale amicorum optime & præſtantiſſime. Friburgi 8. Aug. 1607.

CLVIII.

Epiſtolæ Piſtorianæ cujus in præcedenti mentio facta, tenor hic eſt.

Vir Clariſs. Singularis amice.

Legi omnia Goldaſti. Placet ingenium, inſtitutum, ſtudium: nec quisquam alius, quem juvare malim, ut ea, quæ collegit, exeant pleniora. Fuldenſes antiquitates dediſſem, niſi ante miſiſſem ad Typographum Marnium; Sed leget jam excuſas. Superſunt multa: & utinam D. Abbas S. Galli reliqua quæ in Monaſterii carcere incluſa tenentur, & ſitu pereunt in communem uſum proferri ſineret: & quidem per D. Goldaſtum. Nec enim invideo: ſed ut quod res eſt dicam, doleo, cum antiquitatibus hiſtoricis jungi ab illo novitates hæreticas Vadiani & aliorum. Integra ſi res veteres relinqueret, & ſolas ſine novis iſtis aſſumentis in apertum referret, in majori eſſet pretio, & liberi per totum Chriſtianum orbem diſtraherentur. Nunc dum nimium ſectæ indulget, & antiqua recentibus, catholica hæreticis, hiſtorica Theologicis miſcet, & divortia hæretica in hiſtoriis quærit, ipſe ſibi librisque ſuis obſtrigillat: quod ejus cauſa doleo. Nobis enim nihil nocebit: nequidem ſi mille Vadianos & Leones publicari jubebit. Ejus igitur utinam vir optimus moneretur. Catholicus ut ſit, ſi ſalutem ſuam cordi

cordi non habet, nemo coget: nec impediet quiſquam, ut in Catholicos ſcribendi libidinem expleat: tantum ne loco alieno faciat, & ne vetera novis iſtis tricis ſordidet. Edat ſua: edat aliena ſed ſeparatim, ne in unum librum confluant. Sic & noſtræ ætati & poſteræ, placebit, ingeniumque commendabit. Tu ſi ad illum ſcribes, quæ inter vos neceſſitudo eſt apertius monebis: tamen amari à me & ſalutari ſimul addes. Vale cras domum redeo. Favente Deo. Scrib 1607.

Piſtorius.

Domino Guillemanno ſuo
Viro Clariſſimo.

CLIX.

S. Nobiliſſime & amiciſſime Vir. Quas ex nundinis ſuperioribus ad me humaniſſimas dederas, unâ cum libris aliquot egregiis, quos dono mihi miſeras, accepi, & ad eas reſponſorias miſi ante bimeſtre & amplius, quibus pro inſigni tua in me liberalitate tibi gratias egi. Has quum redditas ſperem, nihil habeo nunc quod ad te ſcribam, quam ut denuo gratias agam, pro donariis tuis, & offeram me ad tibi, quacunque poſſim facultate & occaſione oblatâ, perquam promtiſſimè ſerviendum. Hoc ſemeſtri integro Rhætorum res affliĉtiſſimæ ita dubios & incertos nos tenebant, ut in publicum nihil laborare potuerim, quæ adhuc eo ſtatu ſunt, ut niſi DEUS ex machina manum præbeat, actum de nobis eſſe videatur. Perturbatiſſima & confuſiſſima ſunt omnia, optimates quique ejecti Patriâ, bonis eorum confiſcatis. Et niſi reſipiſcant intra ſeptendecim dies (Nam dies ſeptimus decimus Septembris dictus eſt eis) hoc eſt, Helvetiorum arbitrio ſe ſubiiciant, ut in cauſſa eorum agere poſſint, jam bellum in eos Badæ decretum eſt Ad quod ſi res erumperet, tota Helvetia eius incendio corriperetur ſine dubio. Librum antiquitatum Ger-

G[illegible]arum, quem tantopere à Dn. Stuccio & aliis, tu, do[illegible]que Freherus flagitabatis, ſpero jam accepiſtis. Nam aliquot ante menſes illum mihi inſpiciendum dederat Dn. Sig[illegible] Holzhalbius noſter in ædib. ſuis, eo ipſo momento, quo eum Al[illegible]axum miſſurus erat per proprium nuntium. Certè inſignis liber eſt, & te dignus, aliiſque Viris ſummis. Quod reſtat, commendo te DEO clementiſſimo & rogo, favore tuo & amore proſequi pergas. Tiguri. 30. Auguſt. 1607. Dn. Stuckius a thermis Badenſib. reverſus jam diu convaluit.

Tuæ dignitatis obſervantiſſ.

Caſpar VVaſerus.

Nobiliſſimo Viro:
Dn. Melchiori Haminsfeldio Goldaſto,
Domino meo colendo & amico ſingul.
Francofurti:

CLX.

Salutem.

NObiliſſime Vir, amicorum maxime, dederam Huic Vulkero noſtro Typographo Genealogiæ Chriſti tractatulum meum, ſperans fore, ut eum inprimeret, præſertim lectum à facultate & non ſolum ei, ſed & ampliſſimo Vultejo probatum, dele ſis ex præfatione ab ipſo, quæ de ſe dici noluit. At fieri per operas & ſcriptum Schonfeldii contra Menzerum, valde accuratum non potuit. Itaque promiſit ſe effecturum ut ſtatim atque iſtûc veniat per amicos cum imprimi primũ folium ut affigatur & in catalogum referatur: deinde ut totus ante nundinas iſtîc tractatus abſolvatur. Ego vero cum adeſſe inſpectioni nequeam, tametſi occupatiſſimum te eſſe novi, tamen vehementiſſimè tuam excellent. rogatam volo, ut dignetur ultimam foliorum reviſionem ad ſe curari afferendam, & inſpiciat ne quidquam impreſſio ab exemplari (quod εἰς τὸ καλλος exſcribere non licuit) variet, & ut prodeat emaculatè, pulchro

 typo

typo & charta. Nihil continet cuiquam religioni adverſum, & ſcio ſatis mirabile erit in oculis multorum, præſertim Jeſuitarum hæc ex ſacris monſtrari in ſolidum. Ego ſtudebo ſub exitum nundinarum iſtuc venire, Deo dante; Multa mihi incumbunt impedimenta, de quibus coram. Vale & quidvis mihi viciſſim jube, quo poſſim teſtificari meam in T. Excellentiam operam & animum 5 Septembr. anno 1607.

T. excell.

Ich hett gern 12. Exemplar von Schreibpapier.

obſervantiſſ.

Egliny.

Nobilitate virtute doctrinaque clariſſ. Viro
Dn. Melchiori Himmensfeld Goldaſto,
Jure conſulto, Domino & amico ſummo.

Francofurti.
Bey dem Carmeliter Cloſter zu erfragen.

CLXI.

TAbula Peutingeriana neque meis ſumptibus eſt edita, neque eius apud me ſunt exēplaria, quæ apud Plantinianos iſtic reperire poſſe nullus dubito. Rerum autem Auguſtanarum volumen in nundinas lubens mittam, neque ſane res tanti, ut vicem, quod tu innuis, repoſcat; ea te itaque curâ levo. Nihil jam avidius, quam Caſaubonianum Polybium, ſive expeto, ſive exſpecto: utinam det mercatus proximus, quod vix futurum vereor. Vale. Auguſtæ Vind. XI. Kal. Octobr. M DC VII.

CLXII.

HIeroclis facetias ex Codice Auguſtano auctas P. Pontanus jam pridem convertit, & edendi occaſionem expectat, quam brevi adventuram confidit: adjunget autem neſcio quæ alia etiam opuſcula, ex Græco à ſe converſa. Tu quod Germanicarum legum vetera monumenta promittis, valde te amo; quin quoque conſilium laudo, quod

quæ

quæ religionis mutationem reſpiciunt, odii nimirum & invidiæ ſeminarum, excludis. Utinam idem in Alemannicis ſequutus eſſes. In quibus [illegible] anno ſecundo p. 196. vitæ Notingi Epiſcopi à S. Udalrico [illegible] meminiſſi, ſi ejus apographum per te conſequi licebit, magno beneficio auctum putabo. Vale. Auguſtæ Vind.

T.

Marc. Velſerus.

CLXIII.

S. P.

Alia aliàs. Nunc librum iſtum tantopere deſideratum vide & remitte, cum primum poteris. Certum eſt, Francofurti eſſe recuſum, recenſente Schardio, vel Meiſnero, aut Dreslero J C. ubi quando, non recordor. Exemplaria libri tui, cum erit abſolutus deſiderant D. Lingelshemius & Lœfenius. Haberem quæ notis tuis adderem, ſi eſſet ocium. Figuram illam vel ſignum Ottonis III. quæ extat folio 40 commodari mihi ad meam editionem eius diplomatis, rogo, Mittes igitur, cum poteris. Sed & *Reinicken Teutonico idiomate* & *Grobianum* teutſch Francofurti edita, indagare, rogo, Cupio enim habere, illum Germanorum Machiavellum, hunc Plutarchum. Mittas non per tabellarios, ſed aliâ oblatâ occaſione. Et precium Farraginis Privilegiorum ſignificabis ut mittam. Vale & ſalve ab amicis, raptim 23. Octob. 1607. Brevi plura & Sororio meo.

Tuus

Freherus.

[illegible]ndum Diaconum in 8 manu Bongarſii correctum aliquando tibi utendum dedi, quem recipere cupio, conferendum cum MS. quem nactus ſum.

A Monſieur Goldaſt
de Heimingsfeld, &c.
Franckfurt.

CLXIV.

S. P.

NOn tu me ſæpius, quam ego Lœfenium de Reformatione illa interpello. Fruſtra hactenus ſive illum occupationes, præ quibus vix aurem ſcalpere poteſt, diſtinent, quo minus acervo ſcriptorum (ut ait) immixtam reperire poſſit, ſeu non ſatis vult, fortè quod ipſe alteram partem veterum Reichs-Abſchiedorum Ambergenſi Typographo (ut ex illo audiſſe videor) parat. Itaque non deſinam equidem interpellare: tu vero non eſt quod ideo Tomi ſecundi editionem differas. Nam & hujus priorem partem, quæ de Politicis, jam Tomo primo edidiſti. Si hanc (quod ſpero) adhuc extorqueremus, ubivis inter appendices infarcire poteris. Vale & ſalve raptim in Cancellaria 29 Octobr. 1607.

T.

Freherus.

Balbus Catholici auctor, quis? doce me, quando, ubi editus?

Land-Recht meum pro prælo diſcindi planè nolim. Eſt unde Feirabendi editio haberi poſſit. Quamvis nec tanti.

A Monſr. Goldaſt
Franckfort.

CLXV.

Nobiliſſime Vir.

QUæ ſolet ex charisſimis jucundiſſimisque reb. percipi voluptas, eam ipſam me ex tuis amorem & favorem ſtillantibus cepiſſe velim tibi perſuadeas. Ad obſervantiam n. quâ te hactenus ob raras ingenii tui dotes complexus ſum, etiam amor accedit, ita quidem ut ab illo, quem hactenus ſuo merito colui, amari me maximopere gaudeam. recepi ab Hugone noſtro codicem tuum Manuſc., quem ex priſca formula tradet harum præſentium lator. Agit tibi gratias ingentes, quas ſe aliquando relaturum pollicetur. Patria noſtra civilibus bel-

lis

[illegible] eſſe meta: & Geneva ipſa conſtantisſimè aſſeritur obſeſſa. [illegible] noſtrorum hominum conventus, unde necin unum conſu-[illegible] interim dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur. Tumul-tus quoque Rhetici quid portendant neſcio: ſcilicet hoc unum a-[illegible] liberi, ut quandoquidem Helvetia noſtra externo milite diffi-cultèr ſubiugetur, inteſtinis inſidiis labefactata corruat: quod averrun-cet is, cuius in manu omnia. Vale vir nobiliſſime & meus Patro-nus eſſe perge. Raptiſſ. Hanovia 3. Jun. Julian. 1607.

Nobil. T.

ſtudioſiſſ.

J. Rodolph. Lavaterus, p. temp. Rector Scholæ Hanovicæ.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Viro
Dn. Melchiori Heimensfeldio Goldaſto
Philologo præſtantiſſ. &c. Domino & amico
inprimis obſervando.
Francofurt.

Extractum ex literis 10. May 1607.
Curia Rhætorum ſcriptis

QUomodo circa Idus Febr. præteritas, ad muniendam Rhætiam, & conſervandum Salvum, Venetis tranſitum, & adimendam Fon-teio irrumpendi facultatem, Volturena noſtra Sex vexillorum præſidio firmata ſit, ex meis, & ex aliorum literis te accepiſſe arbitror. Poſteaquā autem plus quam unius menſis decurſo ſpacio, nec Gallus, nec Vene-tus, quorum tamen maximoperè intererat, pecuniam, belli præcipuum, [illegible]ur nervum, popularibus noſtris dinumerare cunctarentur diu-tius, & agere viderentur ad ſublevandos milites noſtros ſegnius atque re-miſſius, continuo per univerſam Rhætiam, quæ ſuis expenſis aliquan-diu præſidium alere cogebatur, graviſſimæ exortæ ſunt querelæ, & culpa tam omnium incommodorum, quam moti belli non neceſſarii, & provocati ultro & temerè ut vulgus judicabat, Hiſpani finitimi, odioſè virulenter, atque acerbè transferebantur, in ſecretum Conſilium, & præſidii gubernatores. Quibus quærelis undiquaque augeſcentibus, & per-

& percrebreſcente fama, aliquot Lotharingerum millia, Duce Patavino Veneto, in Italiam per Rhætiæ fines tranſituros, ſubitò ad perficiendum jamdiu tentatum inſtitutum ſuum Hiſpanizantes, & opprimendam factionem contrariam, cujus capita procul aberant, ſolicitata multitudine earum jurisdictionum quæ ſuperioribus annis contra potiora Confœderatorum ſuffragia Capitulationes iſtas peſtem, pernitiemque Rhætiæ ſuis obſignationibus confirmaverant, & Pontifici Romano ſimul addictiſſ. erant, ſeditionis miſerrimæ & turbulentiſſimæ qua tota Rhætia flagravit, & cum furore exarſit, fuerunt inſtigatores & architecti, quorum nomina omitto, quia tibi ſunt nota; Proinde circa Nonas Martias, Bellfortii, Churuvaldii, Schanvicii, Ciceroniani, Amiſii & Rhætienſes & ſupra Saxenſes omnes Epiſcopi Curienſes mancipia, correptis armis & ſublatis vexillis Curiam ὑσπάνιzantium Caput profecti ſunt: Eos ſequuti ſunt Legunitii, & Diſertinenſes qui omnes ſupra & circa Curienſe oppidum caſtramentati ſunt. Deinceps per nuncios celeres & literas, jure fœderis ut prætendebant, evocarunt & omnes Decem jurisdictionū populos, quorum dicto primo fuerunt audientes, contra: dicente licet Magiſtratu, importuni Cœnobienſes & noſtra jurisdictio à qua, tot viris illuſtribus ornata, nihil expectabamus minus, Caſtellenſes verò & Lupinenſes & Davoſiani in hac triſti expeditione fuerunt quidem ultimi, & diu tergiverſantes, cæterum tandem ſeſe cæteris conjungere coacti: His ſucceſſerunt paulatim Prægallenſes, Ingadini, Peſclavienſes & reliquæ ſuperioris fœderis Communitates; quibus circa Calendas Aprilis in Caninis, ut vocant, Campis in unum congregatis ſpectavi & ipſe præſens 27. copiarum Rhæticarum, quæ 6000 virorum numerum excedebant, militari habitu inſtructa vexilla. Convocato poſtea ducum, qui plerique ex plebeii ordinis erant numero, & præcipuorum popularium concilio, remotis omnibus Magnatibus, qui Penſionariorum in numero, ac propterea ab omnibus conſiliis publicis jam Excluſi, & remoti erant, Cauſæ præcipuæ huius repentinæ motus ſignificabantur. 1. Tranſitum Venetis, à Paucis quibusdam Proceribus ſine conſilio & decreto populi Rhætici, adperducendas cujuſcunque Nationis

[illegible] milites, cum in quoſvis graſſandi licentia, venditum eſſe, idque literis & ſigillis demonſtrandum. 2. Secretum Conſilium, educto præſi-[illegible] moto bello non neceſſario, periculum graviſſimum, & calamitatem deplorandam, creâſſe patriæ. 3 Fœderis Gallici & Veneti authores & procuratores largitionibus, & muneribus ampliſſimis Principum corruptos privatum ſuum commodum jam longo tempore auxiſſe, inſolentiuſque gubernando plebi inſultâſſe, libertati detraxiſſe, & debitis Principum Penſionibus annuis defraudâſſe, ad ſe neglecta populi utilitate rapuiſſe, & præter hæc omnia multum æris alieni Fœderibus ſolvendum conflâſſe, 4. Multa denique capita præfatis confœderationibus, ſui privati emolumenti cauſa in ſupremum libertatis popularis præjudicium infarciviſſe, quæ communitatibus examinanda nunquam fuerint propoſita. Quapropter inevitabilem neceſſitatem efflagitare, ut hiſce tollendis è Repub. lethalibus morbis medicina quæratur; Poſteaquam igitur aliquot ab hoc congreſſu diebus, vexillis hinc inde in Caſtra diſpoſitis, ſuffragia colligerentur, An Gallo & Venetis, ſecundum tenorem fœderis, concedendus tranſitus necne: Major tandem pars eorum extitit, qui omnem tranſitum externo militi in Italiam pergenti adimendum, & ſi quis ſecus vellet ferro prohibendum cenſuerunt, ex eorum numero fuit (proh dolor!) & noſtra & Cœnobienſis juriſdictio, cæteræ cum Ingadinis, & paucis quibuſdam aliis in fide permanſerunt. Vide, quæſo, quam egregie inſerviant, & viam ad opprimendam libertatem patefaciant præpoſteris ſuis plebiſcitis, illi qui ne nuda appellatione Hiſpaniſmi [illegible]ent inſimulari. In miſerrimo igitur ſtatu ſumus, & quia pauciores boni conflictantur cum plurimis malis, occæcatis, & in reprobum ſenſum datis, & per efficaciam pernitioſiſſimi erroris à tramite recti deviantibus, fit ut deterior pars Meliorem huc uſque in cauſa quamvis juſta & bona ſuperet. Et quamvis tota Helvetia & literis & legatis intercedere, & diſcordantes pacificare pro virili conata ſit, tamen huc uſque nihil profecit, imo à ſeditioſis quibuſdam & maleferiatis plus contumeliæ & opprobrii, ut & Legatus Venetus Vincenti, quæ gratiæ & obſequii retulit. Gallicus Legatus ſuis immaturis conſiliis

& lar-

& largiendi Sorditie pulcherrimas rei gerendæ occaſiones corrupit. Poſt Paſchatis feſtum à turbulenta multitudine, ut Rhadamanthi judicium ab inferis revocetur in applauſum Iberi, & bonorum exitium, judices & vindices ſimul rerum Capitalium ex omnium ſeditioſorum copia creati ſunt, homines clamoſiſſimi & nobilitatis inimici acerrimi & infenſiſſimi, qui non pecuniariis mulctis, ſed capitalibus ſuppliciis vindicent, in omnes Magnates, qui contra voluntatem populi geſſiſſe Rempubl. & ambiendis Principum amicitiis ac donis libertatem patriæ, non ſolum in diſcrimen adduxiſſe, ſed prodidiſſe videntur.

CLXVI.

S. P.

PAuca hæc feſtiuanter per Dn. Hippolitum Præſidem, qui ad Batavos it, & te alloquetur. Per cuius rhedam huc rediturientem (quod primum fit) velim faſcem librorum, D. Lingelshemio a Marnio inſcriptum ſive apud te, ſive hoſpitem Leonis reſidet, huc pervehi cures. Poteris & quæ voles, alia. Nunc ad noſtra Friderici III. Reformationem (quam vocabamus) verius votum, aut etiam ſomnium vidi in archivis. Nil eſt authenticum, neque ab Ordinibus approbatum; ſed ſine nomine, die & conſule, meditatio privata, & multa fere injuria continens in ſacerdotes & Doctores, quod ii neque merentur, neque tuto poſſint. Quare hoc conſilium abiice: me auctore & in cæteris perge. Scriptorum Germaniæ, quos etiam in notis tuis alibi promittis elenchum valde cupiam videre. Fors etiam ſunt, quo tuis ſubminiſtrare poſſim, ſi videam. Quæſo per otium conſigna, & mitte, ipſum recepturus. Hiſce modo vale & ſalve. Raptim 9. Novembr. anno 1607.

Tui amantiſſ.

M. Freherus.

CLXVII.

CLXVII.

Viro Nobili & Clariſſ.

MELIORI GOLDASTO

S. P. D.

Gothofredus Jungermannus.

TUas litteras accepi præter opinionem, eò gratiores. Audi enim quo pacto acceperim. Quum circumiectam Segethianis ad me Schedam detraxiſſem, me putabam falſum opinione fuiſſe, qui & ad me quid Spetabam. Sed Seghetianas turgere videns, non quidem in illis quid ad me incluſum credidi: ſed Pliniana iſta, de quibus utte monerem *juſſerat.* Aperui itaque & iſtas, quoniam ita ab ipſo Heidelbergam ante octiduum abeunti mihi mandatum eſt: Sic alias ad me inveni. Ea tamen religione fui, uti ejus non legerim: Sanc̃teque ad ipſius reditum ſervabo. De Pliniis Zigalini, ſi recte nomen retineo omnino voluit mihi perſuadere aliquando exemplum mihi donaſſe. Sed ego profecto id oculis meis nuncquam uſurpavi. Promiſit vero id nobis, uti Plinio qui in minore forma ex officina noſtra prodit, præfigeremus auctarii loco: & ait abs ſe impetraturum. Nos itaque iſtud exſpectamus, & reddemus vel ipſum, primum ac deſcribi curavimus, vel exempla à nobis recuſa. Ea, quæ abs te petii alias, juſſi auferre nautam noſtrum, qui hic civis eſt in urbe nova, & hoſpitis mei compater. Ei fideliter poteſt committi: nec res quoque mihi ullo conſtabit ſumptu. Quod ad Herodotum attinet, nondum quicquam ad ipſum meditari Incepi, niſi quod cuſas paginas corrigo: operæ verò ſtrenue pergunt, jam in ipſa Melpomene. Pollux me tenet nimis. De Lexico vero Herodoteo, & Dionyſii Halicarnaſſei comparatione, valde apte & ex voto meo acederent, è rei litterariæ publico bono, uti ipſe intelligis. Valde videre diſcupio. Et tu ad me ſcribe, quibus pactionibus nobis concedere vis. Ego omne id cum Marnio agendum ſuſcipiam. In libris ſane facilior erit, quam

in pecunia eroganda: Et profectò quidam etiam nimis lucrũ ſpectant: uti mihi contigit cum quodam Baſileenſi, qui Paraphraſin Pſelli elegantem in Kornerum offerebat MS. Et Marnio jam adlubeſcebat. Quẽ ego depoſco inde, ille vult ſibi numerari L. florenos. Ego non emo tanti pœnitere, ait Marnius, præſertim libro quem venalem eſſe deſpero. Et verè quidem ad hunc quod attinet. Non tamen probo & alia; non probo hoc, de quo tu quereris: imò valde improbo. Apologiam vellem addi: ſed ſunt ibi joci nimii, & etiam contra ipſum Pontificem, qui noſtram editionem forte in Italiam & Hiſpaniam ire non permiſerint. Sylburgii Spicilegium addetur. Addam & Agatharchidea ex Photii, & Schotti collatione Melæ & Herodoti. Modo tempus mihi eſſet: & Pollucem excuſiſſem: qui mihi mala & moleſta remora. Sed non credis amice, quam multa, quod præfiſcinè dicam, in eo reſtituam, MS. tam vetuſto tam præclaro adjutus. videbitis certè σὺν θεῷ deſperatiſſ. locos evidenter reſtitutos: ni tamen editor præoccupârit, cujus Notas adhuc exſpectamus. De Suida vellem ut velles, & promiſit Bongarſius in eam rem a Florentis Chriſtiani filio quædam. Ego certè Cretenſem non valdè vereor, ſed debeo eſſe otioſior, quam nunc ſum. Adeo ut ſuaviter redeam, quis rumorem excitavit de gloſſariis permirans. Niſi hoc eſt, quod jam ultra annum meditor, nec dum aggreſſus tamen, Harpocrationem vertere, & adnotare, adjunctis omnium ejusm. lexicorum excerptis apud Photium. De aliis gloſſariis ne in mentem quidem venit. Procli certè chreſtomathiam præclaro & prolixo Cõmentario a Schotto, & alio a Nunneſio illuſtratâ habebo, & jam vidi. Ubi quam pulcre illa Ptolomæi accederent? Lindenbruchio ſcripſi: ſi curaveris, rem mihi facies gratiſſimam. Nec plura jam ob occupationum molem. Vale vir Nobilis & Cl. & ſalve quoq;. A. d. VI. Kal. Dec.

V. Nobili & CL.
DN. MELIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO, J. C. & Philologo
præclaro, amico meo obſervando.
Francofort.
Bey dem Carmeliten Kloſter zu erfragen.

CLXVIII.

CLXVIII.

Viro Nobiliſſ. & Clariſſ.

MEL. HAIM. GOLDASTO

Gothofredus Jungermannus.

S. P. D.

DIces, tacito convitio me objurgaris, jam me tacere ſcil. poſtquam ea quæ abs te petieram recepi. Sed ea occupationum mearum eſt varia moles, uti facile tibi debeam excuſatus eſſe. Et en jam ſcribo: De Seghetoita eſt, ajebat,ſe Heidelbergam tendere. Nondum redeuntem verò vidi. Et interim bis Heidelbergâ accepi litteras, à Salmaſio meo: nec ejus mentionem fieri ferè miror. De Plinio, perſuaſerat hæc Seghetus noſter, eſſe pauciora. Sed reddemus te voti tui compotem,quamprimum cum auctario hoc ſecundus ille prodierit. In Thoma magiſtro ex cutiendo raptim & ſubprandio, video me operæ pretium facturum, vel quod ad Herodotum meum. Ad terna enim jam loca inveni, quæ profecto melius habent, quam hactenus vulgati fuere: unum etiam inde corrigere audebo, Scheda Baſilica vix tanti eſt, ut excutiam. Illam remittam brevi, quoniam indiges. Quod ad Herodotea attinet, nondũ egi de ea re cum Marnio noſtro: & intricatiora jam negotia audere, quã ut hæc immiſcere placuerit. Valde vellem tamen iſta prius videre: ſi id permitteres,& tutis manibus committeres,ne reconditis hiſce,quid detrimenti accideret. Quod ad me attinet,ſanctè jurarem, & b. f. me ne verbalem excerpturũ vel publicaturum, niſi juſſus ſuus accedat, priusquam tibi ſatisfactum fuerit. Vellem tamen,ut dixi, videre prius, quid nam res ſint, & an recenſere poſſim. Tam varie n. occupatus ſum, uti neſcio adhuc an quid poſſim fere addere præter Indicẽ compoſiti,& aliqua excerpta quæ ſub legi de Nilo ex Ariſtide contra Herodotum,& Simocata, & crocodili deſcriptionem ex quodam MS. Græca,& neſcio quæ alia. Poſſem habere binos Mſſ. Herodoti è bibliotheca Palatina: ſed ne quidem cogitare vacat de comparandis illis. Hermogeniana habeo cum aliis ab Aldo editis rhetoribus græcis, librum rarum & carum, qui avi mei fuit. Longinus tn. ibi non eſt. Eo ſi mihi vis gratificari, lætabor. Potes id facere poſtquã Thomã remiſero. De Suida, modo pauliſper

ab iis quæ in manu, me abſolverim, videbo σὺν θεῷ. Quod ad Gul. Antonium attinet, ille ipſe eſt qui xylandrea cupit. Tu itaq; potes nominare libros, quos ideo ex ejus officina tradi cupis: ille reddere ſe velle ait. Cyrilli lexicon Mſ. ſpero me ex Italia habiturum: de quo Sylburgium ὁ μακαρίτην fruſtrà laboraſſe audio. Poſſum & Apicium culinarium MS. ſi Marnio editionem perſuaſero. Sed nimis nimis mihi otium invidetur, quod ad talia noctu diuque conferrem libens, ſi absq; ἐπανορθωτικὴ ipſe ad prelum eſſet, quam tamen nemini committam facile, licet habeam qui ſe offerant mei ſublevandi. Nolo fidere aliis oculis, quum ſcio meos hoc ſeriò καὶ οὐκ ἄνευ βλάβης agentes non rarò tamen falli. Vale Nobiliſſ. & Clariſſ. Virorum: & Scire cupio, quid jam edere mediteris: vale iterum atque iterum. Raptim poſtrid. 9. Dec. 1607.

Viro Nobili & Clariſſ.
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
amico meo honorando.
Francofurt.
Im Carmeliter Cloſter.

C L X I X.

S. P.

EXemplaria tua rectè allata ſunt Purpureum, quia ad Principem ob invaletudinem jam vix acceſſus, de conſilio Lingelshemii in ſumo Senatu obtuli: unde non ſine commendatione ad Principem perferetur: Viride juniori coram qui gratiſſimum munus habuit. Compacta meo judicio & ad tuas rationes diſtribui, majori tomus, Cacellario Lingelshemio, Pleſſeno (Hyppolitus enim abeſt) cætera Pæbliſio, Lœfenio, Schönero, D. Camerario (qui ſecum ad Comitia ſumet) & Achacio Baroni Donano, jun: Principis Gubernatori, qui te olim Altorffii noſſe meminit. Omnes gratiſſimum munus habuerunt; neque dubium eſt, quin reipſa teſtaturi ſint, Principes præſertim. Sed quia id non ſtatim fieri ſolet, & aurifabri monetariique demum ad excudenda ἀντίδωρα deſudaturi, viſum tabellarium ad te remittere. Cui nihil heic mercedis datum (ita moris) ego pro viatico florenum prænumeravi. Ego porrò amici officio non deero, & favitores quoque habes, quos ſupra enume-

enumeravi omnes. Et de his forte brevi plura & ex animi ſententia. Scias etiam nobilem & deſideratum illum librum à Baroniſſa Saxia Principi remiſſum per ſatellitem quendam noſtræ aulæ Helvetium, qui iſtuc ob res ſuas profectus, retulit librum & epiſtolam, cujus apographum vides. Eum Princeps aliquot diebus oblectationis ergo pervolutatum meæ jam fidei & uſui concredidit: è quo certè ſpero me ſegetem non contemnendam rerum optimarum & verborum collecturum. Scire cupio, quas cautiones jam deſcriptas habeas, ut & reliquas paulatim & ſucceſſivè deſcribere curem; ſi fortè editio integra aliquando poſſet inſtitui: Cum adderem Gloſſarium vocum rariorum & notas aliquas, non ſupervacuas ſed de his aliàs & coram, Deo volente: Jam quidem ob ſæviſſimum frigus te non voco ſed verno tempori reſervo. Ferrandum accepi, eum quem olim ipſe Schobingero dederam: ſed alium à me habes Bongarſii manu annotatum, quem recipere & cum optimo MS. noſtro conſulere cuperem. Friderici III. Reformationem an nactus es, edita ſi apud nos hic eſſet, facilè deſcribere poſſes ex libro Principis, ſed non tanti videtur. Multa ſuperſunt in ſuperioribus litteris meis, ad quæ aliquod reſponſum tuum vellem, Vale interim & ſalve. Raptim manè rigidiſſ. digitis, ultimo Decembr. anno 1607.

T.

Freherus.

Treverica illa hiſtoriola ubi? quid ſi eam conditionibus æqui mihi cedas? ſum Principi Trevir. familiaris. Germanicor. Catalogus ubi?

CLXX.

PAX CHRISTI.

Nobilis & Conſultiſſ. Vir, Amice mulum obſerv.

Silentii mei prorſus cauſa alia nulla eſt, quam quod, fato ne an ſecus, locum (ſpero in melius) mutârim, meque huc Friburgum contulerim, ubi nunc menſem ita vivo, ut credam nullibi felicius. Sum etenim in patria, in ædibus propriis, inter amicos, extra aulam, & quod jam dudum ſitivi, in protectione Sereniſſ. & Auguſtiſſ. Domus

tum tibi debeam ſcient mox amici Heidelbergenſes. Commendo tibi adjunctas ad præſtantiſſimum Virum & de me optime meritum D. Glauburgerum Nimir. Cl. Freheri noſtri ſororium nomen in baptiſmo inditum mihi incognitum ne grave ſit addere in titulo. Vale nobiliſſime & Clariſſime Goldaſte. Hanoviæ X. Quinctil. cIↃ IↃ CVII.

Nobiliſſ. Clariſſimoque Viro
Dn. Melchiori Heimensfeldio Goldaſto,
Domino obſervando & amico ſingulari.
Francofurtum.
Im Carmeliter Cloſter.

CLXXII.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Viro
MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO,
Thomas Seghetus.
S. P. D.

SIlentii veniam, Clariſſ. Goldaſte, cauſa non erat cur à me poſtulares, qui utrumque tuarum literarum deſiderio flagravi & flagro, tuæ tamen opportunitatis majorem habendam rationem cenſui & cenſeo quàm meæ voluptatis. Itaque ſcito tuas, quocunque tempore tibi commodiſſimum erit ſcribere, mihi jucundiſſimas fore lectu. Ego operâ dabo, ut de garrulitate potius meâ quàm de ſilentio querar. Affectus tuus erga me conſtans gratiſſimus eſt. Parem tibi à me pollicere; neque enim audeo dicere maiorem, ne te officio videar velle vincere. Mihi hic (Dei benignitate) bene eſt, niſi quod ſine te ſum. Gratiſſimam mihi rem faceres, ſi, quando mihi ad vos excurrere non licet, huc ad communes amicos exſpatiare. Id tamen tuo commodo fieri cupio. Sunt quæ tecum coram loqui è re mea ſit, quæ non tam commodè litteris credi poſſunt. Decimusquartus hic dies eſt, cum ad iſtius urbis Senatum litteras dedi (quod ipſi non ſperaſſent) modeſtas. Addidi & exemplum literarum Ampliſſ. Viri Henrici Wottonii Britanniæ Regis, apud Venetos legati, quas ad Senatum dedit ſtatim atque de meo

ca-

caſu accepit. Commendaverat me de meliore notâ. Meatum argumentum hujusmodi erat; Paratum me (quandoquidem ſparſerint rumorem, me objectorum mihi conſcium fugiſſe) apud quemcumque Germaniæ Principem, in quacumque imperii civitate, è vinculis cauſſam dicere: ne ipſos quidem judices recuſare, dum caveatur mihi, fide publicâ, primo quoque tempore cauſſam meam iri cognitum, meque liberaliter iri habitum quoad ſententia feretur: tum verò, ſi objectorum mihi criminum convincar, non prohibere me, quin omnia in me probra congerantur & ut de ſceleſto ſupplicium ſumatur: Sin verò innocens depræhendar par eſſe ut ſatisfiat mihi de iis qui injuriâ me calumniati ſunt. Atque de hoc etiam caveri mihi poſtulavi. Quid illi decreverint, mihi nondum conſtat; quamquam tabellario qui literas meas ſeniori Conſuli reddidit, ille nomine ſenatus reſponderit, Reſponſum mihi iri. Tu quæſo vide an poſſis expiſcari ab amicorum aliquo, quid illis animi ſit. Sanè conditiones ſunt luculentæ, & quæ non acceptæ arguant meam innocentiam. Non erit grave Patri Priori gratias agere de memoriâ mei, & tantundem à me ſalutis reddere. Dabis illi quot videbitur tibi ex his Μελετημάτων meorum exemplaribus quæ mitto ceteris tuo arbitratu utêris. Oraveram illum, ut, ſi quà fieri poſſet, in uſum Jacobi Caſteluetrii amici communis (is eſt qui Venetiis agit) corraderet aliquid illarum herbarum quæ in mortuorum craniis naſcuntur. Idem nunc iterum oro. ab utroque inibit gratiam. Vale nobiliſſime Goldaſte a tui (& meritiſſimo tuo) amantiſſimo Segheto. Hanoviæ V. Sextil. cIɔ Iɔc VII.

Ages meo nomine hoſpitæ tuæ gratias, quòd innocentiæ & libertati meæ faverit; id quod ego ex iis intellexi, quibus ipſa negotium dedit nuntiandi. Eò autem me magis illi obſtrictum cenſeo, quanto minùs notus ſum, niſi fortè de facie. Deferes ei viciſſim quicquid à me officiorum proficiſci poterit, & ſalutabis, ut & Ampliſs. D. Glauburgium & Doctorem Palthenium.

Perſcripſeram hæc & obſignaram, cum nunciatum mihi eſt, quo tu me ſtudio, quo calore quæſieris, ut moneres de periculo. Si me

gratias

gratias agere dixero parum, Dixero præquam tu meritus es. Sed majus quod dicam faciam ut habas. Tu hoc contentus eris. Atque ut ſcias me abutendo etiam gratiam apud te quærere aut gratiam reddere datam cupio ut ſi in libellum quendam Severini Pevini de dignoſcendis virginibus & Gallica in Germanicam linguam verſum incidas, eum mihi quocumque prætio compares, quod cum gratiarum actione reddetur, audio iſthic apud Spieſſium excuſum & interdictum eius venditione; quod fateor mihi calcar addidit ad poſcendum. Ignoſce tam improbè appellati, & ſi adhuc iſthic ſunt, Clariſſimos Freherum & Gruterum à me ſaluta. Iterum vale nobiliſſime Goldaſte, à tui ſtudioſiſſimo & amantiſſimo Segheto XX. Septembr.

Nobiliſſ. & clariſſ. Viro
Melchiori Heiminſfeldio Goldaſto,
Domino & amico ſingulari.

Francofurtum.
Im Carmeliter Cloſter.

CLXXIII.

Guillimannus Goldaſto,

S. D. S.

Accepi tuas, & illis conjunctas Puteani noſtri utraſque optatiſſ. & ſuaviſſ. Ad Puteanum reſcribo. Tu, quæſo Te, cura ut accipiat. Ad Marnium quod pertinet, petii, ut noſti, eandem operam præberet in publicandis Poëtis, quam impendit hiſtoricis. Neque aliud reſpondit, quam uti catalogum mittam. Facio. Quid porrò facturus intelligam, velim tamen te quoque animum ejus pertentare. Nihil mea refert, niſi quia illi cupio, uti homini induſtrio & de re literaria optimè merito. Aliàs credo non deerunt qui conditionem recipient. Helvetia quæ tangis, noli tu aut alius à me expectare, aut ſperare. Fateor ſcripſeram res geſtas Helvetiorum modo & ſtylo L. Flori. Et eorum fœdera cum Romanorum fœderibus con-

tenderam explicueramque. Sed adeo ingratas Antiquitates habuerunt, ut cœpta & adfecta protinus abjecerim, maximam jam partem in uſus poſticos, ut ita tecum loqui liceat, converterim. Quid, quod non defuerint è primatibus qui Habsburgiacorum editionem ægerrimè tulerint. At noſti, ſi in iis legendis horas aliquot perdere voluiſti, quàm nihil ſit ibi eorum prætenſæ libertati contrarium, quàm ſint omnia potius in famam eorum & gloriam. At tales reperiuntur, ne mireris tibi Florenici copiam negatam. Apage Barbariem. Alia ſunt in quibus bonum otium majori cum laude & gratia collocemus. Imò hoc agamus, & illis bonam mentem precemur. In meo Minervali habeo nihil jam quidem, quod non videris, ſi tamen non videris, quam Apoſtolica ea mitto. Conſtitutiones tuas avidè expecto, & ſi quæ alia tua. Indicem eorum, quæ ex tuis habeo, nuper ſcripſi, puto te accepiſſe. Pollicetur Puteanus è ſuis nonnulla his nundinis adfutura. Vide & ſcribe quæ ſint, qualia judices etiam adſcribe. Amo illum hominem ſolidè, & dignus omni ipſe vero amore tanta morum ſuavitudo, tam gratia locutionum ſcriptionumque. Cuperem Marnium edere Auctores quosdam rerum militarium, quos habeo, ſed neſcio an adſenſurus Authores ſunt Onoſandri Strategica ab Nicolao Sagundino latinè facta. Neſcio an hactenus fuerint edita. Habeo MS. Græce & Latine. Alter eſt Robertus Valturius, non malus auctor, & ante multos annos editus, nempe 1483. Veronæ; deinde Pariſiis anno 1532. nunquam in Germania. Poſſent his adjungi Boteri de excellentibus militiæ Ducibus lib. 2. & Georgii Baſtæ Caſtrorum præfectus, uterque liber admodum utilis, etſi nupere & Italicè editi. Poterunt tamen traduci. Onoſandro certè nihil poteſt aut doctius aut brevius, aut fructuoſius in arte militari reperiri, ut mirari ſatis non poſſim tamdiu latere potuiſſe. Habueram in animo Francofurtum proficiſcendi, & valide cupiebam multis de cauſis te cumprimis complectendi, ſed impedimenta nunc remorantur ab Principe

noſtro

noſtro Archi-Duce Maximiliano. De quibus alias tecum. Sed audi: Bibliopola meus ſemper conqueritur, nulla ſe exemplaria Habsburgiacorum vendere, adeò ſibi prope oneri hanc eorum diſtractionem. Quæſo te ſignifica quo in loco res ea ſit quâ exemplaria ſupereſſe poſſint, & quo pretio ſingula vendat, ſed cautim ne is animadvertat. Mihi è contra plurifariam ſcribitur exemplaria non amplius reperiri, & ſuadent ut denuo typis ſubjiciantur. Offerunt operam ſplendidam Colonienſes. Nihil moveor donec ſuperſunt exemplaria, neque fortaſſe tàm citò, ubi deſierint. Sed de his quoque aliàs pluribus. Vale & me amare perge, tui redamantem. Friburgi 12. Septembr. 1607.

Apoſtolica quæ me miſſurum ſcripſeram, nulla ſunt. Putabam me habere unum adhuc exemplum, aut certè Bibliopolam. Nihil reperio, neque ille. Scripſi alias ea ſtilo & numeris Pindaricis. Multi probarunt.

Viro Clariſſ.
Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto ſuo.
Francoforti.

CLXXIV.

Viro Clariſſimo & Nobiliſſimo
MELCH. HAIM. GOLDASTO
Thomas Seghetus.

S. P. D.

SUmmo tui conveniendi deſiderio arſi & ardeo nobiliſſime mi Goldaſte. Invidit mihi hanc felicitatem primùm quidem tua abſentia, quem ego ter domi quæſitum, neque inveni neque reperi, dein Magiſtratus iſtius plusquam Vatinianum in me

 odium

odium. Cur illi inſidias mihi ſtruant? Quid deliqui? Quin accepere oblatas à me æquiſſimas conditiones mei in carcere ſiſtendi? Ecquis hinc non videt malam eos cauſſam habere, me bonam? Nam ſi quid adverſum me certi eſſet, arripuiſſent tam præclaram conditionem. Hinc videant omnes quàm iniqui ſint qui id recuſarunt quod præter me nemo obtuliſſet. Adeo innocentiæ meæ fido quì fretus & eorum æquitate (ſi qua tamen eſt in iis æquitas) auſus ſum urbem eorum ingredi tempore libero. Verum cum videam eos modeſtiâ meâ abuti, alia ineunda eſt ratio & deflectendum mihi ab ingenio quamquam invito. Sentient & mihi ſpiritus eſſe, & volent non læſiſſe. Hæc apud te mi Goldaſte liberius effudi, nempe ut qui amiciſſimus es & conſcius quam inique premar ab inſenſis. Mirum eos non videre, quam iniqua & inania ſint eorum contra me conſilia, quæ Deus jam iterum eluſit cum aliquo fortaſſe ipſorum ludibrio, etſi ego hoc non optabam. Sed manum de tabula, & hoſpitæ tuæ D. que Serafino, quem meritò ipſius amo & plurimi facio, multam à me ſalutem. Vale Hanoviæ XIX. Sept. cIↃ IↃ CVII.

Viro Nobiliſſimo clariſſimoque
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico plurimum obſervando.

Franckfurt.
Im Carmeliter Cloſter.

CLXXV.

Nobiliſſimo & Clariſſ.
D. MELHCIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO
Thom. Seghetus,
S. P. D.

SUperiore hebdomade literas ad te dedi; quibus quod non reſponderis, occupationibus tuis tribuo. Adeò autem non queror

ut

ut contra amem qui amicitiæ libertate uſus ſis. Nunc ad ſuperiora oratum te velim, ne grave ſit libellum *de Patriâ Pliniorum* ad Jungermannum tranſmittere publicandum, typis Marnianis cum Plinio & ſeorſim. Sanè ad novam editionem cupit ille aliquid accedere, & tibi huius rei gratia debebitur. Quod ſi fortaſſe exemplar te afficit curabo in proximas nundinas tranſmitti ex Italiâ plura. Spero hoc à tuâ humanitate impetratum iri, & libenter te collaturum hanc Symbolam bono publico. Niſi interverſum (neſcio quî) exemplar fuiſſet quod ipſe habebam, ſuperſediſſem hac moleſtiâ. Vale amiciſſime Goldaſte, & in amore erga me perſevera. Hanoviæ XIV. Novembris cIↃ IↃ CVII.

Nobiliſſimo & Clariſſ. Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico obſervando

Francofurtum.
In dem Carmeliter Cloſter.

CLXXVI.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo
MELIORI HEIMINSFELDIO GOLDASTO
Thomas Seghetus.

S. P. D.

CUm Dei Opt. Max. benignitate incolumis ex Haſſiâ redierim, deeſſe officio nolui, quin te è primis amicorum, per literas ſaltem ſalutarem, cum id per iniqua eorum quos noſti odia, coram non liceat. Iter feci ſummâ cum voluptate & nonnullo fructu. *Academias Marburgenſem* & *Gieſſanam* vidi: cum Gieſſæ privilegia publicarentur, interfui. Viros utrobique doctos conveni. *Caſſellas* inde profectus doctiſſimum Principem vidi. Vidi & aulam à Principe

comiter exceptus. Etiam illic virorum doctorum amicitiam mihi adjunxi, & ſolennibus baptiſmi Principis filii interfui. Eglinus te ſalutat. Ante diſceſſum meum nuntiatum mihi fuit, habere te quæ mihi diceres. Si epiſtolæ (quando alia conveniendi ratio non eſt, niſi ſummo cum tuo incommodo) tuto credi poſſe judicabis, ſcribe ſodes quicquid illud eſt. Oratum te etiam cuperem duos ad me libros transmittas, quorum alter Germanicè, uthic excuſus eſt. Cum titulo **Jungfrau Prob/** &c. De quo & ante diſceſſum ad te ſcripſi: alteri titulus eſt *Ilias malorum* excuſus quidem Gieſſæ, ſed ſine loci nomine. Invenies autem apud Wolffgangum Richterum. Pretium eveſtigio reſtituetur. Scribe quæſo quid conſtitueris de libello cui titulus, *De patriâ Plinio-rum*, an nempe iſthic poſſit recudi! id ſi effectum dederis, bene de litteris, bene de optimo Viro Ogalino, bene de me me rebere. Si id occupationes tuæ permittent, ne quæſo grave ſit primo quoque tempore reſpondere. Ceteroqui literæ tuæ me hic non offendent: nam Heidelbergam mihi cis pauciſſimos dies iter eſt. Vale Nobiliſſime & amiciſſime Goldaſte. Hanoviæ prid. Non. Novembr. cIↄ Iↄ cvII. Jungermannus te ſalutat & reſponſum ad ſuas exſpectat.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico ſingulari.
Francofurtum.

CLXXVII.
S. P.

NObiliſſ. & doctiſſ. Domine: Noſtrum fautorem Dn. Freherum nolui ſine mei in te amoris ſignificatione iſthuc venire. Valetudinem tibi firmam exopto, ut opera tua Reip. diu proſit. Audio te nunc *de cultu imaginum volumen egregium* edere: quod lubens videbo & legam. Illud *de conſtitutionib. Imperat.* mihi lectu jucundum fuit: quod pro

pro tua humanitate mihi promittere cum volueris ; ſi tuo cum incommodo fieri queat, expectabo ab ipſo autore: nec ingratus ero. Polliceor ἀντίδωρον. Sed quid M. Lothardus apud confederatos? Utinam expectationi noſtræ ſatisfaciat. Deum oro, Eccleſiæ ſuæ & tibi ſit propitius. Vale & à me amica officia expecta.

T. D.

ſtudioſiſſ.

Quirinus Reuter D.

Nobilitate & doctrina præſtanti V. Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto &c. Polyhiſtori celeberrimo, D. fautori & amico pl. honorando.

Franckfurt.

CLXXVIII.

Salutem.

Litteras tuas, nobilis & eruditiſſime vir, Dn. & amice obſervande, datas in Carmelitano Francofordiæ ad Mœnum XIIII. Calend. Mart. hoc anno, perlataſque Coloniam, & deinceps Hildeshemum, tandemque hinc ad me, accepi poſtea quam mercatores noſtrates ad nundinas veſtras jam abierant. Tibi autem de hoſpitio Dn. Priori de hoſpite commodis gratulor. Hic quod τὰ λείψανα noſtratia grata acceptaque habuit gaudeo. Addidi quædam prioribus in capſulam compoſita & obſignata atque commiſſa iiſdem, quos modò dixi, ad nundinas proximè profectis noſtratibus; juſſique reddenda Dn. Mengershuſio, & per hunc Dn. Rectori, qui demum Domino Priori traderet. Inter ea erat capſella plumbea cum ſuper impreſſâ effigie celitus perterriti converſique Saulis. Eam preſſuram, cum ex podagra me decumbente, circa fornacem reſolvi videretur, ceream conjeci eſſe. Quæ ideo ſignifico, ut Domino Priori, ſi fortaſſe ea imago penitus defecit, conſtaret, quid fuerit. Capſella autem illa in precio habita fuit, à clero ſatis celebris ædis ſemper virginis extra mœnia Eimbeccenſia. Porro quod plura Dn. Prior requirit; ea in re experietur me ſedulum, non ſarciendæ

ſuper-

ſuperſtitionis ergò, ſed quod mâlo SS. Honorifice meminiſſe quam temere eos negligere. Optatim autem illud quod requirit Roſarium jam iſtic eſſe. Res fragilis eſt. Cogito tamen de rationibus, quibus innocuum iſtuc aſportetur.

Cæterum ex nundinis nondum advenerunt aurigæ. Itaque cum necdum conſtet, quid Dn. Rector reſcripſerit, aut an aliquid à prænominato hoſpite tuo librorum miſerit; ad ἀμοιβαῖα, quorum in epiſtola tua meminiſti, generaliter reſpondeo: illas orbis terrarum inſcriptiones Scaligeri, Velſeri & Gruteri, cum primis me requirere: Cæterorum quicquid præſtiterit, boni me conſulere: ſunt enim mihi, qui ſtudiis liberalibus vacant, filii duo. Interim tamen, ſi citra ſingulare Dn. Prioris diſpendium fieri poſſit, & illum, quem practices patrem Cauſidici vocant, Speculatorem in fol. editionis recentioris Baſilienſis. Compellatus autem nomine meo affinis meus Philippus Zangius ſuſcipiet, nomine meo quicquid tradetur librorum, & in ædes veteris monetæ, in quibus me cum Dn. Rectore ſemel atque iterum inviſebas, reponet, dum bona occaſione æſtate hac aurigæ contingant, qui aſportent; dabitque Dn. Priori ut vocant quietationem. Eidem veſtras ad me litteras tutò committetis. Manuſcripta, quæ mittebam hyeme proximè præterita per tabellarium Francofurtenſem, grata tibi fuiſſe gaudeo. Cum Francofurto abirem mittebam ad te per M. Fraxineum, ſi rectè recordor, manuſcriptum Germanicum Chronicon Thuringicum in 4to. An in eo quid memorabile videris, obiter, ubi reſcribes, ſignifices. Conſtitutiones Cæſareas quod ab interitu vindicas gratulor tum Cæſaribus & Imperio tum tibi. Intelligo tamen gratum fore tibi, ſi quid argumenti ejuſdem poſthac etiam ad te mittatur. Quicquid igitur huius coquirere potuero faciam ut tuum ſit. Ad Dn. Leznerum, rerum iſtarum apud nos adhuc inveſtigatorem ferme curioſum, ſed valde ſenem, nondum vêni. Capto tamen etiamnum occaſionem.

Ad Dn. Langenmantelum tuas transmiſi: ſperoque occaſiones colloquendi coram. Jam ad dignitatem evectus eſt apud nos præcipuam (Groß-Vogt appellant) Calenbergæ, ditionis olim Illuſtriſ. Erici;

Erici; & ſponſus feſtivitatem jam parat nuptiarum ſolennium, ut parandum homini jam ſit ſolito negocioſiori. Dn. Maibamus ſua habet ſecretiora: ubi convenerimus, tuam ipſi præclaram voluntatē, ſalvâ exiſtimationis tuæ præſtantiâ, ſignificabo, atque ad te reſcribā.

Vale vir animo meo cariſſime, &, præter Dn. Rectorem alioſque benevolentes, Dn. hoſpitem tuum verbis meis officioſiſſime reſaluta, cui proſpera omnia, valetudinem firmam & ſenectam commodam, opto ex animo. Datæ Guoelfenbutteli 15. April anno 1607.

Tui obſervantiſſimus ſtudioſiſſimuſque

Henricus Petreus.

Nobili & eruditiſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
bono publico verſanti jam Francofurdiæ ad
Mœnum: Dn. & amico obſervando.

Franckfurt am Mayn
Bey dem Hn. Priorn / Hr. Mintzenberger / im Carmeliter-Cloſter zuerfragen / und abweſend &c. denſelben zu eröffnen.

CLXXIX.

S. Nobiliſſ. amice.

NUdiuſtertius jam eſt, quum tuas cum faſciculo addito accepi. Jam Corinthum tuum iterum convaſo & Longinum & Gigalinū, certa & tuta occaſione remiſſurus, ſive ea cras ſe dabitur, uti ſpero, ſive in perendinum. Cigalinum ideo remitto, quod Dn. Marnius ſuum exemplum forte fortuna invenit apud ſe, mihi à Segheto inſcriptum: qui itaque non fuit falſus, quum non mihi perſuadere tamen poſſet, ſe mihi exemplum deſtinaſſe. Interim agimus gratias, quod tuo nobis prodeſſe volueris. Lexicon Herodoteum ſpem meam fefellit. Gloſſulas potius quaſdam vocavero. Tales tamen ſunt, quas prolixis ῥαψωδήμασι τῦ δεῖνα non invitus prætulero. Sed vellem te addidiſſe, codex ne fuerit ille vetus, vel unde, qui

de, qui continuit. Hoc enim, uti noſti, ad Lectoris deſiderium pertinet. Ea de cauſſa ipſe intueri avebam valde. Et mordebat me non nihil, uti penitus apud te expectarem quicquid fuit, uti apud amicum, quod ita leviter de mea fide ſenſiſſe videbaris: cui tamen commiſſa hactenus fuere ex Auguſtana & Palatina Bibliotheca codices MS. & rari quidem, & inſignes, numquam editi. Sed alii forte te reddiderunt *ἀπιςότερον*. quare facile id amicitiæ noſtræ condono: nec opus ut excuſes. De Corintho falleris, ſi numquam edita pures illa *περὶ διαλέκτων*. Habui enim puer adhuc valde Lexicon vel a Junio, vel a Geſnero Baſileæ editum, primis illis talium Lexicorum partubus, ubi iſta Corinthi Græco Latina cum aliis quæ adpendicis loco ſolent addi fuiſſe ſcio. Id quum negligerem tum temporis, nec jam poſſem recuperare. Liberis verò vellem vulgata uti quoque, ſicque de Joniſmo hæc Herodoto præfigere. Excuſa fuiſſe te quoque docebit H. Steph. manus in tuo codice ibi, *κολλίκια in impreſſo*. Impreſſum etiam Caſaubonum puto citare in Theocriteis, ubi de *ἀδεμάτυ ψυχῆς*. Vulgatis quidem Latinis ab H. Stephano in Theſauro tuo videntur aliquot locis auctiora. Sed mi Dn. qui me valetudinem oculorum curare jubes, fere morbum exacerbavi iſta aſſidua (quantum quidem non interrumperent operæ meæ) deſcriptione. Nam profecto id hic verum eſt quod ſervus comicus ait, littera litteram ſcandit. Malum profecto negotium oculis meis objectum eſt, deſcripſi tamen de Jonica iſta omnia; reliqua quæ in tuo codice, ita religioſus fui, ne libavi quidem. Eadem tamen opera & de Joh. Philoponi diſſertatione Græca pariliter erit, acquirendum, quam pariter H. Stephanus tantum Latinam edidit. Halicarnaſſeana credo me habere. En ſtatim poſt ipſius *τεχνὴν*, ſequuntur ejus in *ἐξετάσει*, ut ipſe ait: *κρίσεις* de illis *οἱ δεινεὶ περὶ τοὺς λόγους*. In quibus una inſcripta: *Ἡρόδοτος καὶ Θουκυδίδης*: incipit: *τῶν μέντοι συγγραφέων ἡρόδοτος μὲν ἐξείργασο*, &c. finit, *μᾶλλον ὀ τετήρηκε*, ſunt paucula vero iſthæc. Alia comparatio prolixa & inſignis exſtat apud eundem in extrema

trema epiſtola ipſius ad Cn. Pompeium. ea pars epiſtolæ incipit: περι τȣ ἡροδοτȣ καὶ Ξενοφῶντος ἐβȣλήθης μαθεῖν τινα περὶ αὐτῶν ὑπόληψιν ἐχω &c. finit, περι ὧν καὶ ἕτερος ἐςαι καφὲς. Hæc habeo: an tua MS. ſint auctiora & emendatiora, neſcio. Operæ pretium forte ſi fieret periculum. Nulla mentio alias apud Dionyſium iſtum de Herodoto: præſertim lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, quem quoque in Sylburgiana editione habeo: nec credo Polonicam editionem meliorem. Neſcio tamen, nec eam luſtravi. Sed heus Tzerzis Chiliades ſi miſeris, bonum factum: latent enim ibi Cteſiana quædam. Si non habeas mox reſcribe, uti aliunde poſcam. Pro Longino magnas habeo gratias: excerpſi pulcros locos. De Xylandro velo ipſum adire Gul. Antonium: Sed mallem te quosd. libros ὀνόμαςι injeciſſe: ajebat enim ſe paratum ad paciſcendum: tua eſt electio. Alia ejusd. quod noſtro potius ſervas, recte facis. De Cteſia verò valde falleris quoque, ſi Rhodomani manu exarata iſta Indica converſa putas. Ego enim aliquot litteras a Rhodomano dum erat in vivis poſſideo: quæ facile id convincunt. Et imperitiorem deſcripſiſſe facile patet ex vitiis, ſtatim in principio *Siculis*, pro *Situlis*, alia quæ alîus manus notavit, quæſo, cujus: videor enim agnoſcere. Schottus jubet nos ſuam verſionem recipere, uti Stephaniana meliorem. Ego nondum jeci aleam: nec libenter Stephanianam rejicio. Rhodomaniana conferendi gratia poſſit accedere: cujus viri verſionem alias Agatarchideam retinuit in ſuo Photio Schottus, & nos ibi adponemus. Cyrillum ſi accepero, gaudere licebit plenius, ſpero. Vide verò quàm familiariter & ruſticè imò tecum agam. Tu ignoſcere ut velis, rogo. Juvabis vero nos porro & noſtros conatus, qui profecto in ſolius Reip. Litterariæ utilitatem tendunt, quæ fecit profecto (non falsò gloriari licet) ut omnia reliqua inſuper habeam. Vale Nobiliſſ. Dn. & tuum Jungermannum ama, qui hæc reſcribebat raptim poſtrid.

Jan. Kal. novar. anno ∞ I϶ CVIII. quas tu, talemque annum perpetuo felices experiaris. Ita precor. Vale denuo & ſalve quoque.

V. Nobili & CL.
DN. MELIORI GOLDASTO,
amico meo honorando.

CLXXX.

Nobiliſſ. Viro
MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO,
Gothofredus Jungermannus.

S. P. D.

SCripſiſti quaſi irritatior, nolo dicere duabus litteris minus. Cur enim iratum te putem amico qui non commerui? Prædixeram verò ante non opus eſſe excuſatione tua, nedum tam acri expoſtulatione. Et poſſem ſane ſi non tam apte, pariter prolixe verbigerari in cauſſa noſtra, ſi mihi vacaret. Tu certe meam & Marnii cauſſam confundis: quod non debebas. Quid ſe ſpectare profiteatur, novi: quid re vera ſpectet, judicent alii. Vellem tamen qui perſuaderet non præ entiarium Dominum eſſe ſuper illas Pyramides chartaceas, quas Francofurti & hic poſſidet librorum infinitorum, qui venuſtiorem non alliciunt ullum: vellem qui moneret, quando ſumptus in hunc vel iſtum librum eſſent faciendi qui parte ſua refunderentur. Nusquàm ſæpius enim inanes facit. Sed agat ſuam cauſſam ipſe. Tu quaſi ſuſpicari videris de me neſcio quid. Ego mihi ſum aliter conſcius. Alias certe, quicquid dicas, non tam libri mihi (tali commodatitii) augentur, quàm labores indies: nec tamen nummulum hactenus plus petii à primo quo mecum pactus eſt. Ne dicam quas condiciones interim

cim oblatas ſprevi qua privatim, qua publicè. Sed iterum me involvo in hujus ſermonis moras. Potius hoc agamus. Herodoteum negotium è manibus Pollucem mihi invito excuſſit: in quem perduxi Notas jam ad librum VII. uſque. Putavi me pœniturum operæ omnis, quamprimum mitterentur editoris VV. Seberi, amici mei, Notæ Miſſæ ſunt. Nondum pœnitet. Credo ad XIII. MSS. uſum. Ego σὺν θεῷ è meo unico & mutilo quamvis plus variantiarum plus reſtitutionum oſtendam, ne de aliis Symbolis, quas tamen omnes muti præſtitere, præter unum mihi eximium. In Herodotum collectaneorum amplã farraginem jam mihi notavi quà ex veteribus quà ex recentioribus, ſed quid præſtare poſſim ultra ἐπανορθωτικὴν quotidianam & in tanta temporis anguſtia conſtitutus neſcio certè. De Corintho itaque meis oculis abnegabo fidem? Et faciam, ſi illi non viderint, quod ſe vidiſſe putant. Interim tamen licet amplius per te pronunciare. Theonem (quamvis illud Rhethoricum opus Libanio aſſcribit F. Morellus) ex editione mei avi habeo, & jam excuſſeram invenique elegans ibi è Cteſia fragmentum. De loco tamen illo ubi Herodotum ait βαρβαρικῶς εἰπεῖν πολλάκις ita illi fidem do, barbara multa, præſertim Perſica protuliſſe, quod ſcilicet ita perſonæ & προσωποποιΐαι depoſcebant. Aliàs certè barbare loquutus Herodotus nemini videatur, niſi barbaris ipſis. De Tzetze habeo gratiam, quod quæſiviſti. Alios quos recenſes non cupio, præter ſi in Hephæſtone aliquid fuerit, quem authorem non habeo. De lexico Hippocrateo meum judicium non interpono. Sed de fragmento hiſtorico tibi indicare cujus ſit in promptu eſt: utinam tu mihi cujus ea ſit verſio. Noſſe enim debes Agatarchidis excerpta eſſe de mari rubro & Indices, quæ exſtant apud Photium. Eſt autem alia verſio planè à Rhodomani, quæ publice olim à Stephano edita, & denuo jam Photio Latino Schotti inſerta eſt. Commode miſiſti. Alias enim Agatarchidem Cteſiæ addimus, ob ſcriptionis argumentum (Indica Cteſiæ ſpecto) geminum. Si modo totum hoc fragmentum nactus fuiſſes. Manum inibi ad orationem Stephanianam adgnoſco, uti & in Indicis Cteſiæ

 à Rho-

à Rhodomano verſis. Seghetus noſter commodum reddidit quum tuas acciperem, & credo pariter jam ad te ſcribere. Sed licet ne quid nugarum mearum? In cœna unà fuimus, illeque tuis, quas tradidi, perlectis, recitabat locos Suetonianos tuos à te inſertos, Ego quod in mentem venit dixi, & hic aſpergo. Ad tonitrua & fulgura connivere, me ita capere, uti verbum *connivere* ad *fulgura*, quod propius, ſe referet. Notum verò meticuloſioribus ad fulgurationem non apertos manere oculos. Ille vero Caligula verè fuit ex iſto hominum genere, qui juxta Satyricum trepidant, & ad omnia fulgura pallent, cum tonat &c. Tonitru etiam & fulgur ferè ſimul fieri videntur. De altero mihi nihil in mundo, ut in talibus accidere ſolet homini nullis ferè Lectionis: Sed memini dum ante octo annos Lipſiæ Lipſii illa pervoluebam, in ejus Amphitheatro de hac re legiſſe quædam. Liber mihi non ad manus. Erat vero Jul. Cæſar. Bulengerus de theatro, ejus l. 1. c. 24. hæc, ſi cuperes, adſcripſi: *In ſumma cavea mulieres, & capite cenſi. Div. Chryſ. orat. 2. δημυ γάρ ἐςιν ἀκρουτὲ θέατρον. Olim promiſcuè ſpectabant, plebeji cum Senatoribus, viri cum mulieribus, ut eſt apud Val. Max. l. 4. c. 5. & quidem ſtantes, Auguſtin. l. 1. civit. c. 31 Oroſ. l. 4. c. 20.* Sed hæc forte nihil ad tuum, ζήτημα. Ait idem Bulengerus, ſe plura in libro de circo ſcripſiſſe in iſtam rem. Sed ſi rideas me, non injuriam feceris, uti qui ſententiam dicam non rogatus. Ignoſces mihi itaque & Seghetum audies. Vale & me, ſi mereor, ama. Scripſi raptim è Wecheliano Anno novo ∞ Ioc viii. quem tibi feliciſſ. precor. τῇ ἁγίᾳ τῶν φώτων ἑορτῇ, uti Nazianzeno adpellari ferunt hanc diem.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto, *amico meo honorando.*

Franckfurt.

CLXXXI.

CLXXXI.

S. P.

NOn reperio verba, Nobiliſſime Vir, quibus ſatis oſtendam, quam grato animo amplector honorem quo me dignatus, & munus ſplendidum gratiſſimumque. Pervolui librum avide & cum gaudio. Probatur & aliis noſtris ſtudium hoc tuum & induſtria, neque aliter indicantem ullum adhuc audivi. Cancellarius ſæpius mihi locutus eſt cupidus facto tibi demonſtrandi, gratum ſibi fuiſſe munus tuum. Opus Principi commendatum quoque, & gratum habet, juſſitque tibi, octoginta florenos mitti, cum benigno affectu tam ſuo quam filii nomine. Ea pecunia Frehero noſtro tradetur, tibi mittenda. Valde gaudeo hac occaſione induſtriam ac virtutem tuam innotuiſſe Principi & noſtris. Intentus ero ego in occaſiones, tui ad noſtrum ſodalitium pertrahendi, quod olim te expetiviſſe memini. Etiam gratum meum in te animum factis quam verbis teſtari malo, ſed nihil dum reperio, occaſionem elabi tibi commodandi non ſinam. Quod ſcribam aliud non eſt, hoc tempore, & jam avocor. Tu vale quam feliciſſime. Heidelb. 8. Jan. 1608.

T. omni ſtudio & obſequio

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. Goldaſte,
à Franckfort.

CLXXXII.

Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro

D. MELCH. HAIM. GOLDASTO

Thomas Seghetus.

S. P. D.

LIteras tuas XV. Kalend. Decembr. datas, nudiustertius demum accepi redux Heidelbergâ. Nec Jungermanno noſtro ſuccenſeo,

imo

imò gratias ago quòd non miſerit. Nam factum non ſemel ut ab errarint aliquæ. De curâ tuâ in libris illis eruendis, gratiam habeo; & cauſſam accipio cur munus inquirendum duxeris Germanicum. Quod tam promte librum de patriâ Pliniorum pollicitus es, gratiam habeo. Verùm nunc puto conſtare tibi illud exemplar recuperatum, quod ego Jungermanno dederam Gratum mihi fuit præſtantiſſ. D. Hippolytum noſtrum mei memorem fuiſſe; & tibi gratiam habeo de indicio, ſpero mecum propediem viſurum ut & Puteanum: Nam iter mihi eſt Londinum per Belgium. Si quid ad alterutrum aut utrumque voles, paratam habes operam amici ut & in alia quacumque occaſione. Jam de Suetonii locis dicam pauca pro facultate ejus qui libris propè deſtitutus ingenium aut memoriam cogitur advocare. Illud ergo *ad fulgura connivere* ita interpretor, quaſi Caligula Deûm contemtor, metueret tamen Deorum tela. Solent enim meticuloſiores, imò omnes fere, ad ea, quæ cum impetu irruunt oculos claudere inſtinctu quodam naturæ: eoque memini Plinium quaſi rarum fortis animi indicium de quodam milite prodidiſſe, cogi non potuiſſe ut ictibus intentatis conniveret. Alterum locum *de ſuperiore loco* &c. puto intelligendum de ſummis amphitheatri gradibus: atque huic rei cauſſam præbuiſſe, quod, cum promiſcuè ſpectarent viri feminæque, patefiebat occaſio corrumpendæ pudicitiæ. Sanè memini Ovidium in libris de arte monere captandas hujuſmodi occaſiones jungendumque latus ſuæ in ſpectaculis, Et quis ſcit an illi libri præbuerint Auguſto cauſſam veterem conſuetudinem innovandi? De diſcreto fœminarum virorumque in ſpectaculis loco, monuit me Jungermannus diſſerere Lipſium in iis quæ de Amphitheatro ſcripſit. Tu, cui puto libros illos non deeſſe excuties. Nobis ad manus non ſunt. Habes ſententiam meam parati in alienam ire, ſi quis rectiora docebit. Si quid in Belgium miſſurus es, da operam ut ad ſummum die Dominica hic ſit; nam mihi Conſilium eſt die Lunæ σὺν θεῷ iter ingredi. Vale

no-

Nobiliſſime & Clariſſime D. Goldaſte. Hanoviæ V. Idus Januarii cIↄ Iↄ cviii.

Nobiliſſ. & Clariſſimo V.
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico plurimum obſervando.
Francofortum.
Bey dem Carmeliten Kloſter.

CLXXXIII.

Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro

MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO

S. P. D.

Thom. Seghetus.

SOllicitudinem tuam, amiciſſime Goldaſte, valdè amo, & gratiam habeo quòd tam diligenter cauſſam meam egeris, innocentiamque docueris. Mihi in hoc negotio per temporis anguſtias nunc non eſt integrum quidquam decernere. Ubi rediero, id fiet. Interim ages meo nomine gratias ampliſſimo Cos. D. Fauſt quòd de innocentiâ meâ perſuaderi ſibi paſſus eſt, & conditionem obtulerit. Quæ commiſiſti mihi in Belgio curanda, curabuntur ſedulo. Puteanum tibi virtus tua conciliavit, non ego. Quod me miniſtro in hoc negotio uti maluſti cùm aptiorem poſſes invenire, gratiam habeo. Vale mi oculiſſime Goldaſte, & perſuade tibi eundem me erga te eſſe, quem te ſenſi erga me. Hanoviæ XI Januarii cIↄ Iↄ cviii.

Nobiliſſ. & clariſſ. D.
Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico plurimum obſervando.

Francofurtum.
In dem Carmeliter Cloſter.

CLXXXIV.

S. P. & feliciſſima anni auſpicia D.

JAmmodo accepi (nam propter multitudinem aliquandiu domi me continui) in Cancellaria à quæſtore utriusque Principis munus tibi decretum Electoris 50. fl. in 20. Ducatis, Junioris 30. fl. in 20. taleris: quos ita ab incude recentes oblatâ iſtâ occaſione ad te mitto, & te pro tempore boni conſulere jubeo; à nobis quoque IIII. Viris, ubi Hippolytus redierit, donarium pro noſtra copia te ſperare; Neque etiam gnadenpfenningum deſperare. Cæteros quoque Proceres, quos exemplaribus donaſti, gratos habebis, non dubito. Qui eos excudere ſolebat Aurifaber diſceſſit Metas domicilio translato: neque jam fabricantur tales. Memor ero tui cum occaſione & tempore. Tuum erit brevibus verbis gratias ſcripto agere, vel ad Principes, vel ad me aut Lingelsheimium directo, ut eo exhibito etiam rectè à me curatum conſtet. Deſcripta Cantilenarum allata ſunt domum meam, me abſente: ubi ille me reviſerit, faciam quod vis, Agnoſco tuam manum & Schobingeri: alicubi aliam juniorem, depravatiſſimè ſcripſit. Jam quis continuabit? Circumſpiciendus mihi idoneus ſcriba, quali jam careo. Et nuper in diſtribuendis exemplaribus tabellario tuo mihi ideo utendum. Quid jam ſub incude habeas, ſcire aveo, ſcribe quæſo: & quando ſecundum Tomum iſtorum Imperialium ſperemus. Nunc ad aliud: Opuſculum German. vides, auſpiciis Comitum quorundam primariorum ab Anonymo ſcriptum, quo & urbs noſtra à Haſſiaco ambitu vindicatur. Comites ibi editum vellent. Age cum Typographo, ſi conditione priſtina (150. potius, 100. ad minus exemplaria in charta ſcriptoria) excudere velit, ut ad nundinas prodeat. Age cum cenſura, quæ non erit (ut ſpero) iniqua, & ad me refer. Nam alias vel Herbornæ vel Lichæ, vel ubi vis excudi poterit. Titulus & epiſtola ad Comites interea ſubmitti poterit. Et hoc tibi curæ eſſe velim. De authore non eſt, quod laboretur. Ponatur Homo aliquis è media Wetteravia. Quod ſi fortè

urbi

urbi videatur, poterit in ejus honorem integrum caput inſeri. Materiam ipſe ſubminiſtrabis. Et hiſce raptim Vale. Dab. Heidelbergæ 23. Jan. 1608.

T.

Maro quartus.

Libellum in 4to. antiquæ editionis, in quo Friderici & aliorum Impp. & Pontificum de Jurib. Eccleſiæ Sanctiones, quem tibi nuper Francofurti dedi (ubi deſcriptus fuerit, neque enim ex illo edi poteſt, ob varias abbreviaturas) ad me redire cupio.

Vidi apud te Dictionarium Gallico-Latinum vetus, MS. in 8tavo pergamenum, cujus uſuram, ſi ad tempus mihi concedas, rem pergratam facies. Salvum cum gratia recipies.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heimingsfeld &c.
Francfort.

CLXXXV.

S. Vir Nobil. & Cl.

PArabam jam Elicium γϱάμμα, quum commodum tuæ optatæ perquàm advenerunt cum Hephæſtione. In quo tuam benignitatem ſatis agnoſco. Sine ſis porrò me uti, in quibus ea mihi maximè neceſſaria, modò ne tarda ſit. Stephanum τὰ ἐθνικὰ καταγϱάψαντα & Arrhiani periplȣ͂n cum Alexandreide ad me quamprimùm mitte: remittam quamprimùm ſartos tectos. Abſque iis enim non confieri quit quod agito negotium. Brogthonus noſter eos libros ſe mihi curaturum pollicitus eſt. Sed vereor ut in tempore. A te exſpectabo rectius. Eſt verò credo commoda occaſio per noſtrum e nauta aurigam quotidie ultro citroque commeantem. De Herodoreis λεξιδίοις bene me certiorem feciſti. Illud ἀκανθοπλὴξ ubi hæreat in illo auctore neſcio: nec ego mehercle ex una atq; altera lectione tam diſtracta per operas omnium iſtius vocum ſum meminens. miror

 tamen

tamen Criticos in ea ſpina nondum offendiſſe. De Agatarchide facilè credo. Sed vellem prima pagina adeſſet: accederet enim editioni noſtræ ſic certius. Mallem & Scire an non poſſis manum inveſtigare cujuſnam fuerit interpretis. Pro Herodoto aliàs nihil amplius deſidero: nec enim iſta quæ habeo poſſe me expedire cerno. O Indicis (& quid tam neceſſarium!) malas & moleſtas moras: quæ mea collectanea diſturbant, in quibus tamen non omnia fortè nauci, niſi & illi, è quibus conquiſivi, tales. Sed quid faciam, amice. Vos hæc & hæc velletis edi à me, & diligentiam, ſed hanc tantum, meam vobis ſponderem lubens: ſed prout noſter hoc vel illud edi vult, ita & ego abripior. De ceteris dicendum: ἀλλ' ὐκ Ἀτρείδη Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ. Sic noſter Lindenbruchius cujus ad te meis incluſas jam præmiſi ut à Marnio acciperes, omnino edi vult à me iſtos minutos Gloſſatores junctum & unà. Ego id omnino ita fieri vellem. Sed jam Herodotus me tenet, nec ſi hunc σὺν θεῷ miſſum fecero, Pollux me mittet: in quem poſt editorem Seberum amiciſſim. mihi magna reſtat ſeges, partim MS. ope, partim Salmaſii noſtri divino ingenio. Idem Lindenbruchius Germanicarum legum volumen paratum habere ait, ſi modo quis Sumptus velit facere. Ego id noſtro perſuadere debeo. Sed vereor ut fruſtra: quum liber excudi Hamburgi debeat, nec enim alii ſe commiſſurum, quum ipſe præeſſe poſſit, ait optimus Lindenbruchius. Tu Marnio propior, ſi placet, potes rei mentionem facere. An Seghetus noſter ad nundinas rediturus, neſcio, ſane & nobis ita recepit. Accepi litteras ab ipſo Coloniá ante triduum. Ubi ait ſe compendia viæ non ſectaturum propter pericula: Sed iturum per Brabantiam, & Puteanum ſalutaturum, viſurumque Archiducis aulam. De conditione Lovanienſi dudum Scivi: Præ ſe tulit ſibi non arridere. Nec ille videtur ſedem figere velle in Germania. Puteanus de ſuis libris jam à Moreto excudendis mihi quoque ante annum ſcripſit. Poſtremis meis non reſpondit. Tu, ſi reſcripſeris, quæſo meo nomine ſaluta. De locis Suetonianis

nis hoc volebam patere tantum, ut mihi ignoſceres, qui ſus Minervam volui. Sed quoniam tamen meas etiam hallucinationes non prorſus rejicis, iterum ſomnia mea narrare lubet. Mihi nondum quicquam mutandum videri in illo *connivere.* Licet enim forte natura ita comparatum, uti ad talia conniveamus, qui præſertim θεȣ̃ βίαν ejuſmodi hæc putamus: tamen ad graviora id fere facimus. Ego ſanè ſi allegare licet, qui non ſum certe audaciſſimus, ad leviora parum moveor. Jſte vero peſſimus Cæſarum quantum fuit, etiam ad *minima* (ait diſſertè Suetonius) fulgura connivebat: ad majora verò ſi potuiſſet, credo in matris recondidiſſet ſe alvo, non ſublecto ſaltem. Et certe ejuſmodi timorem nimium ad iſtiuſm. vidiſti clarè à Satyrico tribui iis quibus mala conſcientia. Itaque nihil mihi miri videtur, ſi ut mirum retulit in acta Suetonius, quod ille etiam ad minima, quæ quotuſquisque curat, conſtanti vultu oculiſque apertis eſſe non poſſet. De altero mihi N. L. Ceterum ego qui ad particulas ſingulas ſoleo amicis reſpondere ſemper, ſi quidem ſcio, nec me quis ideo acculet facile, inclementer tamen à te audio obxylandrum. Atqui bis ſcripſi, uti te ſaltem nominares, quoſnam libros poſceres à Gul. Antonio, qui diſertè id mihi mandavit. Nam mea parum intererat accederent vel non iſta. Typographus id adeo cupiebat. Tuum itaque jam exponere animi deſiderium: quod ego nunciare illi potero. Facile inter vos conveniet. Lavatero noſtro tuas miſi: ait ſe reſcripturum. Vale & impolitas litteras boni, ut amicus, conſule. Scripſi raptim VII. Kal. Febr.

Tuus *Jungermannus.*

Nobili & CL. V.
MELIORI HAIMINSFELD.
GOLDASTO,
amico meo honorando.
Franckfurt am Mayn

CLXXXVI.

Nobiliſſ. V.

IGnoſce quæſo quod ex utriuſque voto tuis meram humanitatem ſtillantibus non reſponderim. Impediebar, n. negotiis, quibus à reditu

 gene-

generoſi obruor cottidie, morbo quoque cholico, nec occurrebat quicquā dignum te viro litterato. Vana ſunt omnia illa, quæ animos multorum occuparunt, de Generoſo meo Principis dignitate ornato, & impetratis privilegiis Academialib. fusè ſparſa. Hæc tamen certa, quæ ex ore generoſi auritus teſtis ſubjungo; nimirum ipſius Generoſitatem altero ab adventu die à Sac. Cæſ. Majeſtate ad oſculum admiſſam, clementiſſimè per duas horas auditam, Conſiliarii dignitatem oblatam, & in eandem collatam, equo Phalerato donatam, &, quod caput rei eſt, omnia & ſingula, quorum cauſſa Pragam conceſſerit, à Sac. Cæſ. Majeſt. impetrata, & confirmata eſſe. Principis dignitatem non affectavit, nec etiam privilegia Academica: Gymnaſium aperiet, ad normam Herbornenſis; unde illæ exactiones, quibus ſe ruſtici exhauriri conqueruntur. Patria noſtra ſatis pacifica, tumultus quoque Rhætici ſtudio Tigurinorum ſopiti. Sanctgallenſes intelligo ſubodorati neſcio quas inſidias ab Abbate, & Epiſcopo Conſtantienſi ſtructas. Etiā Abbaticellanum negotium recrudeſcit, quod noſtri miſſis legatis adnituntur componere. Plura non habeo, quandoquidem ne à VVaſero quidem noſtro literas acceperim, quem noſti in Canonicum & Profeſſorem Græcum Tiguri nuper electum. Juſſu Generoſi mei jam menſibus aliquot adorno opuſculum Scholaſtico-Theologicum περὶ καταβάσεως εἰς ᾅδου: intelligo ſingularia te de hac materia habere ex manuſcr. & vetuſtiſſ. patribus: quæ ſi abs humanitate tua impetrare poſſem, næ me magno beneficio tibi devinceres. Vale Vir Nobiliſſime & ſi fieri poteſt, nos inviſe, &, quod facis, perpetim mihi patrocinare. Raptim Hanov. 3. Feb. Julian. cIↄ Iↄ cIↄx.

Nobilit. T.
obſervantiſſ.
J. Rodolph. Lavaterus.

Nobiliſſimo & Clariſſ. Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico inprimis
obſervando.

Francoforti.

CLXXXVII.

CLXXXVII.

S. P.

QUod imperaſti, ſtudioſe apud Illuſtriſſimos Principes & in Senatu confeci. Princeps Elector laudavit opus tuum ut in quo operæ pretium feciſſes, & publica commoda promoveris, quæſivit deinde de gente tua, & anne Francofurti adhuc degeres. Reſpondi quod par erat, & tuum ſtudium, deſideriumque Electori obſequendi & inſerviendi, verbis extuli. Collegæ mei te amanter reſalutant, & pronum in te affectum oſtendunt. VVirtembergicum ſcitis ne jam deceſſiſſe, 29 Januarii apoplexia oppreſſum? vix licuit illi pauca verba conjugi proferre, quibus neceſſitatem ſeparationis indicavit: Miniſtri, Medici, Conſiliarii accerſiti, nihil efficere potuerunt. Etiam Ferdinandus Bavariæ Dux deceſſit, relictis Filiis duobus, & totidem ſequioris ſexus ex uxore ſua, ſed filios Eccleſiaſticis beneficiis ditavit.

Poſtquam Archiducum Legati Hagam advenerunt, jam intenti ſumus in eventū huius tractationis, à qua Europæ Libertas pendere quoque videtur. Tu vive valeque & me tibi obnoxium ſcito & cupidum gratiæ referendæ. Heidelberga 5. Febr. anno 1608.

Tuus
omni ſtudio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. Goldaſte,
à Franckfurt.

CLXXXVIII.

S. P.

ATqui ſperabam reſponſum ſuper libello Germanico, quem quidem excuſum Comites valde cupiunt, cenſuram ſuſtinuit, puto, & admiſſus eſt. Typographi Conditiones non moror: Si non quantum petii, det quantum poterit, imo volet, te liberè tranſigente. Tantum ut ad nundinas prodeat in quarto & correctè. In fron-

fronte nullius authoris nomine opus, itaque dele illud durch &c. & ad duo loca illa incluſa ſuppone. Si ubi veſtræ gratum fuiſſet, poterat caput integrum in ejus gratiam & decus inferi, ſed forte alia editione. Hoc interim cures velim. De ſanctitate Principis ſereniſſimi & benigno de te judicio ex Lingelshemio cognoviſti, quod & ego commodis ſermonibus fovere ſoleo. Obiit hiſce diebus unus è conſiliariis D. Schugius, quem locum tibi Lingelshemius vovet, imò detinet. Wirtenbergicus obiit, cui 26. hujus fient exequiæ. Ei ſuadere volebam ut ſecundum Tomum dedicares. Poteris forte jam filio & novo ſucceſſori, de Saxone minus habeo, quod pollicear. Hæc quidem jam raptim, quibus te valere & ſalvere jubeo. Dat. 20. Febr. 1608.

T.

M. Freherus.

Typographus, qui diſtrahat Heimburgiaca felicius, rationem reperi. Mutato titulo, & quibuſdam, quæ habeo, additis, antea ineditis.

Memini in aliquo libello MS. epiſtolam Pii Papæ 2. apud te eſſe quam deſcriptam adhuc expecto. Non eſt illa Pii ad Ducem Venetiarum, ſed alium.

A Monſieur Goldaſt
de Hemmingsfeld
à Francofort.

CLXXXIX.

S. P.

AD binas tuas longe gratiſſimas, unis iſtis reſpondeo. Gratias habeo de deliciis Ratisbonenſibus doctum virum eſſe oportet, quicumque epulas illas condiit ſed periculoſæ plenum opus aleæ videtur, ea libertate uti adverſus illos, quibus tam longæ ſunt manus. Alterum illud percuſſit me, de συλλογῇ tua, fore ut edicto prohibeatur: vix credo auſuros illos, quum Princeps meus, ei opem patronus dilectus ſit. Sed quid non audent illi, qui in omnes cenſuram ſibi ſumunt peſtes pernitiesque litterarum. Frehero tuas

ſtatim

ſtatim ut accepi, domum miſi neſcio an ingenium mutaturus ſit, qui ſibi in procraſtinando tantopere placet. Ego id ago, ut te collegam hic habere poſſimus, & jam fundamenta aliqua jeci, niſi quis tranſverſum incurrat, credo exitum habiturum conatum meum. Schoppium audio Ratisbonam à Papa miſſum explorandi cauſſa, inſtructus certè eſt artibus nocendi; te nolim cum ipſo componi, moleſtiarum plus eſt, quam gloriæ ex hujuſmodi concertatione. In Comitiis quoque plena pugnarum omnia, neutra pars cedere vult, itaque re ad Principes ſuos relata, eorum juſſa ulteriora exſpectant. Interea genio indulgent. Undique nunciatur apparatus belli Pontificis & Hiſpani, & jubentur ſibi cavere Germaniæ Principes. Bavarus militem rurſus conſcribit. Sed hæc Deo commendo. Hoc in Schoppium epigramma credo tibi non diſpliciturum. Vale vir clariſſime, Heidelberga, 26. Febr. 1608.

Tuus
omni ſtudio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſte &c.
à Franckfort.

C X C.

S. Vir Nobiliſſ. & Clariſſ.

Lexicon Hippocrateum remitto, & ago gratias. Plus inſerviat forte mihi in Notis ad Pollucem, quàm ad Herodotum. Remiſiſſem ſtatim quum petebas: Sed cogitavi id tutiſſimè me incluſum in bulgam hoſpitis mei, quam ſeptimanatim accipere ſolet, mittente in ea Dn. Marnio argentum pro operis. Sic antiquam chartam nihil detrimenti accepturam. Ceteris tuis ſines me paullulum adhuc frui. Si tamen intellexerò te requirere, non erit mora. Non mihi licet per occupationum vim illa tam citò excutere. Inveni jam in Stephano (ubi quàm multa ex Herodoto poſſent

 reſtitui:

non loquor de iis locis, quibus alio codice Herodoteo uſus videri poſſit, (ſed de illis qui manifeſto videntur teneri mendacio) locum Cteſiæ in Indice à Xylandro non adnotatū: inveneroq; fortè plures. Scias me Cteſiæ fragmenta ferè altero tanto auctiora daturum quam dederit Stephanus & Schottus hactenus. Complura eorum inveni in Diodoro Siculo, & Tzerze etiam, quem jam nactus ſum. De Xylandreis Notis in Sleidanum noſter Antonius, Si bene eum novi, non ſe præſtabit difficilem. Sed exterruit nos quod ubi vix venimus ad paginam 31. ubi de Polycrate Samio illo infeliciter nimis diu beato, ibi ad oram ab eadem manu, quæ Xylandri prælectiones excepit, eſt: *Huc uſque ex Dn. Xyl.* Ergo reliqua cujuſnam ſunt? Lindenbruchio nondum reſcripſi, & certe ea jam negotiorum moles excrevit, quam profligaturum me recte poſſe ferè deſpero: adeo uti litteras multorum debeo ad nundinas differre. Vale & ſalve, mi Domin. Clariſſ. & amice honorande. Scripſi raptim prid. Bacchanal. anno 1608. T.

Jungermannus.
M. M.

CXCI.

Nobiliſſime V.

Poſteaquam è tuis humaniſſimis, & relatione Jungermanni noſtri, te in collegium Sereniſſimi Electoris Palatini domeſticorum aſcitum fuiſſe intellexiſſem, tibi & mihi ex animo gratulari cœpi. Tibi quidem, quod diurnorum & nocturnorum laborum fructum tam auguſtum honorem percepiſti, & in illam aulam acceſſitus fuiſti, in qua tibi patet campus latiſſimus magis magiſque inclareſcendi, & familiam tuam, quæ per ſe antiquiſſima, & nobiliſſima, ad cœlos evehendi. Mihi verò, quod in ſuprema Electorum aula habeam patronum, qui mihi bene velit, & poſſit. Faxit is à quo dignitates, & honores promanant, ut aula Palatina te Conſiliario, ego te Patrono quàm diutiſſimè, & fœliciſ-
ſimè

ſimè utamur. Gratias quoque ago tibi maximas, pro ſingulari affe-ctu, & benevolentia in me, quam luculenter oſtendiſti, dum ſtudia & conatus meos circa articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos opera tua tam liberaliter oblata, adjutos voluiſti, dabo operam, ut hujus te neque pœnitere, neque pudere unquam poſſit. Quomodo B. Fulgentius hunc articulum interpretetur, quandoquidem ejus ſcripta apud nos haberi non poſſint, mihi notum non eſt, gratum erit de eius explicatione abs te erudiri. Vale Vir nobiliſſime, Dn. & Patrone magne, & Lavaterum tui nominis & commodi cupientiſſ., quod egregie facis, amare perge. Ampliſſ. Dn. Arpoldus Generoſi mei Principis Conciliarius te officioſiſſ. reſalutat. Iterum Vale. Hanov. die biſſex. 5. 1608.

Nobilit. T. obſervantiſſ.
J. R. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
D. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Sereniſſimi Electoris Palatini Conſiliario &c.
Domino & patrono obſervando.
Francofurti.

CXCII.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo

D. MEL. HAIM. GOLDASTO

Gothofredus Jungermannus.

S. P.

QUo te tua virtus vocet, vocarit immo dudum, ex tuis intellexi: & ideo tibi non ſolum gratulor, ſed & litteratis viris, in quibus forte & ego tenuiſſima aliqua pars. Utinam plures tales ſibi adſciſcerent Principes; forte Reſpubl. litteraria haberet melius, Aliàs ipſe pro tua prudentia vides, quam valde quidem philologica ſtudia laudentur, & algeant tamen ſtrenue. Quum tamen inde alicui civitati non tantum (hoc enim verbi addo libens, ſi quid à me dicatur inſipientius) minus ornamenti accedat, quam è magna rabularum aliqua turba. Sed hujus

 loci

loci iſta non ſunt, & ab alio dicantur rectius & melius, aliumque deceant potius quam hominem umbraticum. Gratuler itaque tibi uti dixi: doleo tamen quod iſta proximitas, qua non ita diu uſus ſum in loco & utiliter, ita me rurſum deſtituat. De Hippocratis Lexico res mihi grata erit. Bongarſius mihi per litteras nunciavit, ſe miſſurum ad me proximè Labbæi in Pollucem obſervationes. Sic ſanè meæ Notæ excreſcent. Conſulerem & te libens ſuper quibuſdam, ſed vix quæ in mentem deſubitò incidunt, & ad litterarum tuarum filum reſpondere licet per operas. Pro fragmento Cteſiano ago gratias: Utinam & græcum haberemus. Videbis alias in noſtra editione non contemnendam, partem quæ jam à me acceſſerunt, & quædam quod præfiſcine dicam unde auctorum quidam loci reſtituantur non vulgariter. Ut jam illud operis dabam ex Athenæi l. 12. de Sardanapalo, ubi quædam parentheſi incluſa inſeruit ex MS Caſaubonus, quæ tamen non integra putat, ſcilicet te Sardanapalus τὰ λευκὰ ἐπαναλαβὼν τοῖς ὀφθαλμοῖς quum Arbaces illum ignaviſſ. adiret. Atqui è Polluce facile reſtituas, ἐπαναβαλὼν, & id narrat idem περὶ τοῦ βλέμματος θηλυκοῦ καὶ ἀνάνυρου, de fractis & patrantibus ocellis. Utinam modo eſſet tempus recenſendi? Sed adeo me urgent nundinæ, & operæ, ut omnia tumultuariè nimis peragenda ſint, in mille partes me diſtracto. In vita mea ero memor ne admittam mihi perſuaderi ut talem editionem in tres non plenos menſes adornare ſuſcipiam. Corinthi an poſſint accedere de dialecto Jonica per operas neſcio. Indico jam certo eſſe edita tam Græcè & Latine in Lexico Baſileæ excuſo 1532. quod domi omiſi. De Cteſia iterum ſi aliquid fragmentorum obſervaſti, quod mihi incognitum putas, grata res ſi miſeris: id tamen debet fieri ad minimum intra biduum. Opera enim jam ea inceperunt. Excuſſi autem raptim, hos fere, Strabonem, Pollucem, Harpocrationem. Diod. Siculum, Ælianum, Athenæum, Stephanum, Dionem, Ariſtotelem, Antigonum, Clariſſ. Alexandr. Demetr. Valerian. Dionyſ. Halicarnaſſ.

Tzerzem, Arianum, Athenagoram, Agathiam, Lucianum, Polæum, Plutarchum. Patres Græci mihi nulli aliàs. Forte enim quid ſit in Juſtino Martyre. Certè in Euſebio, quem non habeo tamen. Occupatus es: abutor tamen tua humanitate. Si negaveris, non minus in bonam partem interpretatus fuero. Et id rogo, ſi tibi in promptu tetraſtichon de Herodoto (quod apud Stephanum ἐθνικογράφων quidem extat: ſed non tam integrum, ut ex H. Stephano didici, qui tamen non deſcripſit) ejus Patria ſcilicet & migratione apud Scholiaſtem Ariſtophanis in Nebulis. Noſti nos accepiſſe libellum Hier. Magii de campanis & tintinnabulis ab A. Schotto: Jam a Segetho miſſus & aliis inviſus *de Equuleo tormenti hactenus incognito*, ab ipſo 1573. relicto apud amicum, paucis diebus antequam à Turca ſtrangularetur ille doctiſſ. Vir, quare erubeſcere debeant illi legati, qui vile redemptionis pretium pro eo non exſolverint. Vale, Vir nobil. & Cl. & hanc familiarem, ſubitam & inhibidam ſcriptionem boni conſule: non aliter jam poſſum per negotiorum molem. Ipſa nocte proprid. Kalend. Mart.

Scripſeram hæc heri, & litteræ hîc remanſere. Jam itaque accipe binas pro una, nempe & Lavateri noſtri: ille me monuit, quod ipſe ſcribere oblitum fuiſſe ait, ut ex te quærerem quanti Alemanica illa tua venderentur Francofurti. Sibi enim tum comparare velle. Vale & ſalve denuo.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto
amico meo honorando.

Franckfurt am Mayn.

 CXCIII.

CXCIII.

Joſephus Scaliger
MELCHIORI HAIMINSFELD. GOLDASTO
Suo S.

IN alteris literis, quas ſimul cum his accipies, excidit mihi res, quam in poſtremis ponere non debeo, tantum abeſt, ut oblivione præterire. Habeo in animo ſecundam editionem Euſebii inſtituere, & in ea periodum Victorii Paſchalem edere. Ejus periodi exemplar habeo, ſed multis partibus mutilum, & uſu detritum. Oro te, mi Goldaſte, ut tui mihi copiam facias, & per mercatores, qui ex nundinis revertentur, fac ut quamprimum accipiam. Hoc beneficio non ſolum de nobis, ſed etiam de rep. literaria bene merebere. Si proximis nundinis illud exemplar accepero, autumnalibus illud ut recipias, ſedulò curabo. Vale Kal. Martii Juliani cIↄ Iↄc. IIII.

Ornatiſſ & doctiſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Francofurtum.

CXCIV.

S. P.

FRehero tuas reddidi, & ſimul querelas tuas de ejus procraſtinationibus oſtendi, credo jam ipſum ſcripturum, niſi forte occupationes aulicæ hominem arcent. De Schoppio οὐ φροντίς. Ego deſiderium vix fero Satyræ Menippeæ, quæ Leidæ cuditur, & cuius ſpem mihi fecit Præſes Hippolytus.

Rationes meæ, de te huc pertrahendo, ſufflaminantur aliunde. Idago, ut in Conſiliarium aulicum adſciſcaris, ſalaria ſtata non ſunt aut certa, ſed perſonæ & induſtriæ ratio habetur in eo conſtituendo. Vacat locus hoc tempore, ei te deſtinabam & jam cum collegarum aliquibus locutus eram, ſed intervenit alius conatus, alterius, qui ſi ſucceſſum habet, metuo ut irrita fiat concepta ſpes mea.

Comi-

Comitia putantur irrita quoque futura, & quando neutri alteris ut cedant induci poſſunt, neceſſe eſt ut res proferatur. In Batavia itidem obfirmati utrimque animi ſuper Navigationibus Indicis. Bellum juſtum potius in fida pace. Tu vive, vale & nos ama. Heidelberg. 4. Mart. 1608.

T.
omni ſtudio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſ. de Goldaſte,
à Franckfurt.

CXCV.

Joſephus Scaliger, MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO

Suo S.

QUi factum ſit, quo minus literæ meæ priores ad te pervenerint, non minus miror, quam doleo. Eæ ex Germania ad me remiſſæ ſunt, & aliquot menſes ſepoſitæ à nobis, dum captamus occaſionem illas iterum ad te mittendi: neque profectò illas periiſſe puta, ſed quum ex alteris ædibus in has migraremus, una cum aliis ſcriptis meis locum mutarunt, ut non minor labor quærere ſit, quam deſperatio eas inveniri poſſe. In illis igitur gratias tibi agebam de parænetícis tuis, quod opus valde me oblectavit: atque utinam plura hujuſmodi à te impetrare poſſimus. Quia igitur amiſſione priorum literarum accidit, ne gratias tibi agerem, quas debui, ego iſtis dupliciter tibi eas agere debeo, tàm nomine ejus libri, quem ad me miſeras, quam ejus, quem proximis nundinis autumnalibus à te accepi. Utrumque munus diverſo tempore acceptum eodem tempore me gratias tibi agere poſtulat. Quidam reſpondent Furiæ illi, cui tantum otii ſuperfuerit ad mentiendum, ut omnia portenta veteris memoriæ, & monſtra vicerit. Sed ita eſt ſeculum, ut omnis impunitas maledicendi ſit, de republica autem literaria bene merendi, nulla merces relicta præter eam, quæ à Sycophantis

phantis expectanda eſt. Venimus ad ſummum, mi Goldaſte, ut quicquid operæ in publicum bonum contulimus, ejus nos pœnitere debeat. Certè pro tot vigiliis nihil mihi relictum eſt, præter pœnitentiam vitæ in literis transactæ, quam facilius in otio peragere poteram. Tu verò propterea noli deſpondere animum, quandoquidem cœpiſti ita, ut deſinere honeſte non liceat. Vale Lugduni Batavorum VI. Kalendas poſteriores Martii Juliani cIↃ IↃC VIII.

Eruditiſſ. & ornatiſſimo Viro
Melchiori Haimmsfeldio Goldaſto.
Francofurtum ad Mœnum.

CXCVI.

Salutem.

EX ſilentio tuo diuturno, quo uſus es, Vir nobiliſſ. & eruditiſſime Domine & amice Goldaſte, cognovi, meas ultimas, quas per Limbermannum noſtrum, ad te perferendas volebam, tibi redditas non eſſe. Quod certè doleo vehementer. In iis autem pro egregiis tuis muneribus nundinalibus egeram gratias ingentes, & ſimul ad poſtulata quædam tua reſponderam. Quæ ſi neque dum redditæ, iterum atque iterum gratias tibi ago maximas & immortales. Ceterum à Vinslero vel Wuſtio, aut Orello noſtro, ejus affine, accipies nonnulla, quæ Marcus VVidlerus ad te mittit, fortaſſis non ingrata futura. Ab illo tempore (eheu) amiſimus optimum & præſtantiſſimum Virum, Dn. Stuckium noſtrum, qui placidè obdormivit ad 3. d. Septembris nuperi. Quæ mutatio inde ſequuta, accepiſti jam haud dubiè. Nactus eſt Beumlerus profeſſionem ejus Theologicam, & hujus ego Græcam, ad meam Hebraïcam, ut utriuſque linguæ ſacræ provincia mihi nunc incumbat: cui Utinam Deus prolixe benedicat. De publicis nihil habeo ſcribere. Rhætiæ turbæ nonnihil conquieverunt, capitis ſupplicio affectis Belino & Batelgâ, tragœdiæ actoribus præcipuis, ac mulctatis mulctandis, è quibus ultra quadragies mille coronati extorti fuerunt, qui tamen ne-

que

neque dum ſufficiunt ſumptibus factis. Valeſianis ſunt nunc Halcyonia: itemque Genevenſibus, detectis in vicinâ Sabaudiâ proditionib. nequiſſimis, quas in Ducem moliebantur ejus proprius ſecretarius Roncalius, & ſummus Legatus Albinius: qui ipſe is eſt, qui paucis antè annis, impreſſionem inſtituerat in urbem Genevam per mœnia, ut noſti. Hic meritas nunc pœnas luit, veneno peremtus in carcere. De Comitiis R. in quîs audio maximum conſenſum eſſe Proteſtantium cum noſtrorum, tum Lutheranorum, malo te cognoſcere ex aliis. Pacis tractatio fervet in Belgica. Utinam ne in malum Reip. Chriſtianæ! Lapitharum convivia & Centaurorum noſti immania fuiſſe: ſed longè immaniora, illa ſunt, quæ Lentâ tabe infectos, funeſto mortis genere perimunt: hujus periculum, ut nimium infidis adeò fidentes convivæ illi effugerint, nunquam tamen factum excuſabunt tanto ſuo & Reip. diſcrimine conjunctum. Quid enim aliud exſpectare poterant, quam idem ſibi eventurum, quod tot aliis accidit, ut familiaritatem cum hoſtibus intempeſtivam exitio luerent? quo utinam pacem ab iis non redimant, quibus per dolum & fraudem credulos & bonos viros regnaque integra pervertere luſus jocuſque eſt. Vale, Vir præſtantiſſime, & Nobiliſſime, meque tuo favore ac benevolentiâ proſequi perge. Tiguro. ad 6. d. Mart. 1608.

Tui obſervantiſſ.

Caſp. VVaſerus.

Nobiliſſimo eruditiſſimo Viro
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Philologo celeberrimo, Dn. & amico
meo omni obſervantiâ colendo.

Francoforti vel Heidelbergæ.

CXCVII.

S. P.

Obruis me, tam ſedulus, ne dicam præceps, Actor & Procurator. Mitto ſanè, quod jam vix hac hora è manibus τῦ μαγάλυ δομεσίκυ

γίκῃ reextorſi. Epiſtolam de ejus voluntate ſcripto Teutonico præmittendam, nomine, ut vides ſuppoſito. Quod omnino tibi curæ ſit, ne vel illius vel auctoris mentio tibi apud quemquam præſertim in Typographeio excidat, Exemplaria ipſe accipies, ἀυτογραφὸν & hanc præfationem ad manus tuas recipies; & ages ut in re ſeria accuratè. Coram plura ipſe. Cras enim vel perendie abeo miſſu Principis ad Archi Epiſcopum Moguntinum Aſchaffenburgum, inde ad vos excurſurus. Deo volente. Sed & cras vel inde, mittam præfationem Sulpitii ad Cancellarium noſtrum cum auctario, *Deciſionum Areopagiticarum trias* &c. duobus foliis abſolvendo, hodie enim abſolvam, & certò (ne dubites) transmittam. Cujus enim pluris quam meâ intereſt? Vale interea & ſalve. Coram autem plurima. Dat. raptim inter curas & ſtrepitus Cancellariæ in ipſa. 4. Martii 16c8.

T.

VVetteravius, ſed non Wetterhan *vel VVetter-Gallus.*

Puto (quia non ſatis è tuis colligere poſſum) te meas literas à D. Deublingero vel Wunderero (*i.* θαυμάςω) accepiſſe, cum fragmentis, eaſque ſuis locis inſerta.

A Monſieur
Monſ. Goldaſt de Heimingsfelden &c.
à Franckfurt.

CXCVIII.

S. P.

PRoximè excluſus fui à ſcriptione ad te, pergratum quod ſpem facis, nos conveniendi, nihil mihi optatius, coram licebit de rebus omnibus longè commodius, quam per litteras. Pax in Belgio omnino proceſſura videtur, quando Ordinibus & navigationes Indicæ conceduntur, cum induciis IX. annorum trans Æquatorem. Omnia tribuere ſolent, qui fallere cupiunt. Sed Dns. providebit.

In ſpurcum Schoppium excuditur Leidæ Satyra cujus titulus

lus erit, *Hercules tuam ſidem*, valde commendari illud opus,ſcribit Præſes noſter à Collibus, vix puto fore, ut ad nundinas deferatur. Londino mihi vehementer commendatus liber cui titulus *Triplici nodo triplex cuneus*, Latinè & Gallicè converſus, eum mihi emendum curavi per amicum. Te quoque gnarum facere volui

Paratus ad obſequia tua

Heidelberg. 18. Mart. 1608.

G. M. Lingelsheimius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte,
a Francfort.

CXCIX.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo
D. MEL. HAIM. GOLDASTO
Gothofredus Jungermannus.

S. P. D.

VT tu quidem agis, nobiliſſ. Goldaſte, abuti me facis opera tua. Ita abunde eam mihi præſtas, & ſemper plus quam cupio impetro, & quidem numquam abſque benigniſſ. auctario. Tales nimirum ſunt αἱ τῶν μουσῶν ἄφθονοι θύραι. Sed mehercle ἄνευ προοιμίων me ſcribere debere, ſi quid jam ſcribam, imo planè non ſcribere, jubent meæ operæ. jam enim charta chartam trudit, & vix defertur pagina, quum refertur alia recenſenda ad prelum. Ceterum quod te verbum effugit ſeptum dentium? Principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt, noſti, & tu refugias id ad quod præſertim aptum te norunt, qui norunt. De Cteſia videbis ipſe in nundinis quid præſtiterim, ſi cenſebis modo, ut de tumultuariè conſarcinato opere. Athenago-

ram habeo, & jam inde in fragmentis ediderам quæ è Cteſia de Semiramide in columbam transformata adfert. Novi præclaros locos ibi eſſe ex Herodoto, & quæ illa quæ Herodotus ἔυϛομα κεῖσθαι jubet, illuſtrant. Sed excerpſi quidem, & hoc ſaltem: Notas enim quas meditabar, ne quidem incipere potui. Lavatero itaque tuo nomine obtuli: qui agit gratias ingentes pro libro ſibi inviſo. Quos auctores ego excuſſi in fragmentis colligendis, nuper ſcripſi, in quibus me pauca fugiſſe Spero. Theodoretum habeo: ille nihil tale habet. In Clemente quidem inveni mentionem ſemel. Liber de mundi exitio Maſii Lipſiæ mihi commodatus fuit: Sed tum ejus lectione von valde capiebar: ut qui magis mihi videretur in ſententiis variorum præſertim philoſophorum enumerandis eſſe. Libros Μισοπυγιϛίας numquam vidi, ipſe tamen allegat ſæpius. Comm. in Inſtitutiones Juris non edita indicat ipſe ſuis Adnotationibus in Probum. Ab eo video citari multos alios ipſius libros, quorum paucos editos credo, ut Annotationes in Bucolica, Apophyades, Necrotaphologiam, de antiquorum prandiis & cœnis, de urbium expugnatione, propugnatione, architectura, de machinis, Hortorum libros. De Marnio ita audimus, & credo ea de cauſſa partim hîc eſſe. Si itaque ceſſare velit ab imprimendo, mea opera forte ipſi non amplius uſus. Ego tamen bis jam conditiones publicas repudiavi oblatas. Quid ergo tibi videtur? valde vellet ut ego recenſerem Grammaticos Putſchianos & Notas adderem. Tædioſum laborem video, & non pauxilli temporis, nondumque recipio, licet ſæpius tentavit. Locus Marcellini mihi ſuſpectus eſt, ne ibi pro Cteſias legendum Tiſias vel alicujus oratoris nomen, de quo apud Quintilianum quid legiſſe recordor. Quid enim Cteſias inter rhetores agat? Gelliana heri dedi meis operis & quidem principium capitis: & quæ paullo poſt medium è Cteſia excerpta partim vero ſimile, partim certum eſt. Illa ex Apollonio, Antigono, παραδοξολόγοις, ut & Solone quoque jam conſcripſi: Tibi magna & max. gratia tamen qui talem meâ cauſſa operam ſumſi-

ſti

ſti. Sunt quædam de quibus tuum judicium audirem libens; ſed non vacat, ita occupatus ſum. Ne litterulam adhuc pinxi in epiſtola dedicatoria, & altera ad lectorem, ne quid de iis dicam quæ Herodoto προλεγομένων loco præfigenda, quæ adhuc jacent confuſa indigeſtaque moles. De Olynthio Herodoto mihi non liquet. Varios aliàs auctores allegat ille Tatianus: ſed raptim percurrendo Cteſiam nominari non vidi. Remitto aliquot libros cum max. gratiarum actione nempe Arriani utrumque librum, & Ariſtophanem cum Periegete, Stephano, Euſebio, Hephæſtione, uſus adhuc eſſe poteſt, ſi tibi commodum. Vale, Nobil. & Clariſſ. (en quaſi omen illud Ampliſſ. ſcripſerat calamus me non attendente:) quali ut te titulo mox audacter ſalutem, Deus cum tuo bono & rei litterariæ etiam velit. Vale denuo. raptim 6. Mart. Hanoviæ è Typographia.

V. Nob. & CL.

DN. MELIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, Dn. & Amico honorando.

Francfort.

CC.

S. P. D. Bonus iſte Vir, cui à tribus ſtudioſis magna pecuniæ ſumma ad 500. fl. interverſa eſt, à cive quodam veſtrate Belga N. Mignon filii ejus nomine, partem quæ ad illum pervenit, repetit; quam ille ſolvere per Dn. Du Bois Eccleſiaſtem recepit, ut filium periculo liberaret. Habet igitur ad illum literas, ſed & ad Magiſtratum veſtrum, ut pluribus ex ipſo intelliges, quem ideo ad te dirigo & commendo, ut quà apud Boiſium, quà ipſum Magiſtratum (ſi opus) auctoritate, conſilio, advocatione juves, ut ſine mora ſuum recipiat: & ipſe pater rem celeri compoſitione tegat, ſopiatque. Fac itaque in noſtram (i. D. Lingelshemii, meamque) gratiam, quod poteris, & crede te rem nobis pergratam facturum. Adventum huc

ſuum ipſe quem dico Lingelshemio pariter mecum cum deſiderio exſpectat. Multa equidem in Schedis meis reperio, quæ uſui tuo operi fore puto, & mitterem, niſi ipſum coram accipere mallem. Sed nec iſtum onerare debui. Exemplaria 40. de Wetteravia, mittes Dilleburgum vel Sigenam ad Comitem, primâ & tutâ occaſione (quam forte apud D. Johan. de Glauburgo expiſcaberis: qui Conſiliarius Comitis von hauß auß/& hoſpitio excipit Naſſovios tempore nundinarum) affixa hác epiſtolâ. Portorium ibidem perſolvetur. Reliqua mihi, unum tibi ſervabis, unum Glauburgio meo unum Burge-Magiſtro. Sed & 60. Sulpitios expecto. Treverenſe quoque Chronicon ſuadeo afferas. Et vale optime. Dab. raptim Heidelberg 7. April. 1608.

T. quem noſti

Freherus.

Dem Edlen und Ehrenveſten/
Hn. Melchior Goldaſt von Heimingsfeld/ ꝛc.
Meinem günſtigen vertrauten lieben Freund.

Franckfurt

Hinter dem Carmeliter Cloſter/ neben
dem Naſſauiſchen Hof zu erfragen.

C C I.

S. P.

Litteras tuas rectè accepi, ac Decano Theologicæ facultatis Dn. Quirino Reutero ſtatim tradidi, ac negotium commendavi, is ſpoſpondit fore, ut brevi reſponſum habeatis Audio Eglinum auctorem eſſe bujus inſimulationis, & illi Santgallenſi injuriam fieri, qui theſib. Marpurgi publicatis ſatis calumniam illam redarguerit. Sed vos hæc rectius ex ipſis Theologis cognoſcetis. Ego ſcire te volui, rectè tuas ad me perveniſſe, & officium me præſtitiſſe, ne ſollicitus eſſes. Belgica pax in ſuſpenſo adhuc dum monachus ab Hiſpano ferat conſenſum in novennes inducias trans Tropicum Cancri, qua de re dubitare ſe Richardotus non diſſimulavit. Ratisbonæ quoque nihil agitur.

Schoppius

Schoppius factus eſt præco indulgentiarum, idque typis vulgavit, quod credo vobis itidem viſum. Tu vale & nos ama. Heidelbergæ. 8. Apr. 1608.

T.
omni ſtudio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſte &c.
à Franckfort.

CCII.
Nobiliſsime V.

S. Quem Francofurti in cœnobio Carmelitarum præteritis nundinis ter quaterve ſed fruſtra quæſieram, eundem ut hiſce meis elinguibus (audacter nimis) compellarem, cogit me neceſſitas, quam Generoſus meus cauſſatur. Moveor, quin jubeor, ut opuſculum περὶ καταβάσεως cœptum abſolvam, communicatumque & approbatum à Generoſo & conſiliariis, typis divulgem. Onus profectò arduum, præſertim in tanta varietate ſententiarum, & impar meis humeris, qui ne Theologiam primis labris deguſtavi, tantum abeſt, ut patrum ſententias, & judicia uaria de hoc articulo legerim. Rogavi ante hoc tempus DD. Paræum, Eglinum, Genium, Vorſtium, Timplerum, Waſerum, & plures alios, ut me in hiſce & aliis inexercitatum juvarent, quod pro benevolentia, qua me proſequuntur viriliter præſtiterunt. Sed diſparitas judiciorum tantum abeſt, ut me ex ſpinis intricatiſſimis explicarit, ut maximè implicarit, dubiumq; & hæſitantem reddiderit. Tandem vero cum in libris tuis Alemannicis, & rationali è vetuſtiſſimis autoribus quædam doctè obſervata animadvertiſſem, atque hanc ob cauſſam tuam quoq; opem imploraſſem, pro ſingulari tua humanitate & benevolentia & tu omnẽ tuam operã liberaliſſimè mihi addixiſti, negotiis tu. graviorib. tum temporis præpeditus, moram aliquantulum poſtulaſti. Illa itaq; benevolentia & humanitate fretus, vir nobiliſſ. ſupplex te iterum compello, & pro jure amicitiæ noſtræ, ignoſce quæſo amori, doctiſſ. tuas hac de re meditationes exigo; ego tale beneficium non ſolum

ſolum grato animo, ſed reipſa nullibi non demereri ſtudebo: Vale Vir nobiliſſ. & quandoquidem Hanoviam noſtram nondum videris, fac quæſo in illa, & quidem in meis ædib. amicum te præſentem videamque. Iterum vale & ſalve

Hanov. Kalend. Maj. Gregor.

Abs
Nobilitat. T.
obſervantiſſ.
J. Rodolph. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. Viro
MELIORI HAIMINSFELD.
GOLDASTO,
Domino & patrono meo magno,
Francofurti.

CCIII.

S. P.

HOmo proponit &c. Quid multis? abſolvere, quæ ceperam, non licuit per molem & turbinem herilium & gravium negotiorum, quæ me toto hoc octiduo exercuerunt, oppreſſerunt, ut vix reſpirandi tempus habeam. Adeo noſtri juris non ſumus, qui magnatibus operam navamus. Et vix me expedio, ut ad Legationem Moguntinam, de qua ſcripſi, tandem proficiſcar. Quæ tamen ante nundinas confici deſiderabat. Patientia! Quid facto opus in Sulpitio? res eſt pauculorum foliorum, quam differendam cenſeo, ut deciſionem Areopagiticarum, Decas (ita excrevit opus) non jam accedat, ſed præcedat: ita lenocinium libello factum majus, ut fiat vendibilior. Et hæc excudentur ſtatim à nundinis cum præfatione ad quem dixi, cui & coram promiſi. Affero & alia varia mecum, inter Typographos diſtribuenda. Affero, quia ſpero, cras vel perendie iter ingredi, & ſalutato Archi-Præſule, recta ad vos excurrere. Interea vale & ſalve à

II. Martii 1608. T.

Frebero.

Vole-

Volebat ὁ μέγας δομέστικος Comitibus Wetteraviis etiam 4. illas civitates addi Franc. Fridberg Wezlar. Gelnhauſen. Sed credo rem non eſſe integram. Pergant modo. Ad alteram forte editionem, & hæc & alia addi poterunt.

A Monſieur
Monſ. Goldaſt de Heimingsfelden &c.
à Franckfurt.

CCIV.

S. P.

AT tu non audito conſilio meo abis, & iſtam etiam perbellam, & gratuitam occaſionem Domini Deteni Secretarii, qui ad Senatum veſtrum mittitur, curru proprio, minus commodâ permutas? vel hinc diſce, non aſpernabile ſemper amici conſilium eſſe, deinceps morigeribilior. Reperi inter reculas illam inſuper Caroli IV ſententiam, collectioni tuæ non alienam. Wenceslai Exautorationem deſcriptam ad te curabo. Remitto Gillinum, cujus notum nomen, quod nuper obiter dicere videbare, Scire etiamnum aveo. Sed & auriculam vello, de promiſſis, his niſi fallor.

1. Index ad Vadiani Alemanica.
2. Effigies Sculpta { Gobleri. / Egenolphi. }
3. Oreſmii Epiſcopi Epiſtola, ad Schismatica.
4. Epiſtolæ Lipſii MS. quas cum meis coagmentatas tibi remittam dandas tuo arbitrio eidem Typographo qui Orationes excudit.
5. Hugonis von Trimberg MS. cujus pretium libentiſſime mittam, ut & Florenum pro compactura Speculi Sax.
6. Balduini operum Syllabum, ut videam ſi quid præterea ſuppeditare poſſim.

In Ennodio ſi laborare voles, ſcito plurima ad eum qua emendandum, qua illuſtrandum, optima eſſe adnotata à Fr. Jureto in Symachum,

Cuperem & Proteſtationem illam Heſſi & Saxonis contra Proceſſus Imper. & Cameræ in 4to excuſ. ad me redire, Tomo meo Carolino V, cum aliis ejus argumenti quam plurimis inſerendam. Mittam in vicem plura alia, tibi longe aptiora.

Monſr. Goldaſt de Heimingsfeld.

Francfort.
Im Carmeliter Cloſter zu erfragen.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

CCVI.

S. P.

ECce generoſos Dominos Fiolejos cum præfecto ſuo D. Salomone Neugebauer, viro mihi à multis annis familiariter noto & comperto, qui te alloquetur. Eſt ei aliquid cum Bryanis liticulæ, ut intelliges: neque injuriâ repoſcere ſuum Exemplar videtur, ſive illi non poſſint ſeu nolint excudere. Juva quæſo ut ſuum recipiat authoritate & tuâ & Burgimagiſtri tui Priorisque & meâ interpoſita, ne ad Magiſtratum ſit eundum. Quin & iniri rationem poſſe puto, qua liber ipſe excudatur & diſtrahatur, extra Francofurtum. Tu diſpice & quod potes, huic viro gratificare. Mittam propediem Deciſ. Areopagiticarum Decada, Brianis excudendam & cum Sulpitio jungendam Titulum huius cum loco Tullii aſſcripto ſerves velim, erit adhuc uſui. Wilhelmi Imperat. iſtud reperio. Scribe an editio Tomi tui procedat. Et modo vale. Dat. raptim 4. Julii 1608.

T.

Freherus.

Nobiliſſimo & Ornatiſſimo
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto, &c.
amico ſingulari.

Franckfurt
Im Carmeliter Cloſter.

CCVII.

VOlui aliquotiens coram te inviſere, nobiliſſ. & ampliſſ. V. patrone magne, ſed morbo quo jam per menſem ferè decubui præpeditus, & quod tui ad nos adventus neſcio quam ſpem faciebat Jungermannus, in aliud tempus rejicere cogor. Interim tamen cum reconvaleſcere per Dei gratiam incipiam, & ad complendum meum περί καταβάσεως opuſculum cottidie urgear, dieque ab hinc quarto Auguſtâ ex Bibliotheca Hainzeliana Manuſcripta de hoc articulo olim inter Auguſtanos Theologos, & Jacob. Andream, Brentiumque controverſo, quam plurima acceperim, promiſſum tuum ex benevolo meique cupientiſſ. animo perfectum officiose in memoriam tibi revocare volui, obnixè & obſervanter precatus, ut quæ hinc inde ex perpetua omnium authorum lectione obſervata in adverſaria tua conjeciſti, benignè mihi homini tui obſervantiſſimo communicare non dedigneris: obſtringes tibi beneficio tanto hominem gratum qui & gratiam habebit, & referet tuo merito. Vale Vir nobiliſſime & meus patronus eſſe perge. Raptiſſ. Hanov. ipſis Kal. Auguſt. Julian. cIɔ Iɔ. CVIII.

Ampliſſ.

T.

obſervantiſſ.

Jo. Rod. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Domino & patrono meo magno.

Franckfurt.
Im dem Carmeliter Cloſter zuerfragen.

CCVIII.

CCVIII.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo
MELCHIORI HEIMINSFELDIO GOLDASTO,
Gothofredus Jungermannus,
S. P. D.

TAcito fortaſſis convitio, Vir amice, me jamdudum verberas, qui hactenus tuos libros apud me ſervo, nec à nundinis ad te ſcripſi quidquam, quibus ſaltem quærerem an illis opus haberes. Sed ego mehercle fui omni die, antiquo verbo, Bitienſis, ad vos exſpatiari cogitans ipſe, tibique reportare tuum Euſebium volueram. Id tamen vix jam fiet ante ferias Pentecoſtes: librum tamen cum occaſione remittam priùs. Stephano τῷ ἐθνικογράφῳ, ſi absque tuo incommodo liceat, ſine me uti amplius paullum, ut & Hephæſtione: Sed illo præſertim velim. Audeo jam & aliud abs te petere, ſi mihi operam dare poteris: operam libenter redditurus, ſi forte ibi uti voles. Ariſtophaneo Scholiaſte magis ac magis me indigere in Notis ad Pollucem, quas pertexam σὺν θεῷ illasque jam verſo iterum manibus, video. Certum enim ex illius lectione multa loca in onomaſtico iſto reſtitui poſſe, vel lectionem MS. confirmari. Tuum vero tibi reddidi, ut noſti: & credo, me iterum quæ tua humanitas uti poſſe. Sed heus quid velim. Valde cupio novam editionem, quæ in Genevenſi officina Vignoniana diſtrahitur, nuper edita. Eam mihi comparare in nundinis, peſſimè oblitus fui: ajebant vendi tribus flor. Noſter verò, noſti credo, Genev. infenſos habet, nec per illum poſſim vel velim jam petere. Si itaque tibi ocioſè licebit ab agentibus in illorum Bibliop. rebus iſtam editionē mihi impetrare, rem longe præſtabis gratiſſimam. Si tn. mihi negaveris hanc operā, te non ideo non rectè feciſſe putabo, ut qui noſtram impudentiam jure posſis confundere: ſed audebo tn. tũ tuam editionem petere. Sin tn. illud fieri poterit, precium à me absque mora recipies: vel alium librum τοῦ αὐτοῦ τιμήματος, ſi quis modo inter eos qui hic excuſi à me poſſidetur, qui tibi adlubeſcat. Harpocrationis codicem Fr. Pithœi tandem me impetraſſe audio & gaudeo: de eo ſcribam, cujus notæ, ſi accepero, quod brevi fore mihi à Bongarſio nunciatum. Satyra Menippœa in Schoppium jam editam audio: ego tamen nullus vidi adhuc. Sed habeſne tu

cur te in voluas privatus, & iſtorum odia in te trahas, nihil video cauſſæ. Nec ſatis aſſequor, quomodo Heidelbergæ fuiſſe per dies aliquot, tanta te invidia onerare potuerit. En tibi libellum feſtiviſſimum, putabam miſiſſe dudum, ſed ita fit minus ſolertibus & indiligentibus, ut confectum exiſtiment, quod animo voluerant. Vale Vir præſtantiſſime. Heidelbergæ. 5. Auguſt. 1608.

T.
omni ſtudio & amore
G. M. Lingelsheimius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.
à Francfurt.

CCX.

V. Nobili & Clariſſ.
MELCHIORI HAIMINSFELD. GOLDASTO
Gothofredus Jungermannus.

S. P. D.

Libellum græcum, quem poſcebas, cum literis Lavateri noſtri recte ad te perveniſſe jam puto. Nudius tertius fuit, quum illa miſimus. Cogitabam addere & meas litteras: ceterum per occupationes ſcribere non licebat. Nec utar multa excuſatione apud vos, qui illas non ignoratis. Ego ſanè miris diſtrahor modis, nec poſſum, ut jubes, in tædio alienorum laborum valetudinem propriam curare, cujus jacturam aliquando immaniter vereor. Jam remitto tuum Apuleium, & ago gratias. Absque eo fuiſſet, corrupti manſiſſent quidam loci in Gentilis noſtri, qui jam eduntur, Commentariis in Apuleianam Apologiam. Æſchylo nondum uſus ſum: nec enim Notas illas meas in Pollucem cœpi adhuc. Lipſii operib. careo, ex quib. libens etiam corrogaſſem, ſi quid in hunc auctorem

rem illi adnotatum fuit. Sed careo ſanè & aliis quibusd. criticis: nec hic ex Bibliothecæ ad manus, quæ Heidelbergæ mihi ἄφθονοι, ὡς μουσῶν θύραι, patebant. Quæſo diligenter inquire, an Oribaſii collectanea umquam Græcè edita fuerint: & quantum eorum fuerit editum. Nec plura jam addidero, quam illud quo ſemper claudatur epiſtola verbo, Vale: Ipſis Non. Jun. e typographeio Wecheliano.

CCXI.

S. P.

QUo iſta iniquanimitas? quæ iſta μεμψιμοιρία? Et in amicos, Parcius iſta. Nil addo. Ad rem. De Typographo reperto, eoque grato, gratulor. Locum qui præſcribatur, reperiemus. Ambergenſis iſte Forſterus mirabilis eſt, neque de eo habeo quid promittere. Neoſtadianus vero Schrammius, Vir probus & integer, & mihi (ut puto) tractabilis, ſi hominem videre & alloqui detur, prælum aut tranſtulit Manhemium, locum ipſa novitate commendabilem. Is non refragabitur, credo, ſi vel leve quid recognitionis offeratur. Imò nec ſi illud interpoſita ſaltem authoritate D. Gernandi, qui rerum jam ibi potitur. Ad eum per hanc poſtam aliquid hac de reſcribas & mihi mittas, moneo: curabo vel ipſe tradam. Et omnino factam tibi hanc rem puto. Et ſi cætera inter te & Typographum conveniant, hoc quidem vel meo periculo recipere poteris.

Synodus Pariſienſis de Imaginib. quam edidit apud Wechelianos Bongarſius, libello ſingulari refutatur per Bellarminum in poſteriorib. ejus ſcriptis Coloniæ editis. Reſpondere aliquid nugatori, operæ pretium foret. Utinam Anaſtaſii Bibl. ſcriptum de VII. Synodo Conſtantiop. haberemus, cujus Pithœus & alii meminerunt. Alias plura ubi ad meas præcedentes de variis reſponderis.

Ubi

Ubi Hugo de Trimberg ? & alia &c. Vale & ſalve dab. raptim 5. Aug. 1608.

T.

Freherus.

A Monſieur
Monſr. Goldaſt &c.
Francfort.

CCXII.

S. P.

EN tibi decretum, quo conceditur facultas edendi συλλογέν tuam: ſi quid requiris amplius, præſtabitur quoque. En quoque Satiram, quam neſcio cur nuper non adjecerim aliis. Negligentia hæc ferenda eſt in amicis, aliter ratio non conſtat. Brevi altero tanto auctam habebimus, una cum Apologia Scaligeri, qua Burdoniana fabula refutatur. Quod nunciem, aliud hoc tempore nihil eſt, & avocor aliis, conſtans in te amando. Vale ornatiſſime Domine. Heidelb. 12. Aug. 1608.

T.

Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſte &c.
a Franckfort.

CCXIII.

S. P.

QUam verò gratiam habere ſatis dignam tuo beneficio poſſum, Nobiliſſ. & Ampliſſ. Vir, quam redhoſtire unquam? Uno verbo: & animam tibi debeo. Magno profectò me tibi beneficio devinxiſti, quod poſteritas olim loquetur anus. Legi doctiſſ. tuas meditationes, bone Deus, quam ſolidæ, quàm nervoſæ! Et me jam in tuam ſententiam pellicerent, ſi non levitatis ferulam ſubvererer. Semper ego hactenus in illa hæreſi fui deſcendere ad inferos, & ſepeliri pro uno & eod. ſumi. Quod cum à ſcopo, & à phraſi alienum

Kk ducas,

ducas, dabo operam ut intra biduum vel ipſus te compellem, dubiaque quæ me adhuc in via cognitionis exactioris remorantur, tibi aperiam, aut ſaltem, ſi tibi non moleſtum, ſcripto comprehenſa ad te mittam. Totus enim abs judicio tuo dependeo. Quarum verò litterarum mentionem facis, malum, non accepi, imò ne vidi quidem. Interim gratiſſimam tuam dedicationem Illuſtriſſimo meo futuram certò confidas, & quod primas Conſiliariorum nefas ducat aliter ſentire; Et quod ejus Celſitudo tua ſcripta legit, aliiſque ſummopere commendavit. Faxo & ego apud DD. Conſiliarios, & ſi ita ſeſe offerat occaſio, apud Illuſtriſſimum, ut vino vendibili præfigam hæderam. Vale Patrone magne, & meis officiis ubi & quando voles utere, abutere. Raptiſſ. Hannoviа 12. Auguſt. Juliani clↄ Iↄ cviii.

Nobil. ampl. T.

obſervantiſſ.

J. R. Lavaterus,

Nobiliſſimo & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Goldaſto von *Heiminsfeld, &c.*
Dn. & Patrono meo magno.
Franckfurt.
Im Carmeliter Cloſter zu erfragen.

CCXIV.

S. P.

VIr clariſſime Remitto Perronii relationem, & gratias pro communicatione habeo, continet quædam ſingularia, & puto rem ita geſtam, idque eventus propemodum evincit. Difficile eſt mihi, conſilium tibi dare, ſuper eo quod à Moguntino tibi offertur. Videntur vinculis te irretire velle, & omni libertate ſpoliare, quæ non bene pro toto venditur auro. Niſi extrema te adigat neceſſitas: cetera omnia te abſterrere debent, uti facile ipſe tibi repræſentare potes. Utinam meæ eſſet opis, apud nos locum potiorem tibi præſtare: ſed tu virtute tua te involue, & Deum reſpice, qui ſuos ſibi fidentes non deſerit, quamvis adverſa quædam intercurrant. Sed quum ſpem aliunde tibi facere & oſtentare nequeam: durus ſim, ſi diſſuadere coner, ad quæ te trahit

ipſa

ipſa neceſſitas. Bongarſius optimus nos convictu unius diei beavit, Baſileam ſe abditurus. Eo fine miſi tibi Satyram in Schoppium, ut tibi ſervares, auctam altero tanta cum acceſione Apologiæ brevi habebimus, & haud dubie in ipſis nundinis. Vive valeque, Clariſſime Goldaſte. Heidelb. XIX. Aug. 1608.

T.
omni officio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.

à Francfort.

CCXV.

S. Gratias vero ingentes tibi ago. V. nobiliſſ. pro tuo benevolo affectu, qui eluxit è tua præſentia ſanè mihi gratiſſima. Utinam vero poſſem, aut potuiſſem in te conferre, quæ & virtus, & beneficia tua quibus me cumulâſti, merebantur. Dabo operam ut alia vice ſtudia mea magis, magiſque tibi probem. Interim hodie incidit mihi aliquid, de quo monendus videbare. Neſcio, ſeu verius, dubito, an conſultum ſit præfationi ad Illuſtriſſ. meum inſerere verba hæc; Celſit. ejus ſcripta tua probâſſe, & aliis ex ſuis Domeſticis diligenter comendâſſe; (ſi enim recte memini hic, eſt ſenſus verborum tuorum) anſam dubitandi præbet mihi exemplum Kekermanni, qui hanc ob Cauſam à Landgravio ſumopere reprehenſus fuit, & quod Viri magni nolint judicia ſua de reb. aut ſcriptis aliorum publicata, præſertim cum uni aut alteri conſiliariorum hæc privatim & ſecretò dixerit. Inaudiviſſe tamen te tua ſcripta ab ejus celſit. Lecta, & prolata, inſeri ſine periculo poteſt, &c. Suæ non ſcribo, ut te quid faciendum omittendum vemonere velim, abſit hoc à me, ſed ut videas me ita tuum eſſe, ut ſententiam meam apud te Viro mihi venerando aperire nefas non ducam. Interim

quid

quid factu opus ſi tu ipſe diſpicies, & æternum valebis. Vale vir nobiliſſ. & mihi quod egregiè facis perpetim quæſo fave. Raptiſſime Hanov. XXXI. Auguſt. Jul 1608.

Nobiliſſ. Ampliſſ. T.
obſervantiſſ.
J. Rodolph. Lavaterus

Nobiliſſimo & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Goldaſto von *Haiminsfeld*,
Jur. Conſul. celeberrimo &c.
Dn. & Patrono meo magno.

Franckfurt
In dem Carmeliter Cloſter.

CCXVI.

Joſephus Scaliger
D. MEL. HAIM. GOLDASTO

S. Accepi quidem *Victorium*, ſed abacum ejus, non periodum quam petebam. Periodus illa nihil aliud eſt, quam Paſchale à duobus Geminis, ad Theodoſii junioris ſæculum. Singulis annis appoſiti erant Conſules Romani. Cujacius habebat inſigne exemplar, & vetuſtisſimum, majuſculis literis. Noſtrum multis Conſulum paribus mutilum & per negligentiam librarii. Pars enim uſu & vetuſtate detrita. Remittam tibi *Abacum* tuum, quem edere debes. Sed cave quicquam de *Antichriſto*, *Petronio & Nerone*. Nihil inde expecta præter ludibrium à naſutis, calumniam ab invidis. Studioſus ſum exiſtimationis tuæ. Cave quicquam faxis te indignum. Vale. Lugduni Batavorum prid. Eid. Julii Juliani clↄ Iↄc VIII.

Ornatiſſ. & Eruditiſſimo Viro
D. Melchiori Heminsfeldio Goldaſto,

Heydelbergam.

CCXVII.

CCXVII.

S. P.

Litteras tuas cum Inſulani Carmine, & excerptis ex Pont. nuncii litteris rectè accepi, gratiasque habeo Carmen antea communicarat Seghetus noſter, & Groslotius tam ſpectatæ eſt pietatis, ut minimè mihi ſit credibile vacillaſſe eum in re religionis. Te adhuc agitari doleo, & ſpero obuenturam aliquando quietem, tu fac rectum clavum teneas, Diſſuadere Moguntiaca non poſſum, quum meliora oſtendere nequeam. Mihi tamen ſervitus illa abominabilis videtur, qua ſeſe induunt, quicumque eo loci degunt, ubi Loiolitæ dominantur. Pateſcunt jam fraudes Mauræ, nec ulla ſpes fallendi porrò Batavos, ſpecie pacis itaque infida illa negotiatio abrumpebatur, niſi Gallici Oratores de longis induciis ſermones injeciſſent, nihil exitioſius Ordinib. eſſe exiſtimo quam ſi prætextu induciarum armis exuantur. Toletanus moras Lutetiæ nectere pergit. Dilectus trans Rhenum Kal. Sept. habebitur, aderunt Electori, Anhaltini fratres cum conjugibus & Comitum magna caterva. Tu vive lætus & æquum tibi animum para. Si voles poterit Manhemii excudi Collectio tua, nam ibi Schrammius officinam inſtituit. Vale iterum Heidelb. 26. Aug. 1608.

T. ſincera fide

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.
à Francfurt.

CCXVIII.

Guillimannus Goldaſto,

S. S.

Quo tuæ longiores, eo cariores. *Conſtitutiones* avidè percurri, uti & Notas tuas. Atque utinam Conſilii tui ab initio particeps fuiſſem, multa alia Impp. reſcripta & decreta ſuppeditare potuiſſem augendo volumini & confirmando. In Notis fatear neceſſe eſſe, paullo tu in *Baronium* viſus es acerbior. Non quod in ejus annalibus multa non

non ſint quæ inprobem, alia quæ etiam falſa ſciam, ſed poterat aliquid ejus & dignitati & canitiei, addo & eruditioni, quæ tamen haut quaquam tanta eſt, quanta habetur vulgo, concedi atque condonari poſtremo illum veluti inſultandi modum, moremque inter doctos, & literarum humanâ conſuetudine emollitos nunquam probare potui. Teſtis eſt ipſe mihi Puteanus. Nam quod te errare cum vetuſtis Patribus mavis, quàm vera ſentire cum poſterioribus quibuſdam, rectè & mecum facis. Atque utinam non quoſdam tantum è poſterioribus improbares, quàm illos omnino omnes, qui à Patrum veterum mente & veſtigio diſcedentes in alia omnia abierunt, dumque præ ſuo ſenſu nil veteres ſenſiſſe judicarunt, quamplurimos novarum rerum lubidine pariter ſecum in præceps abripuerunt. Rectiſſimè enim pronuntiavit ille, qui rectè ſentire dixit DEI, non hominis, donum eſſe. Et quo meus in te major eſt amor, eo ad plures tua velim ſcripta pervenire. Hoc modo, ſicuti & Allemannica adjectione Vadiani illis aditum ad plurimas regiones video intercludi. Moderare igitur quæſo te, *mi Goldaſte*, animo, ſtiloque, & poſteritati quoque tuæ conſule, quæ aliter forte quam modo reris interpretari tua & accipere poterit. Miræ viciſſitudines ſunt rerum, & fortean erit, ut quæ modo arrident, improbes tu quoque & condemnes. Hæc ego tecum ſincerè, & ut amicum decet. Sed ad noſtra litteraria ut veniam, quando dabis de re Nummaria veterum Germanorum, memini te promiſiſſe. Libera fidem. Nam quod te editurum in iiſdem Notis ad Conſtitutiones ſcribis, veteres Germaniæ ſcriptores quorum aliquam multos mihi ſanè inviſos & incognitos citas, noli quærere quam velim. Ne diutius igitur ſuſpende & bene mereri de republ. literaria de Gente & Natione Germanica, cujus Imperii majeſtatem tueri tam es fortiter aggreſſus, proporró perge. Hanc enim operam valde probo. Quid enim indignius quam in tenebris jacere eos, per quos tantam nos lucem fœneramur. Si, quod ſpero, proximâ æſtate fuerit proficiſcendi ad S. Gallum copia aliquid boni inde quoque

eruemus

eruemus, niſi, uti ſolent, inviderint Monachi. D. Piſtorius tibi ſalutem adſcribere juſſit, & ſcripturus etiam erat, ſed lecto jam per plures dies decumbit, aut hebdomadas potius. De Puteano nihilne audis? aut legis? Mirum tam diu hominem tacere poſſe. Tuas avide expecto, & quid novi nobis propinaris, aut mediteris. Vale Vir Clar. & mutuum amare perge. Friburgi 1608.

Viro Clariſſ.
Dn. Melchiori *Heimmsfeldio Goldaſto,*
Domino ſuo & amico,

Francofurti.

CCXIX.

SAlutem & proſperitatem cum omni benevolentiæ & gratitudinis oblatione, &c. Vidimus & cum voluptate legimus, Clariſſime Haiminsfeldi Hodœporicum Ruthenicum Nobilis Jacobi noſtri, quod proxima hyeme in Lucem miſiſti. Latuit illud (ut & alia plurima documenta, poſteritatis memoria longè digniſſima hactenus apud noſtrates, nec curæ vel cordi cuiquam illud è tenebris vindicare. Tibi itaque & nobis gratulamur, quod vivant & vigeant iſthic [illegible]a ingenia, quæ nontantum ſuæ patriæ; ſed & aliarum gentium laudes & præconia conſervare & ad poſteritatem transmittere non graventur. Rectè facis, qui quavis occaſione Reipublicæ prodeſſe nunquam deſinas. Et quoniam ſtudiorum aliquot horas ac lucubrationum tuarum aliquam partem nobis & nominis Danici celebritati impendere dignatus. Patriæ totius nomine, gratias agimus quas poſſumus maximas & immortales. Nominis ac Reverentiæ veſtræ dignitas apud nos ſit honorifica, ac perpetua, ſique aliquo gratitudinis officio, hæcce demereri unquam liceat; benevolos ac addictisſimos ſemper experiere. Et quoniã de *Jacobi hujus familia* & ceteris vitæ conditionib. T. P. parum conſtitiſſe intelligo. De ſingulis ſic accipe: Erat is præclariſſimo loco, plendidiſſ. natalibus, ex generoſiſſ. *Ulfeldorum* proſapia Ortus, Dn. de Ulbteldtzhelm & Selſovia, heros

Eru.

Eruditione, divitiis, authoritate maximus Regni Danici Senator Ampliſſ. Se & Graviſſ. Legationis hujus Ruthenicæ negotia (in quibus non requiſito Regis ac procerum conſenſu, pro ſua authoritate, quaſi in Reipublicæ noſtræ detrimentum cum Morhonio Principe quædam conſtituiſſet) maximis illum moleſtiis implicarunt; Ut Regiæ Majeſtatis gratiâ & Senatoriæ dignitatis faſtigio extulerit. Vivunt & florent hodie ſummâ in eminentia filii ejus Magnus & Jacobus, quorum ille Regni feudo gaudet; hic inter Regni Sœnatores fulget, & Elapſam pene æſtatem Regis ac Regni nomine in reconciliandis Hiſpanicis ac Belgicis motibus Hagæ conſumſit.

Perluſtravimus etiam *Suevicos Tuos* Authores, in quibus reſtituendis diligentiam, induſtriam, & felicitatem magnifacimus & exoſculamur. Anonimus ille, quem Clariſſimus Freterus communicavit Egregiè cum noſtris Antiquitatibus convenit. Suevos ille & Suevios (& potius ut nos loquimur à Suecia) olim circa ann. 530. quando apud Francos & Auſtráſios Theodoricus nothus regnavit, Colonias in illa loca duxiſſe nobiſcum aſſerit. De Fretero; an in Vivis ſit; an ſoluto loco ac dignitate ſit apud Palatinum; an præter Annales Pythæanos & animadverſiones, in Abb. Prumienſem aliquid ædiderit, Cuperem me certiorem fieri. Janus Douſa in ſua Hollandia præclarum ejus facit mentionem. Sed præterea nihil ejus ſcriptorum ad nos pervenit.

In Patriæ noſtræ Antiquitatibus, quæ hîc paſſim vetuſtiſſimæ nec unquam æditæ inveniuntur, aliquot jam annos conſumpſi. Earum aliquam Partem cum fautorum conſilio inprimis Publici facturus juris; alicubi forſitan apud vos efficiam, ut in lucem prodeant.

Si Francofurti adhuc hæreat Veſt. Reverent. vel quibus in locis ſtativa elegerit: ut per præſentem Bibliopolam noſtrum Henricum Waldenkirkium, qui quolibet Semeſtri in Veſtro mercatu negotiatur, me doceatis; ut mutuis officiis ac literis certemus. Si qua in re T. Præſt. hiſce in locis gratificari poſſimus, Impera & jube.

jube. Valeas ergo Heiminsfeldi ſuaviſſime, diu incolumis, Deo, Muſis & amicis. Herfolgæ Seelandorum maris Balthici. 25. Auguſti an. 1608.

T. T.

Claudius Chriſtophorus Lyſchander,
Eccleſ. Herfolg. Paſt. & Præpoſ.

Clariſſ. Viro virtute ac eruditione præſtantiſſimo
Dn. Magiſt. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Philoſopho & Hiſtorico celeberrimo, Domino &
amico omni reverentiâ colendiſſimo.
S. D. P.
Quærentur apud Johannem Theodori, vel Joannem
Iſraelis de Bry fratres Buchhändlern.

CCXX.
Guillimannus Goldaſto,
S. S.

ÆGrè & vix abſtineo, ne tibi mihique feciſſe injuriam Lindenbruchium noſtrum dicam, adeo veſtigio prope eodem quo appulit, ſe expulit. Vis brevioribus? Venit, vidit, abiit. Nec illi bene quidquam à me factum, ut factum volui, neque ut cupii, & quæ cupii collocuta. Oſtenſus mihi, non tactus aut tractatus. Plumbeos habere pedes optavi, at ille pegaſeis uſus. Vide ut quos poſtea commendaveris è gente Fabia ſint, non Metella. Nimis crudum mihi ſui deſiderium reliquit. Nam quid non tua quoque cauſa attentaſſem? Malim te aliquando ipſum experiri. Ejus operum præter Terentium nihil mihi viſum. Probam tamen ex eo conjector. Sequentibus nundinis ut nauciſcar operam dabo. Tibi jam pro Tomo altero Conſtitutionum, & reliquis munuſculis magnam & gratam gratiam habeo. Remunerabor aliquando. In tertiam partem vide quid conferre poſſim. Multa apud me Regum & Cæſarum diplomata, ſed neſcio an in tuum uſum. Neque enim intelligo ſatis quæ pro libertate clericorum allaturus ſis. An privilegia ſcilicet quibus Epiſcopos, epiſcopatus, monaſteria, collegia in ſuam protectionem recipiunt,

piunt, & diverſis de cauſis protegendos arbitrantur. Earum rerum haut parvam copiam ſuppeditare poſſum. Sed ſcribe quæ, & cujus generis præcipuè cupias, ſi cupis. Caroli Magni Conſtitutionem habeo, qua Aquisgranum caput regni Ciſalpini declaravit, & in ea regum coronationem celebrari voluit. Primo tuo Tomo utilis fuiſſet. Mittam ſi volueris. Poſtremo ita tibi perſuade, te nihil à me fruſtra optaturum. Vale raptim, & veluti in curſu hujus occaſionis. Friburgi 1608.

Viro Nobili & Clariſſ.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,

Francofurti
apud Carmelitas.

CCXXI.

S. Litteræ tuæ, Nobiliſſime & amiciſſime Vir, ſcriptæ abs Te 24. Jul. demum ſextili menſe medio, quum pauci dies ad nundinas ſupereſſent, mihi ſunt redditæ. Diſtuli igitur reſponſum ad hoc tempus. Gratiſſimæ illæ tuæ fuerunt. Et niſi amicum te cognoſcerem conſtantem, certè vehementer miratus eſſem altiſſimum tuum ſilentium, quo uſus es tam diu, præſertim ad Meas, quibus reſponſum debebatur. Aſt quando φίλος ἕτερος αὐτός, non uſque adeò ſollicitus ſum, ut vel negotiis vel ſtudiis tuis condonem erratum. Abſit igitur, ut ſiniſtri quiddam de te vel ſuſpicer, qui eximiam & conſtantem tuam benevolentiam tot tamque luculentis Symbolis ſæpenumero comprobâſti. Exiguum valde ἀντίδωρον accipe orationem meam ſimplicem & brevem, quam ſponte & ſtudio ita comparatam cupivi: de vitâ & obitu optimi fautoris & affinis noſtri Stuckii. Aliud item è Lemanni poſthumis chartis à me productum in Proverbia diviniſſima Salomonis: quæ duo opuſcula accipies à Dn. Wolphio noſtro; & accipies animo, ſi placet, benevolo, ab eo, qui tui, tuarumque virtutum inſignium & verè nobi-

nobilium eſt amantisſimus & ſtudioſisſimus. Conſtitutionum Imperialium tomum primum non vidi: ſed laudatum valdè eſſe non dubito: qualia erunt certè & Decreta de cultu Imaginum, tuis cum Notis. In his talibus perge ſtrenue, & beabis maximoperè Rempublicam Chriſtianam; qui natus ſis tibi, ſis aliis. Hæreo ego cum meis menſuris, anxius atque dubius. Nolim enim poſt Capellum videri rem actam agere: quanquam certè multa habeam, quæ ille omiſit: maxime quæ ad elegantem Philologiam, aut polylogiam pertinent, ac proinde faciunt ad illuſtrationem locorum Sacræ ſcripturæ plurimorum. Tu quæſo conſule in medium, quid faciundum ſit. Nolim enim prorſus laborem meum fieri irritum & evaneſcere; qui alioquin magno mihi conſtitit, cujus pretii ſunt iſta talia. Interea analyſin meam in Pſalmum CX. traditam ante biennium in almâ Scholâ noſtra ad te mitto excudendam: ſiquidem ultimis tuis Typographos diligentes tam amice obtuliſti. Da igitur, rogo te, operam, ut, ſi Francofurti permaneas, & idoneum nactus ſis Typographum, vel te Correctore, quem optârim maximopere, edatur brevi, aut ad nundinas proximas ſive Argentinenſes ſive Francofurtenſes. Feceris mihi rem longe gratisſimam, quam compenſare operâ mutuâ ſtudebo, ſiquidem occaſio ſeſe offerat. A Typographo nihil peto: Sed potius exempla omnia, quibus opus habebo, ad triginta vel quadraginta, vel plura, emam ab eo pecuniâ paratâ. Si tamen ſponte aliquid offert, & præbet, accipiam grato animo. Quod totum tuæ committo διακρίσει & ſtudio ſummo me meaque promovendi. Ut turpisſimam maculam, quæ Dn. Lothardo, adeoque toti orthodoxæ eccleſiæ Sanctgallenſi inuſta eſt, ſolenniter ille eluat, opus eſt maximopere. Noſti protritum illud: Non eſt negligenda fama. Item: Omnia ſi perdas, &c. Item: Crudelis eſt, qui famam negligit. Et ſimilia. Quod reſtat, pro amicisſima gratulatione tua gratias ago ingentes. Faxit Deus, ut tam egregiâ functione me dignum posſim ſiſtere. Huic optimo Deo te com-

commendo ex animo, qui tibi ac ſtudiis tuis porro proſixè benedicat. Tiguri. Kal. Sept. 1608.

Tuæ Nobilit. obſerv.

Caſp. VVaſerus.

Nobiliſſimo & de Republica litteraria bene meritiſſ. Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico meo ſummè colendo.

Francofurti.

CCXXII.

S. P.

Beaſti me, munere gratiſſimo συλλογῆς tuæ: præfatio ad Illuſtrem illum mirificè me affecit, amore & hanc conſtantiam profeſſionemque publicam exoſculor. Reddet Deus, certò ſcio tu confide tantum & in curſu laudabili perſevera. Notas tuas quoque percurri, doctas & utiles. Sic decet bene mereri publicè. Quod de reformatione Brandeburgici vulgo jactant, inane credo, nam domum is necdum è Boruſſia rediit. Spes tamen eſt optima, fore ut compeſcat improbos clamatores, & veritati fores illic pandat. Auctoritas Regis Galliæ tenet adhuc Ordines, quo minus infidam actionem abrumpant, ideoque Præſes noſter de ſuo ad nos reditu incertus adhuc erat Kalend. Sept. Lutetia quum Toletanus deſperet optata conficere Nuncio Apoſtatico ad eam rem gnaviter utitur, qui nihil intentatú relinquit, quin & Cotonus minas miſcet, ne Rex Ordines deſerat, fore ut Pontifex in eum fulminet, & Hiſpanus omnibus viribus irruat. Rex putatur in propoſito ſuos non deſerendi perſeveraturus. Cæſar Bohemos edicto monuit, ne armati ad Comitia veniant, inanem rumorem de extraneis copiis ad eos compeſcendos conductis. Sed illuc redeo. Gratias maximas habeo quod primum me participem tuarum meditationum facere dignatus fueris. Reddam vicem, quum

quum occaſio dabitur. Vive, vale & de meo in te ſtudio & amore ne dubita. Heidelberga. 16. Sept. 1608.

T.
omni fide & ſtudio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.

à Francfort.

CCXXIII.

Guillimannus Goldaſto,
S. S.

ACcipe, & exple deſiderium. Privilegium eſt omni auro contra pretioſius & neſcio an aliud pluribus de cauſis majoris momenti, aut ſcitu dignius. Quam multa in eo recondita. Sed de illis forte erit alibi dicendi locus. Quas tu mihi fruſtrationes Belgarum aut in Schioppium Menippæas narras, avidè expecto. Quo tandem pervenimus? Aut in hunc denique uſum ætatem literas conterimus. O monſtra. Apage à nobis. Et Schioppium quidem præteritis menſibus expectabamus. Scripſerat Ratisbona ſe huc venturum. Sed, credo, intellecta Piſtorii Senioris morte iter & conſilium mutavit. De Caſaubono mirum eſt quod ſcribis. An credam Galliam deſerere poſſe, ut in Germaniam? Vix credibile. Quo honorario? aut à quo? De Polybio ejus annus eſt cum expecto. Et quot anni cum operibus nos lactavit. Tamen ſi advenerit, jam ad Marnium ſcripſi, ut mittat. Præteritis diebus abſolvi librum commentarium aut ſi mavis centonem de Epiſcopis Argentinenſibus in gratiam Sereniſſ. Archi-Duc. Leopoldi, accipies exemplum à Georgio Han Bibliopego Friburg. Accipies etiam de exceſſu Philippi 2. Hiſp. regis librum ex Hiſpanico à me intra paucos dies, & pauca cura converſum, adeò Typographi importuni fuerunt. Quid tu viciſſim, ut ſoleo, cum cura videbo: præſertim quæ te miſſurũ ſcripſeras

 bono

bono & incremento Habsburgiacorum. Vale. Friburgi 18. Septemb. 1608.

V. Clariſſ.

Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Dn. & Amico meo.
Francofurti.

CCXXIV.

S. P.

GRatiſſima mihi ſcriptio tua, quæ me gnarum fecit rerum ſanè memorabilium. Perplacuit inita cum Eberhardo a Weihe amicitia, & favor Comitis ejus, ſpero inde commoda tibi proventura. Eſt ut tibi caveas à Romaniſtis, quando illi tam graviter ſe offenſos putant. Hannivvaldus intolerabilis, qui rebus ſua inconſiderantia perturbatis, tamen ſpiritus non deponit, credo novâ Saxonis fraternitate inflatus. *Scioppii crepitus nil moror, multa didici ex confutatione Burdoniæ fabulæ, & gaudeo me agnoviſſe ex illa, quis ille ſit qui neget Scaligerum ſibi agnatum*, nempe Squameus extremus nebulorum, quem hic enim in comitatu Roani vidi, & poſtea facinora ejus prædicata audivi. Hujusmodi teſtes ſuarum aſſeverationum producit ſceleratus ille. Auſtriaca in turbis, eò quod Matthias mancipiis Romanis obſequitur. Si ſic pergit, exitium ſibi machinabitur, & excidet iis quæ obtinuit. Nam & Hungari armati ad Comitia venire dicuntur. Sed hæc aliaque tu rectius qui in luce. Diodatus cum trib. aliis verbi miniſtris a Venetis accerſitus, per Tigurum iter fecit, Deus cœpta ſecundet. Tu vive valeque & quod facis nos ama. Heidelberga 23. Sept. 1608.

T.
omni ſtudio
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.
à Francfort.

CCXXV.

CCXXV.

S. Nobiliſſime & Conſultiſſime Vir, Domine & Amice Magne, ſat ſcio mirabetis, quod tam diu nihil ad tuas præſertim publicè datas ad me & Decanum. Verùm nemo eſt in facultate noſtra qui reſponſum dari à me publico nomine velit. Cauſſa hæc eſt, quòd nulli niſi mihi & DN. Heinzelio conſtet de iis, quæ hîc intra privatos parietes & in menſa Laurhartus effutiit. Cætera ſibi in publico & apud alios cautè cavit, uti noſti tum cæterorum ejusmodi tum ejus in hoc genere callidam verſutiam. Quod verò nec meum teſtimonium, ut unius, perſcribi queat, in cauſa eſt, quòd ſine conſenſu Illuſtriſſimi Principis, nihil hic geri queat, qui illum arceſſiverat; & cum illum parum propitius dimiſerit, intellectis ejus rebus Wirtenbergicis, licet omnia ejus diſſolverit, porrò ejus Celſitudini moleſtia nova hinc objicii nec poteſt, nec debet. Jam verò quia nec autographum Sangallenſe, nec ejus exemplar hûc miſiſti, nihil ſanè attentandum ſibi collegæ putarunt. Adde quòd illo ipſo tempore Archigrammateus Sangallenſis, quo tuas ad nos dediſti, ſcripſit ad Dominum D. Hartmannum, eum miris verbis commendans, & gratiam in quam rurſum eſſet à reditu inſinuatus apud S. Gallenſes, deprædicans, ita ut ejus literæ tuis quaſi pede oppoſito oppederent. Poſtremo cûm ne Belgicis controverſiis nos implicari Illuſtriſſ. Veſit, ubi Harminius laudem cum Laurhatto fovet & propagat Samoſateni & Sozzini perditiſſimam hæreſin facilè vides, quàm ille non ſit laturus, nos in alienum agrum falcem immittere. Ego verò teſtor in anima mea Laurhartum Virus idem fovere, & mihi voluiſſe infundere, quem minus forte confirmatum opinabatur, quaſi in ſocietatem pertrahi poſſem. Quod ſi hîc aliquid fingo, aut privati odii cauſſa ſcribo, aut minus certa ſcribo, quam ſcio, velim in illo die rationem reddam. Nec defui quin noſtros Tiguri monerem & vicinos illîc, cætera, quod ad me, Deo commiſſurus, qui ſuo tempore iſta in apertum referet, Hypocritas judicaturus ipſe. Eſt igitur, quur me excuſatum habeas. Jam verò te rogo uti incluſas has Dn. Medenbachio confeſtim vel ipſe vel per certum aliquem, qui Recepiſſe exigat ab eodem,

eodem, mea cauſſa in manum cures tradendas. Scis me ei debuiſſe & adhuc debeo non pauca, ne ille poſtea ſibi non redditas meas cauſſetur. aut ſi non ſtatim reddantur quiritandi cauſſam arripiat. Sed placide velim agi, ne ſubolfaciat de Recepiſſe à me requiſito. Magnopere mea intereſt, ut ſtatim atque has acceperis procures illic ad illum perferendas. Ego in Holſatiam ad Illuſtriſſimum iter adorno, qui meam Apocalypſin ſibi exhiberi cupit, à quo me ſpero dignum labore præmium accepturum, ut & Medenbachio & aliis ſatisfacere queam. Sum etiam Debitor Sonnenvaldio pro pannis, ad quem ſcripſi de die Michaelis, volens ſcribere die Luciæ ſive quadrantis anni. Apud eundem ſi corrigere ſcripturam me oſtenderis, & præterea Verbis amicis pro me interceſſeris, citra tuum incom̃odum me meamque familiam tibi ultra cætera novo vinculo obligabis. Debui ei pecuniam præteritis nundinis: quas ne his quidem præter expectationem rejectus in longius diſſolvere queo, ſatisfaciam tamen ſimul pro capitali & intereſſe, cui vadem ſtiti Teubingerum Zuingenbergenſem Chirurgum. Obſecro ignoſce mihi, quod tuam excellentiam his oneribus meis Domeſticis onero, cum neminem habeam, cui committere poſſim, ſecus non abuſurus tua humanitate.

Poſtremò mitto tibi incluſum, in Piſtorium mortuum. Cuperem id (ſuppreſſo nec ulli revelato meo nomine) excudi, ſi fieri poſſit adhuc iſtis nundinis, ut diſpergeretur ocyus. Huetvvelkeri noſtri Typographi opera poſſes uti, modo tu correctionem in te velis ſuſcipere. Ille facilè diſtrahet vel alius facturus inde lucrum propter hominis celebritatem. Ego à pharmacopoëo qui illîc fuit totam ejus mortem veriſſimè habeo, quàm nolim alios latere. Te in oculis & animo fero, cui ſemper eſſe commendatisſimus cupio. Salutat tè Dn. Heinzelius, qui mecum eſt, ſuo te alloquuturus tempore. Marpurgi 22. Septembr. 1608.

Tuæ excellentiæ
obſervantiſſ.
Eulinus.

CCXXVI.

CCXXVI.

S P. Gratum viſu frontiſpicium *Alphonſinorum* : ipſa folis per occaſionem expectabo. Titulus ſuo tempore cum præfatione excudetur, nec in me Mora erit. Addenda Titulo plura, quæ intra duas hebdomades ſubmittam, eodem pertinentia. FELINI SANDEI veteris Icti de Alphonſo Rege & Regibus Siciliæ & Neapolis commentarioli, quorum ſolum nomen (ut puto) hactenus apud Geſnerum extitit, amanuenſis eſt in deſcribendo, & ferè abſolvit. Relegenda tantum mihi horis ſucciſivis. Item Bart. Fachii ad eundem Alphonſum liber de conditione hominis : itidem deſcriptus & leviter relegendus. Sed heus ! Catalogus præfert novum titulum Haimburgicorum : ſi ita eſt, videam quæſo, nam & mihi animus erat. Titulum refingere & notas addere. Collectanea illa diverſorum excudi nondum poſſunt, donec Græcum textum integrum Româ accipiam. De Conſtanſtinianis meis videbo, quædam addenda & mutanda ſunt. Sed non pauciora à Kopffio, quam altero illo exemplaria exſpecto : nempe 150. & adhuc ſententia eſt Duci veneto inſcribere, ut Haimburgicis jungere emptor poſſit.

In conſilio lecta eſt à Cancellario, abſente Lingelshemio, tua Epiſtola. De Thuanicis quod quæris, ita habe, ut excudendi ea in Palatinatu ubivis locorum facultas patet, ita nomen Manhemii ſimulato commodare Principi diſplicet. Sed quid de loco refut. ipſum opus, quemvis locum nobilitare poterit. Sed de his fortè Lingelshemius reverſus, plura ad te referet. Interea vale & ſalve. Datum raptim 14. Oct. *1608*.

T. M. Freherus.

A Monſieur Goldaſt de Heimingsfeld
a Franckfurt.
Im Carmeliter Cloſter.

Mm Noſti

CCXXVII.

S. V. CL.

NOſti quid nobis placebat inter nos, quum Francofurti in nundinis conveniremus, CL. Guldinaſte. Me deſiderare tuos Allemanicos: te verò meum Cæſarem.. Quid multis opus? Ajebas te miſſurum tuos: ſi ego meum, in quo facile adquievi. Si itaque tibi is animus adhuc, tuaque mittere volueris, rem facies gratiſſimam mihi quidem. Vereor tamen, ne te dictorum pœniteat. Forte enim pretioſius tuum opus meo. Quidquid tamen videbitur, ac quo animo accipiam. Me Pollux tenet & ſpiſſum iſtud concordantiarum Græcohebr. vet. teſt. opus: inſuper & ex parte à Pictena noviter recenſitus Tacitus, & neſcio quæ alia.. Peterem, ut me inviſeres: ſed lue iſta ſæviente, & funera funeribus continuante velavero potius. Quamvis Deo gratia ſit, qui ſua clementia porro nobis adſit, ædes noſtræ à malo iſto illæſæ adhuc. Quod tamen adeo circumſilit & inſultat vicinos, ut in horas mihi cautum non rear. Anxiſſimus mihi ante paucos dies, qui in convictu Breedorodii agebat, occidit, cujus mors ne mirum quam conſternavit. Vale, mi opt. Guldinaſte, & Impolitiis meis ignoſce, & ſubitæ, & ſubitaneæ ſcriptioni ignoſce. ipſis id. Octob. è Wecheliano Typographio..

T. Jungermannus.

V. Nobiliſs.
MELIORI GVLDINASTO
HAIMINSFELDIO
Domino & amico meo.
Francl furt.
Auff dem *Collegio Mariano* bey dem:
Herrn *Rectore* zu erfragen.

Viro

CCXXVIII.

Viro Nobiliſſimo & Clariſſimo

D. MEL. HAIM. GOLDASTO, &c.

ITerum convaleſcere incipio, Dei benignitate. Pes verò læſus hactenus ad officium non redit, medicis & chirurgis non valdè proficientibus, immo etiam non valde curantibus. Scilicet me debere inambulando pedem movere creberrime. Ego verò vix adrepo & ſubclaudico ægre, innixus baculo qui litteræ Tau non eſt abſimilis. Hæc nimirum crux mihi fixa, quamdiu ille, qui finxit volet: Illum vero ſcio & expertus ſum patrem benigniſs. & clementiſs. cui laus & honor ſit in perpetuum: αὐτὸς γε πάντα καλῶς ποιήσει Tumor pertinax adhuc genu obſidet, & ut me extendam vel incurvem prout velim vel inambularim neceſſitas vetat. Sed hoc Deus meus, cui ſcio me curæ, tollet, quando ipſi viſum fuerit. Tibi vero amice nobil. ſcribere hactenus volui ſæpius: ſed dum aliàs partim ſanitati, maximam verò partem operis inſerviens, alienis fere pedibus & opera cogor uti, languens præterea adhuc à morbo, ſemper dies mihi citius effluit quam putaſſem, & ſic amicis cæteris quoque litteris meis, ſatisfacere non potui per hoc ægritudinis tempus. Accepi verò obſervationes, ut tibi deſcriptæ ſunt, Giſanianas; & non dubito, quin in iis erunt unde noſtra, præſertim ea quæ ſcriba imperitus deſcripſerit, oorrigi poterunt. Quamvis enim locos omnes ſuſpectos in ipſis auctoribus inquiſiverim, tamen me interdum numerus libri fruſtratus eſt, falſo adnotatus. An edente hac hieme, neſcio. Quæ n. jam incepimus vel ſtatim incepturi ſumus, chymica & Theologica quædam vix poterunt abſolvi. Vult autem Marinus & eas obſervationes omnino edi hac hieme. Si fieri poterit, nos nil omittemus, Deo favente. Nam ut partem alibi imprimi ſinam, nemo mihi perſuadeat; ſcio enim propter operis rhapſodiam ut ita loquar ſcriptu-

ram variam, hincque & inde aſſutas particulas, niſ aliud hoc eſſe, quam id corrumpendum dare. Si quid novi habes, quo me delectari noſti, haud gravatim communicabis. Vale, atque ſalve etiam, Dn. obſervande. Poſtridie Martini τοῦ χειροτονου 1608. Hanoviæ.

T. Jungermannus.

Viro nobiliſſimo & Clariſſ Domino
MELIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO,
Amico meo obſervando.
Franckfurt.
Bey Herr Wilhelm Uffſtändler.

CCXXIX.

S. Nobiliſſ. Dn.

DUm Polluci noſtro adhuc operam do, & in perpetuis notis conſcribendis Satago, ubi Atticè quoſdam parum loquutos ſubinde notat, ſæpius illum Atticiſtam Thomam, ad manus mihi eſſe vellem. Quum autem recorder, dum te ſemel in nundinis inviſerem, quod ſæpius facere licebat, nec licebat tamen, ibi ſcilicet mihi abs te oſtenſas amici Lindenbruchii ad te litteras, cum libellis Thomæ, Baſilii M. Grammatices & Schedæ Baſilicæ, ſi forte mihi poſſent inſervire, uſum concedentis: Jam te maximopere rogo, ſi noſtra ſtudia juvare modò velis, ut ea utenda mihi permittere, ſicuti & Æſchylum tuum duplicem, haud graveris. Valdè etiam libros victorii varias lectiones ad hebdomadæ ſpatium prece impetrarem, vel pretio conducerem: ut ſi quid ibi quod polluci vel Herodoto illuſtrando eſſet, excerperem. Ne enim neſcias, Herodoti novam adornamus editionem, & jam paginæ aliquot excuſæ ſunt Græcolatinæ. Nihil tamen ibi noſtrum fere, niſi quod conamur diligentiam Stephanianæ in corrigendo ſuccidaneam dare, niſi multa videremus nobis deeſſe, quibus ille abundavit. Eſt tamen aliquid forte poſt tantam ἀκρίβειαν, etiam in tertiis vel

vel quartis conſiſtere, ſi non ultra datur. Quidquid autem miſeris: totum huic nautæ Hanoviano tradas, qui omnium ad me curabit optime. Rogo & hoc, ut addere velis, quid de Hœſchelio Lindenbruchius. Nam excidit mihi, & erat tamen de re, ſuper qua ni fallor mihi ad illum ſcribendum eſſe. Vide quam familiariter tecum agam, in quo ſi ſum nimius, amici vitium noveris, nec oderis, imo ignoveris potius, mi nobiliſſ. Goldaſte, & mihi plurimum ſalve, atque plurimum vale etiam. Hoc prius volebam, more antiquo: Sed calamus præcurrit mentem: & ne ſic quidem male. Vale itaque denuo, mi Dn. κἀγχήκιςα. Hanoviæ raptum, è Muſæo Wecheliano a. d. IV. id. Octobr.

T. Jungermannus.

Viro Nobiliſſimo ac Clariſſimo,
MELIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, Domino & amico honorando.
Franckfurt / am Mayn.

CCXXX.

S. P. D.

Summas ago gratias, Vir præſtantiſſime, de humanitate tua ſingulari, quam & Epiſtola tua mihi gratiſſima, & munus de *cultu* „*Insignium*, *Eximium ſanè tuæ induſtriæ opus*, abunde demonſtrarunt. „Ero tibi debitor, ſed bonæ fidei, ὑπερήμερος licet, Ac cum jam multis „ob feſtinationem tabellarii non liceat reſcribere, vel agere, ſolum „hoc, de quo Nobiliſs. Freherus noſter me monuit, ſignificabo, *Duditiana* penes me eſſe, quæ ſummi viri diu deſiderarunt, Thuanus, Bongarſius, Lingelshemius noſter, alii: quæ Kopfio, ſi ſumtus facere „velit, uti ſcribis, promitto, modò mihi, tanquam Collectori, Præmium dignum & uſitatum ſtatuat. Liber iſte non „exiguum ei lucem afferet. Jonas Rhodius D. Pareo pro ſingulis foliis ad 12. Batzen dependit. Et habeo plurimas Duditii

epiſtolas, quæ ſecundum tomum conficere poſſent. Malim autem hic à Lancelloto, vel Manhemii à Schrammio excudi, tum ob viciniam, & meam præſentiam ac inſpectionem, tum ſecuritatis cauſa: quia Kopffio poſſet aliqualis moveri à Pontificiis, quorum concilium perſtringitur. Et Cæſareani forte indignabuntur, in lucem epiſtolas aliquas proferri. Tuæ prudentiæ committo, ut cum Kopfio agat, reſponſum expectabo. Deus te ſalvum diutiſſime ſervet, Vale, E muſæo ἀκιςα. 14. Octob. 608.

T. P. D.
Obſervantiſs.
Quirinus Reuter D. Profeſs.
& Inſp. Coll. Sap.

Clariſſ. genere & doctrinâ Viro Domino
MELCHIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO,
Francofurti nunc agenti, Domino
& amico obſervando.

CCXXXI.

Nobiliſſime Vir.

S. Pro libris ad nos miſſis ampliſſimi Domini conſiliarii, egoque & mei tibi ingentes gratias agimus, relaturi tantam benevolentiam noſtris officiis perpetim. Et certe majori benevolentia afficere nos haut potuiſſes hoc ipſo donario magnifico, cujus ductu licet nob. ipſam intueri antiquitatem. Liber ad generoſum, oblatus nondum eſt, ob Comitis Hanovii Reinhardi Præſentiam, quæ omnem nobis generoſum compellandi præcluſit occaſionem: ſuaſu & Dn. D. Sturionis, & Dn. Arpoldi, qui & bene tibi volunt, & huic negotio ex animo cupiunt, rem differo, donec & abierit, & animus à negotiis & ſympoſiis paululum reſpiraverit: interim te de

mea

mea fide & diligentia ſecurum eſſe cupio. Quod ſi ampliſſimo viro Domino Wilhelmo Poſthio conſiliario, & camerario Generali, qui primus conſtitutiones tuas priores legit, & Generoſo commendavit, quique apud ejus celſit. Plurimum poteſt, exemplar mitteres, meo judicio negotium optime promoveres. Si Hugius talis eſt, qualem tu mihi depingis, dabit dubio procul levitatis aliquando pœnas. Egreſſus eſt ex nobis, non tamen fuit de nobis. Comes Johannes Naſſovius, quem ad Albertum Auſtriacum deflexiſſe rebare, jam ſub Sueco in obſidione Rigenſi ſtipendium meret litteris ad illuſtriſſimum noſtrum à Naſſovianis miſſis, teſtibus. Plura brevi, quando ſignificaturus ſum, qua clementia Donarium ejus celſit. De qua dubitare noli, ſuſceperit. Vale vir nobiliſſime mihique quæ voles, præcipe, jube. Raptiſs. 27. Octob. *1608*. Hanov.

Nobiliſſ. Amplit. obſerv.
J. R. Lavaterus.

Nobiliſſimo & ampliſſimo Viro Domino,
MELCHIORI GOLDASTO
Von Hammensfeld.
J Conſulto celeberrimo &c. Domino & patrono meo colendo.
Franckfurt.
Bey dem Carmeliter Kloſter zu erfragen.

CCXXXII.

S. P. D.

PErjucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Excellentiſs. allatæ à Kopffio, cui tradidi *Duditiana*. Vult ille ea inſerere tomo tuo: (quod quidem cupio, & tibi non diſplicere ſpero:) Deinde ſeparatum in 8. imprimere; ſicut iſta διατυπωσις oſtendet, quam mitto,

ut

quam mitto, ut videas, quid argumenti contineat, ac ingenuè ſententiam tuam mecum communices. *ἔκθεσιν* cauſarum pro nobis, contra Tridentinum concilium colligam, ex libro Proteſtantium Principum ante hac edito. Num ita conſultum Reipubl. fore tibi videatur, quæſo liberè ſignifices & quouſque Typographus in tomo tuo proceſſerit: quales ſint ejus materiæ, *Duditiana* num placeant, & quæ „ſunt adjuncta, an tibi videantur addenda: pro tuo ſingulari judicio „audacter perſcribas. *Kopffius in ſingula folia, ſemitalerum promiſit.* M. Freher noſter abiit Neuburgum & Auguſtam, intra menſem rediturus. Sereniſſ. Elector adhuc ſe domi continet ob *ἀσθένειαν ποδῶν* recurrentem. Cætera ſunt in eodem ſtatu. D. Lingelshemius non„dum rediit ex Bavaria: quotidie exſpectatur Ego nunc haut ſatis „valeo. Valere te jubeo, & plurimum ſalvere. Sic faxit Deus au„ctor omnis boni, cui te tuaque ſtudia commendo. Vale & reſcribe. Scrib. Heidelb. 4. Nov. *205.*

T. N. D.
Obſervantiſs.
Quirinus Reuter D. & Profeſſ.

Excellenti doctrina & virtute viro Dn.
MELCHIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO
Jam Francofurti agenti, Domino & amico
pl. honorando.
Frankfurt.

CCXXXIII.

Nobiliſſime Vir.

Obtuli tuo nomine Generoſo meo tractatum tuum aureum, ea qua par eſt obſervantia. Recepit ejus celſitudo, non ſolum lubens, ſed etiam ſumma animi cum lætitia, dicendo. Daß dem Herrn Goldaſto beliebe / mir dieſen nutzlichen und herrlichen Tractat zu zu ſchrei-

ſchreiben / deß wegen thun ich mich ſo wol bedancken / als hertzlich erfreuen. Bedancken / daß der Herr Author der Chriſtenheit zu gutem ein ſolches herrlich Opus in Truck geben / auch ſein freundliche Affection gegen mich hiemit erzeiget / da ich dem Herrn Authori beydes in uſum Publicum, Der Chriſtenheit zu gutem / und in uſum privatum, und ſo ſeiner Freundſchafft werde erzeigen können / wolle ſolches lieber in der That / dann mit viel Worten beweiſen : Wolle auch den Herrn Authorem gebätten haben / er wölle in dem Fleiß der Chriſtenheit zu dienen weiter fortfahren. Er thäte ſich auch Erfreuen daß er hierdurch Gelegenheit bekommen habe / mit dem Herrn Authore Kundſchafft zu machen : Wolle ſich auch in der That in kurtzem danckbar erzeigen. Er laſſe auch den Herrn Authorem bitten / wölle unbeſchwert auff den Abend ſein Gaſt ſein. Hæc ferè formalia Celſiſſimi verba erant ; ad quæ cum ego nomine tuo pro clementi affectu gratias agerem, teque tuaque pro porro ejus celſiſſ. patrocinio commendarem, dixi te Francofurto exemplar ad me miſiſſe, neque te in urbe hac noſtra eſſe. Ergo, inquit, ſi quando hæc venerit, certior abs te fieri cupio, ut coram ſalutem. Injecit poſtmodum ſermonem de rebus aliis. Hæc peracta ſunt die Veneris hora octava matutina. Sub veſperam ab ejus celſit. invitabar ad cœnam : ubi ſe librum percurriſſe, magnamque diligentiam, laborem, & judicium deprehendiſſe affirmavit : Cœpit inquirere de tuo ſtatu, an privatim tuis, vel ſumptibus aliorum ibi vivas, Et (hæc erant verba formalia,) an Noſter ſis. Ad quæ omnia cum reſponderem, adiecit ſe ex animo tibi favere. Cancellarius quoque nſter, Dn. Doct. Petrus de Botre, qui menſæ aſſidebat, libros tuos teque mirifice ejus Celſitudini commendabunt. &c.

Habes totidem ferè verbis quid in tua cauſa actum. De remuneratione velim te ſecurum ; ſubſequetur certò. Quod ſi unum aut alterum exemplar mittere huc velis, non eſt, quod compacta mittas. Habes hic fautores optimos. Sed audi, habeo ſic ſatis doctum librum à Sprunglio Tigurino confectum, cujus titulus eſt.

Bellum Papiſticum. Hoc eſt rixæ & pugnæ, quas Pontificii tum inter ſe, tum in ipſa Religione, &c.

Cum demonſtratione. In nullo fidei Chriſtianæ Articulo Pontificios inter ſe conſentire.

Quod cupit impreſſum, obtuli Jonæ Rhodio, qui tamē nil reſpondet. Si Typographum apud te ſcires, quæſo fac ſciam, ut exemplar ad vos citò citius mittatur. Plura non licet. Vale vir nobiliſſime & me tibi Deditiſſ. eſſe certò tibi perſuade. Raptiſſ. 6. Novembr. 160[illegible].

Nobiliſſ. Ampl. T. obſervantiſſ.

J. R. Lavaterus.

Nobiliſſ. & Ampliſſ. V. Dn.
MELCHIORI GOLDASTO
von Haminsfeldt / *IC. & Hiſtor.*
Celeberrimo. &c. Dn. & Fautori meo Colendo.
Franckfurt / in dem Carmeliter Kloſter.

CCXXXIV.

S. P. D.

Moram in reſpondendo, Vir Clariſſ. amice honorande, variis occupationibus tuis lubens meritoque condono. Meæ quoque nimis continuæ ac valetudo minus ſecunda vetant me nunc multum præſtare. Quod *Encomium Duditio* tribuis, idem etiam alii ma-
,, gni viri ipſi tribuerunt. Rogo efficias, ut Kopfius elegantibus ty-
,, pis in 8. Opuſcula illius excudat; & mihi formam, uti loquuntur,
,, vel pagellam primam mittat: quam velim noſtris D. Lingelsheim,
,, & M. Freher, ubi redierit, oſtendere. Nolim tamen editionem
,, præcipitari, ſed tempus ad reliqua conficienda juſtum mihi ſuper-
,, eſſe. De Epiſtolis Duditianis auſim tibi polliceri [illegible]tem-
,, pus: ſi prima hæc editio ſucceſſerit. Ipſe doleo, nullum alium in
,, tanti viri ſcripta diligentius inquiſiviſſe, aut ea in publicum profer-
,, re conatum eſſe. Vergerii opuſcula dudum [illegible] ſtudui è tenebris, & quædam adjungere Duditianis. Sed cum alibi reperire non poſſem, ex Bibliotheca Palatina ſum adeptus [illegible], quos ob prolixitatem mox reddidi. Nec enim putavi fore qui vellet imprimere. Tu ſi Kopfio perſuadebis, aliqua ſelecta Vergerii ad edi-

tion

[illegible]nem parata, à me adipiſceris. Nec deerit nobis Freherus pro [illegible] Rempubl. juvandi ſtudio. Utinam hoc pacto Venetis illuceſ[illegible] Oriens ex alto. Petiit Kopfius à me quoque *notas ad Thuanum.* [illegible]o. Tu cenſor & arbiter eſto, & ut ille gratus ſit, efficito. *[illegible] obſervationes in Tomum II. mittam* proxime : Si velitis. D. S[illegible] & B[illegible]kſtadio tuæ fideliter redditæ ſunt. Vale, vir Clariſſime, & [illegible]il. Deus te ſalvum & incolumem ſervet diutiſſime. Vale, Scrib. Heidelb. 2[illegible] Novemb. 1508.

V. D. Studioſiſſ.

Quirinus Reuter D. & Profeſſ.

Addo Theſes meas, ut per otium legas : forte non diſpliciturus.

Nobilitate, virtute & doctrina excellenti Viro
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO, Polyhiſtori jam Francofurti
agenti Dn. fautori & amico obſervando.
Franckfurt/ bey Herrn Peter Kopf zu erfragen.

CCXXXV.

Nobiliſſime Vir.

Mitto ex utriuſque voto Sprunglii noſtri Hiſtoricam antilogiarum Pontificiarum narrationem. Rogo obſervanter adnitaris, ut lucem videant, quandoquidem non deſint, qui egregiè laborem commendent. cætera curavi rectiſſimè, à quibus cum officioſa ſalute gratiarum relatio vovetur. Generoſus jam ob bona quædam cum Moguntino Archiepiſcopo permutanda variis negotiis diſtrictus eſt. Interim in tuo negotio permanendo non erimus indiligentes. H[illegible] aptiſſime. Salveto ab Ampl. Dn. Conſil. Hanov. 24. Nov 1608.

Ampl. T. obſervantiſſ.

J. R. Lavaterus.

[illegible]iſſimo & ampliſſimo Viro Domino.
MELCHIORI GOLDASTO, Von Haiminsfeld.
JC. [illegible] Domino & amico meo magno.
Francofurt/ In dem Carmeliter Kloſter zu erfragen.

CCXXXVI.

S. P.

ET mihi & Sculteto tuæ epiſtolę fuerunt gratiſſimę. Utinam tui conſilii ſat pii, adjutores eſſe poſſemus. Sculterum nunc denuo peregrinantem quod attinet, ſcire te velim, ipſum, antequam diſcederet, me rogaſſe, ut tibi ſignificarem, ſe nequaquam poſſe ſuadere, ut hoc periculoſo tempore, (quo Veneti in eo toti laborant, ut venas principales papæ ſuccidant, & quidem papæ dormienti,) tale quippiam per dedicationem in vulgus emanet. Alioque quod Epiſtolam Fulgentii, quæ eſt ſalutatoria & Chriſtianæ charitatis plena, concernit, exemplar hujus tam devotæ compellationis tibi tanquam fratri & amico communicare, & quandocunque placet per tabell. ordinar. mittere nequaquam recuſat: Ea cum conditione, ut donec proſperior ſtella Venetis affulgeat, in tui uſum reſerves.

Quæ in Thuani lectione curſoria deprehendi, jam recenſebo.

Tom. 1. pag. 9. in meo Exemplari Pariſ. in 8. edito ſic legitur. Hiſpanorum nomen antea obſcurum & vicinis pene nationibus incognitum fuit, &c. At verò propter Varronem meminere Hiſpanorum, Jul. Cæſar, Plinius & multi alii.

Anno 1565. Thuanus ſcribit Joh. Mattheſium Rochlicenſem compleviſſe annos 51. *Buchholzerus* verò diligentiſſimus hiſtoriarum ſeptentrionalium explorator expreſſe nominat anno . 61.

Anno Chriſti 1566. Pro Dominico Spangenbergio ſubſtituendum eſt tritum & uſitatum nomen Cyriaci, quo in ſacro baptiſm. fuit indigitatus, quo etiam in ſuis ſcriptis ſemper eſt uſus: licet Dominici nomen, re ipſa idem ſonet, quod Κυριακῦ.

Anno Chriſti 1567. de Gothano Bello: ſemper lege pro Mulperga Mylberga.

Item de Frid. Palat. VIIro de eodem anno: pro Sulegrio ſemper reperi Zulegero.

Quæ de fictitia vel ſubornata Eliſabeta Regina Angl. ſcribuntur à Thuano, omnibus ſanis fabula.

Item.

Item Melchior Zobel Epiſc. Wirzburgicus occiſus eſt anno 1558. 17. Cal. Maij, nequaquam idib. April. Hic bidui differentia.

Et Grumbachius captus eſt, non octavo anno poſt, ſed nono Hic anni unius differentia.

Qui Gothani negotii gnari ſunt, teſtantur, ob nullam aliam cauſam, ſtrepentem tympanorum ſonitum, in Grumbachii diſſertatione eſſe adhibitum, quam ut Grumbachii Apologia (dicebat n. Grumbachius. Quicquid feci contra Wirzburgicos, feci ſciente & meas partes juvante, imo militem ſuppeditante Auguſto VII ro Sax. qui nunc in gratiam Pontificiorum ad ſuas res ampliandas, me perſequitur) a circumſtantib. nequaquam exaudiri poſſit.

Anno 1569. Vict. Strigelius, nequaquam interfuit Colloquio Altemburgico. Jam pridem abierat Heidelbergam.

Ibidem errat Thuanus, cum Paulum Eberum Citraviæ natum dicit. Eſt enim natus Kitzingæ.

Anno 1571. De Colloq. Francothalenſi.

Petrus quidem Dathenius fuit Theologus & Concionator aulicus. Wolfg. vero Zulegerus, fuit non Theologus, ſed Politicus. Qua in re Thuanus ſibi ipſi (ut teſtatur Hiſtoria Anni 1567.) eſt contrarius. 5

Ibidem, Michaël Neander, Vir libris editis ſat quidem clarus, Terram verò Palatinam nunquam ingreſſus Notariis annumeratur. Subſtituendus itaque verus Neander, non ille Michaël, ſed Martinus, qui etiamnum Heidelbergæ vivit, qui Oeconomi officio in ædib. Sapientiæ perfungitur, & præterquam quod Notarii titulo donatus eſt dulciſſima & exquiſitiſſima fercula Quirino Reuttero parare didicit.

Anno 1573. Pro Daniele Brendelo Henbergo, lege Daniele Brendelo ab Homberg. vide Serarii Chron. Mog. pag. 914.

Ibidem, pro Vaucum, lege Facham.

Ibidem, pro Viſurgi, lege Vierra.

Licet enim Vierra, ſuo loco miſceatur Viſurgi: tamen Facha oppidum ſatis notum, quod unius diei itinere a Fuldæ cœnobio diſtat, uno Fuldenſi ditioni paret, (addo aliud: in quo oppido, me αὐτοπτῃ,

 Henr.

Henr, III. per dies aliquot ſubſtitit) &c. X. milliaribus Germanicis à Viſurgi diſtat.

Interim non nego, eſſe quoddam Oppidum prope Viſurgim ſitum, quod Vahica appellatur : Id verò Henr. III. ſuis oculis nunquam potuit intueri. Imò tum temporis nemo ex Miniſtris ipſius eò pervenit.

Libri tui, de Ioh. VIII. editionem cum gaudio exſpecto. In genere velim te ſcire, quod mihi ex lectione aliorum ὡς ἐν παρόδῳ in mentem venit.

Difficilis nodus videtur : Iſta Papiſſa modò dicitur Anglica; modò Moguntina. Quot miliaribus diſtat Anglia à Mog.

℞. Tunc temporis certatim Angli, Scoti & Hyberni migrabant in Germ. inprimis ad regiones Mœno & Rheno nec non Fuldæ & Vicrræ conterminas. Veniebat quidam Anglus cum Uxore gravida: appulit Moguntiam, ibi quæſivit ſedem. Reſponſum ipſi datum: Abi Ingelhemium, quod eſt oppidum prope Moguntiam ſitum. Imò quod ab Anglis advenis dictum eſt Ingelhemium, hoc eſt, Anglorum domus vel ſedes. Quid fit? Angla dum Moguntiæ perſiſtit, peperit filiam: quæ cum poſtea peregrinaretur, ſe profeſſa eſt de Anglorum gente, tum ratione parentum, tum ratione loci quem Angli Sympatriotæ incolebant.

Cum verò peregrini Anglum ſimpliciter intelligerent, addidit, Se eſſe Johannem Anglum quidem, ſed Moguntinum, quia Ingelhemium pertinet ad Moguntinam diœceſin. Hæc obiter ad conciliandam diſcrepantiam, pluribus per.ecuturus, ſi requiſiveris. B. vale amice col. vir præſtantiſſ. Sanctis tuis laboribus. Deus benedicat. Te ſalutant mei Collegæ Curſim Veneris 1608. 25. Novemb.

Joh. Bockſtadius.

Nobili. Docto & Claro viro
MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, Francofurti nunc degenti, amico Cariſſ.
Zu Franckfurt / Neben dem Carmeliter Kloſter / Im Steinheimer Hof zu erfragen.

CCXXXVII.

CCXXXVII.

Nobilſs. & Clariſs. GOLDASTE.

SI Litterulis mihi adgrediendus es, non litteris, tanta tuarum quam ſemper, occupationum mole. Breviter dicam; imò noſti ipſe, quid velim, Idem quod ante menſem credo ſcripſi & rogavi. Nempe ut mitteres libros à Lindenbruchio miſſos in meum ſi ferent uſum: Et certè fuerunt, præſertim ille Thomas Eclogarius, nec non & Baſilii Grammatica, & illa ἐκ σχεδῶν βασιλικῶν quod exemplum mihi in patria ſurreptum ſuſpicor. Summe etiam petii in paucos dies uſum victorii variarum lectionum, ſi haberes. Et hoc, verba quæ propter Hœschelium adſcripſerat Lindenbruchius. Monendus ſcilicet mihi iſte. Quæſo fac te amicum experiar, uti hactenus: imò noli quid decedere reip. litterariæ commodo, in quod certe iſta omnia verterit. Addo jam &
„ hoc, me ſumme petere, uti nobis communices *Xylandri* ad Sleidanum
„ Notas. Petit item à te *ſummopere Guil. Antonius* noſter συνδεσοῦ ἐρχο-
„ μενω. Edit enim ille Sleidani iſtud opuſculum, cum aliis quibuſdam
„ & vellet has Notas avide addi, quas te habere ego ipſi ſui index. Mi nobiliſſ. Dn. ſi in tantis negotiis reſcribere non potes, mitte ſaltem quæ petii: mallem tamen & Hœſcheliana & Lindenbruchii. Tradentur autem omnia rectiſſime Nautæ noſtro, qui tibi has feret, vel ad Marnium mittentur. Vale atque ſalve à tuo Jungermanno, qui hæc præcipitabat, A. D. XVI. Cal. Decembris.

T. Jungermannus.

Jam advenit Seghetus noſter ad me, accinctus ad iter Heidelbergenſe: & juſſit te ſalutarem amice ſuo nomine, & ſe, de Plinio denuo te rogare.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Viro Domino.
MELIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO, Amico meo honorando.
Franckfurt.

CCXXXVIII.

CCXXXVIII.

S. P.

QUam tu, clariſſ. Dn. Goldaſte, amice multis nominibus mihi honorande, Hiſtoriarum Thuani editionem paras, ea profectò omnibus ſanis & veri cupidis grata erit & accepta. Quemadmodum enim Thuanus, multis in hac urbe notus nihil antiquius habuit, quam ut rerum geſtarum veritatem in apertam lucem proferret: ita tu ea, quæ per Locorum & temporum injuriam ad Thuanum ſincere deferri nequiverunt, partim ſupplere partim corrigere non gravaris. Deum opt. Maxim. rogo, ut tuis præclaris laboribus benedicat.

Ego ut meam quoque Symbolam conferam, avidè exopto. Cupio, ut præter Stenium hiſtoriarum Profeſſorem, alii mihi noti, *Thuanæ hiſtoriæ* lectores, mihi ſuas animadverſiones communicare ne dedignentur. Verum eniniverò propter crebras & pene continuas ſcholarum & eccleſiarum viſitationes (utinam correctiones) hiſce viris demandatas, hactenus nihil obtineo.

Dabo tamen operam, ut ſaltem meas pauculas obſervationes de quibus D. Quirinus, cum quo contuli, me monuit, intra octiduum habeas.

Optant plurimi, ut ea, quæ in prima editione juxta veritatis tenorem poſita, in ſecunda editione propter illuſtres perſonas omiſſa ſunt, reſtituantur. Dominus Boyſius, Paſtor Gall. (quem ſalutari cupio) habet exemplar primæ editionis.

Hoc ipſo menſe Pariſiis paratur nova editio hiſtoriarum Thuani in 12. Wird aber theuer ſein. Francofurtenſis editio. Wird den Preiß behalten. Vale, in Dn. amice ſummopere colende. 14 Cal. Xbr. 1608.

T. T. Joh. [illegible]adius.

Nobili Clariſſ. & integerrimo Viro Domino.
MELCHIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO,
Amico multis nominibus colendo.
Zu Franckfurt/
Neben dem Carmeliter Kloſter / in dem Steinhamer Hof zu erfragen.

CCXXXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CCXXXIX.

S. P.

ABſentc me, litteras ad me dediſti, ad quas reſpondere diſtuli, donec certi quid reſpondere poſſem. Memini *Thuanum* vehementer amicos ſuos in his partibus obteſtatum eſſe, ne hiſtoria ſua ſe inſcio ederetur, ejus animi ipſum adhuc eſſe, jam cognovi. At ego nefas eſſe duco, invito & vivo auctore, ſua tractari. Præterea conſtat nobis, ſub Prælo eſſe editionem novam longè caſtigatiorem, atque etiam auctiorem aliquot libris Notavi ego, quæ in ſequentibus editionibus emiſit, quæ multa non ſunt, & judicio ſublata, alicubi narrationes integras reliquit, atrocitate tantum verborum ſublata. Breviter ego longe præferendas poſteriores editiones priori cenſeo, potius omiſſa excerpi poſſent & pagellis ſingularibus excudi, exemplo ejus quod in Guicciardino factum. Itaque quæſo te, ut editionem differendam ſaltim cures. Typographi ipſi damnum incurrere poſſent. Si innoteſceret, auctius opus cum librorum aliquot acceſſione ſub prælo eſſe. Præterea Thuanus in poſtrema editione diſtributionem operis quoque mutavit, & in libros plures ſecuit, quam in prima factum. Sed multa præclara & memoranda acceſſerunt, quæ notavi ego. Saltim exſpectetur editio illa quæ jam ſub prælo. Debetur iſte honor, Viro ſummæ dignitatis & optimè de rep. & litteris merito. Hæc candidè ad te, cæterum tibi obſequendi cupidiſſimus. Aveo & cognoſcere de rer. tuarum ſtatu, & voveo ut quam feliciſſimus ſit. Vale Vir præſtantiſſime. Heidelberg. Kal. Decembr. anno 1628.

T.
omni ſtudio & amore
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte, &c.

à Francfort.

CCXL.

S. Decreta de Cultu Imaginum, & Julii Belli Hermetem Politicum à Wolphio noſtro accepi: pro quibus gratias ago ingentes. Commentariolum meum in Pſalmum CX. tibi non tantum redditum, ſed probari etiam, vehementer lætor: vehementius verò; quod ejus excudendi ſpem facis. Non credas, mi amiciſſime Goldaſte, quantæ mihi voluptati eſſet futurum, ſi eo adhuc canos optimi Lemani noſtri exhilarare poſſem, de me ſummè meriti. Da igitur quæſo operam, ut Palthenius promiſſo ſatisfaciat: quem jube, haud ſollicitum eſſe de diſtractione. Diſtrahetur ſpero, cum ejus commodo: inde conſilium capiemus de toto Pſalterio aliquando edendo. Animum ſuper editione MENSURARUM mearum tantopere addidiſti, ut nunc de Typographo idoneo ſaltem cogitem. Wolphius noſter, præterquam quòd charactéribus Hebraïcis non ſatis inſtructus eſt, inſuper non niſi meis ſumptibus edi vellet: Sed quid ego laborem meum maximum, quem in eo opuſculo exantlavi, tanti emam? Beares me inſigniter, ſi typographum apud vos monſtrares, qui ad conſtitutum proximarum nundinarum tempus excuderet ſumptibus ſuis; & mitterem exemplar manu meâ quam diligentiſſimè deſcriptum ad te proximâ occaſione, & tutiſſimâ, abs te indicatâ. Tantum autem abeſt, ut Capellanas meis obfuturas exiſtimet, ut meæ etiam illarum, & illæ mearum diſtractionem ſint promoturæ. Tenta igitur aliquid, pro amicitiâ noſtrâ: & fac ſciam propediem; quò ſi omnino nullus apud vos, ſive Palthenius, ſive alius exſtaret, vel meo damno apud noſtrum certò imprimantur. Si Palthenio eſſet ſufficiens quantitas characterum Hebraïcarum, mitterem ad eum notas meas, in libellum Ruth, egregiè adornatas, cum Chaldaicâ Paraphraſi, notis Maſſoreticis, & alia ſecretiora. Quorum omnium me certiorem facere non pigraberis, aut tardabis Remigium manuſc. in Bibliotheca noſtra non exſtare, vel ex incluſâ ſchedâ Friſianâ cognoſces. Cæteros ſi nominaveris, ſive Grammaticos, ſive alios ſcriptores, qui in eâ exſtent, habebis ſine omni dubio deſcriptos ad proxi-

mas.

mas nundinas. Vale optime, & ſi reſcribere placebit litteras, cura vel Sanctgallum ad Studeros, vel per Dn. Johannem Bodeckerum, Elcovium ad fratrem. Pervelim autem nullam interponi moram. Iterum vale, & ſalve à Dn. Lemanno, Simlero & Friſio. Tiguro. 2. Dec. 1608.

T. T.

Caſpar VVaſerus.

Nobiliſſimo & conſultiſſimo Viro,
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico meo ſummè colendo.

Franckfurt am Mayn/
Bey Hn. Palthenio/ Buchdruckern zuerfragen.

CCXLI.

S. Acerbum mihi fuit cognoſcere, rem non integram eſſe amplius de iterata editione Thuanici operis, Offendetur vir ille ſummus graviter, qui per amicos, omnes bonos ab ea injuria quæ ipſi & Typographo fieret, abſterrere ſtuduit. Sane Typographus veſter periclitatur, quum conſtet recudi totum opus, paſſim auctum, cum acceſſione etiam aliquot librorum. Id quum notum fiet, haud facile quis ſumptus in imperfecto opere facere volet. Illud autem pace tua dictum ſit, mirificè diſplicet, quod notas marginales in Germanicis addis, tibi tu hoc fieri velles? Scitò difficile munus eſſe Cenſuræ, in ſummis illis viris, quid ſi cenſori non ſatis cognita res ipſa? quid ſi ſuos auctores ſecutus? quin lectori judicium permittitur. Vidi cenſuram copioſam hujus operis. Sed reperi inania pleraque, & maximam partem ex imperitia rerum & linguæ Latinæ profluxiſſe, abſtine quæſo ab invidioſo hoc cœpto, & aliter perge prodeſſe publicè. Quin mone Typographum ut interquieſcat, & editionem iſtam ultimam exſpectet, ne ſe alioſque in damnum præcipitet. Vehementer me hæc res afficit, & mali exempli videtur vivi auctoris ſcripta, quæ adhuc tractat ipſe, attingere. Memi-

Brederodium olim ſuaſiſſe repetitionem editionis, cum notis marginalibus, à quibus vehementer abhorret Thuanus, Lipſium reprehendens, qui margines omnes impleverit, quod recto judicio Pichena in Tacito rejecit. Iterum te rogo, ut operam des, quo totum iſtud ſaltim intermittatur, donec ultima editio prodierit. Te jam formidabilem factum video, quando Vejoves te tam ſtudioſe captant, Aravvi conventum habuerunt Evangelici Helvetii 28. Nov. ac conſultarunt, quid reponendum Lucernatibus, ob immane illud facinus. Tu vive valeque vir clariſsime, & libertati ignoſce. Heidelberg. 9. Decembr. 1608.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.
A Franckfort.

CCXLII.

S. Paria Vota pro Te, Cl. & Exopt. V. & honor. amice facio, Deus ea rata habebit; uti confido, Hoſpitis tui deſiderio ut ſatisfiat, enitar ſummo ſtudio: & tempeſtivè ſignificabo. Duditii exemplaria quot poterunt, tot mitti velim. Auriga noſtras nuper iſthuc cogitabat: jam Argentinam abiit. Si vobis iſthic eſſet occaſio vecturæ, poſſet uno faſciculo compingi, quidquid D. Cancellario, D. Lingelsheimio (qui filiolo auctus Prid. Cal. Jan, revaleſcit, & te pl. ſal.) deſtinaſti. Palat. Neuburgicus, & Pr. Chriſtian. Anhalt. hic fuerunt heri, Halam profecti.

Emmelius remittat Cilneriana. Diſponam & recognoſcam per otium: quia non poterunt ante mercatum imprimi. Proximè plura. Hæc inter occupationes citiſſ. Vale & ſalve 5. Jan. 609.

à T. D.

Quirino Reutero.

Excellentiſſ. doctrina & virtute V.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Polyhiſtori celeberrimo &c. amico pl. obſ.
Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopf zubehändigen.

CCXLIII.

CCXLIII.

Nob. & Clar. Dn.

Diu eſt quod ad te Scripſerim, meaſque tibi redditas ſcio. Nec miror tamen nil ad eas reſponſum fuiſſe, ita nil in iis fuiſſe memini quod reſponſionem deſideraret valde. Niſi tamen in eo amici partes requirere debeam, tuque id patiaris, quaſi alloquio tuo per litteras amicum tam gravi calamitate detentum ſolari debuiſſes. Et ea quidem nondum ſum liberatus, quamvis Dei gratia ſit longè levior illa reddita, reſtitutâ nimirum priſtinâ corporis reliqui ſanitate. Aliàs ita eſt, pedem promovere non poſſum, ne quidem formicino gradu, ſine baculi innixu vel deductore. Dolores non ſentio aliquos amplius, qui mihi moleſti. Nec tamen pes ad officium redit, nervo majori ab iis qui me curarunt neglecto nimis, qui nimium quantum induruit. Illi tandem confugiunt ad thermas Wisbadianas, quas periclitari debeam: Ita tamen ut unus ſuadeat, alter diſſuadeat, unus ὅτι πάντα ἔςαι καλῶς adfirmet, alter rem in periculo omnino eſſe dicat. Quid quæris? Deus faxit, ut ipſi ſoli fidam: ne mihi accidat maledictio, quæ iis promulgatur, qui confidunt in homine. Sed me moror, ſorteque & te. En tibi litteras à Barthio, & adjunctum libellum Petronianarum racemationum, de quo in meis ne gry. Et intempeſtivè talia mittunt, fuitque mihi ſolvendum nuncio ſumma 8. baziorum. Poterant in nundinis occaſione viliore mitti. De Grammaticalibus Notis in Ptochianum opus, excuſat, nec videtur ſe hic nobis daturus. Tuis libris, quos apud me adhuc teneo, Stephano ἐθνικῶν auctore, inquam, Æſchylis, Hephæſtione, Ariſtophane, Zenodoto, ſi te volente id futurum ſit, porrò utor. Sin aliter: indica vel verbulo, & gratis reſtituam. Sed Athenaeo & Caſaubonianis ad eum Animadverſionib. ulterius carere non poſſum: propter Herpocrationis curam tandem à me ſuſceptam. Rogo itaq; ut remittas: & Marnium juſſi repoſcere. Rogo & ut ignoſcas. Si alio tempore porrò uti velis, vel aliis meis, nil clauſum tibi apud me erit.

Si ubi Segherus moretur, ſcias, indica. Vale atque ſalve Vir nob. & clar. raptim ex Muſæo VVecheliano. a. d. XIII. Kal. Jan. 1608.

T.
Jungermannus.

Viro Nob. & Clariſſ.
DN. MELIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO,
amico honorando.

Francfort.

CCXLIV.

S. P.

Bimeſtri toto peregrinatus & omnem fere Sueviam emenſus, Vigilia nativitatis Dominicæ, demum huc redii, ſalvus Deo gratias, & rebus utrinque geſtis. Multa tui paſſim & perhoneſta erga me mentio, etiam ſalutes à Welſero Höeſchelio, D. Phil. Camerario, aliis. Editio Imperialium plane magnum nomen tibi peperit, meritumque optime de Rep. prædicant, ille ipſe Camerarius, Conſiliarii Neoburgici, quis non? Iidem deſiderio incenduntur ſecundæ partis, cujus eis ſpem feci, ſcribe ſodes, ut res ſit, & excuſa mitte. Leges Henrici VII. Lucemburg. Imp. in coronatione promulgatas nactus ſum, quarum duæ de crim. læſæ Majeſtatis extant, poſt uſus Feudorum: Prima mera eſt in gratiam Papæ, Romanam Eccleſiam caput & matrem profeſſa, & de Hæreticis. Tamen ſi vis, mittam. Tu autem quid viciſſim? De Treverica hiſtoria, VVettini viſione proſa, quam tamen & ipſe in Mſ. habeo & facili negotio deſcripſero, de Hugone de Trimberg MS. procurando, aliiſque quæ poſt tot monitiones reiterare fere piget, jamdudum altum taces. Scire velim, quid in meis ludet Typographus, Donatione inquam Conſtantini, & Altonſi. Quæſo huc mittat, quæ excuſa ſunt: & reliqua intra paucos dies expectet. Nactus ſum & *Ennoldi de rebus geſtis* HLudovici Imp. Pii. libros 4. carmine elegiaco; quos in ipſo itinere,

nere, & mediis negotiis deſcripſi. Et ſpero Rabani Mauri, de eodem libros. Ita Francica mea fere matura videntur & clauſtra indignari. Typographo, qui primus idoneas conditiones affert, addicam. Vale & ſalve 6. Jan. 1609.

T.

M. Freherus.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heimingsfeld,
à Franckfort.

CCXLV.

S. P.

ANnum hunc, Nobiliſſ. V. amice honorande, Deus O. M. Tibi, nobiſque fauſtum & ſalutarem efficiat. *Thuani hiſtoriam* iſthic edi, non neſcio quoſdam eſſe, qui carpant. Sed tu contra audentior ito, & telam cæptam pertexito. Bene mereberis de Germania, Laudemque à Piis reportabis. Galli & Itali fruantur Pariſina impreſſione, quam autor variat ex Superiorum voluntate. Puto te vidiſſe libellum, qui continet ea Thuani, quæ Regis juſſu fuerunt expuncta: in quibus de Medicæi cujuſdam fratris & filii parricidio: deque Pii 4. Papæ fraudibus, &c. Hæc abs te ſuo loco reſtitui: quæ fal ò narrata ſunt, notis quibuſdam, ex aliorum hiſtoriis verioribus Lectori ſubjici, eſt operæ pretium. Niſi mole laborum officii premerer, conatus tuos adjuvarem. Quæ nuper miſi, fateor eſſe tenuia, & γραφικά. Sed & hiſtorica plurima corrigi poſſent.

Dudittana poſſent hic, vel Manheimii edi. Velim agas cum P. Kopf, quem ſaluto peramanter, Schramio typographo impreſſionem permittat. Ego cum ipſo facile tranſigam. Imo & Vœgelinus in mei gratiam reciperet. Itaque de Iſenburgico prælo, non eſt quod laboretis. Rogo mihi ſignifices citò, quid de hoc negotio, *ut & de Thuano*, ſperandum. Ego tractatum parvum, de Concilio Tridentino pararem interea, quem adjungerem. Theſes meas tibi mittam, occaſione proximâ, quæ offeretur gratis abſque ſumptu. Sunt

enim

enim iſti Tabelliones petaces, inprimis ſi faſciculos ferant. Deus laborib. & valetudini tuæ clementer benedicat. Vale, Heid. 13. Januar.

H. V. D.
ſtudioſiſſ.
Quirinus Reuter D.

Clariſſimo Nobilitate literatâ, & virtute eximiâ Viro Dn. Melchiori Haminsfeldio Goldaſto, Polyhiſtori eruditiſſ., Dn. & amico pl. honorando.
Franckfurt.

CCXLVI.

Vir. Nob. & Clar. S.

INterim dum tuas avide exſpecto, fortè in manus ſumo Obſervationes Giſanianas, quas nobis comparandi cum noſtro exemplo ſubmiſeras, ego verò tum in morbo cubans condi juſſeram in arculis meis. Ibi detracto primo folio, video id ad me directum, & falſo me putaſſe, nihil à te adjectum fuiſſe literarum, ut tum putabam. Sed remora malè videtur ſe injicere huic negotio: & utinam tantum mihi temporis ſuppeteret, quo poſſem enotare ex noſtro exemplo quæ ibi alia & plura legerentur. Sed neſcio quibus laboribus ferè opprimar, me forte non ita planè ſemper dignis, quamvis noſtro lucroſis, cui præſertim petenti, haud audeo negare quicquam. Remora quæ imminet, paucis. Junior ille à Gieſſen nos prohibere vult, quamvis Piſtorius nobis exemplum miſerit & commiſerit, quod ſine ſuo conſenſu ait factum, & opus id magni æſtimat, minaturque, nos tracturus in jus, ſi quid tentemus, & me privatim ab ipſa Româ commonens. Sed quid mea? cui parum hîc metitur, immò nihil, quamvis feratur laborum pol abundè. ϗ ταῦτα πρός σε. De Barthianis ita ferè & ego putabam. Sed Rogo te quid ſit à Schotto, illis Collectitiis panegyricis. Poteſne reperire Typographum, qui tollere paratus ſit! Sic mihi ſpem ſane faciebas, quum apud te relinquerem: & ego

porrò

porrò abs te Schotto, cui id fore gratiſſimum cognovi. Videntur ſanè tanti. De tuis libris habeo magnam gratiam pro iſta facilitate tua. Athenæum rectè recepi. De Segheto mihi non minus mirum, ita plane de eo & ab eo ſilentium. Invenire alias utique poterat ſcribendi occaſionem. Neſcio qui mercatores dixere, eum jam in patria eſſe. Satyram iſtam Hercules tuam fidem, ſi non jam noſti, ſcias quartò jam imprimi Lugduni Batavorum, additâ aliâ cui titulus Virgula divina. Imprimunt & ibidem noſtri Heinſii poemata caſtigata & orationes. Quid jam moliaris, qui numquam ociolus es. Si commodum fuerit, & me edoce. Ego vix tam quid aggredior, quum neſcio qui minuti labores, alii interpellent ſubinde. Vale atque ſalveà Jungermanno tuo, adhuc ægrè claudicante, qui ſcripſit hæc a. d. 18. Kal. Jan. 1609.

Nob. & Clar. Viro
Dn. Melchiori Haimmsfeldio Goldaſto,
amico meo honorando.

Francofurti.

CCXLVII.

S. P.

SAtis me offendunt Typographorum tricæ, cum quibus, ſi ita pergunt, minus minuſque rei mihi deinceps erit. Quis eſt iſte meus in Donat: Conſt. Commentarius, quem iſte præſtolatur, niſi is, quem efflagitanti tradidi, quemque dudum excuſum videre ſperabam. Edat ergo ſi vult, vel ea forma, qua Monita Politica dum cætera decorè & emendatè. Ita cum ipſis Monitis, cum Heimburgicis, compingi poterit, neque abnuo, aliorum collectanea eidem dare, dum prius Româ (quod Auguſtæ procuravi) accipiam integram paginam è Vaticano, verſioni Pincernatis per columnas è regione opponendam. Interea Commentariolus, ille meus, (ut ſpero) diſtrahi, & ſecunda editio auctior & completior iſtis accedere poterit. Sed & annotata in Schedula curæ quæſo habe. Habeo &

 Henri-

Henrici conſtitutionem quam optas. Profiteberis unde. Chronica Aulæ Regiæ (Königsſaal) in Bohemia, cujus ſecundam partem in Bohemicis repræſentavi parte prima (quam jam demum nactus ſum, munere Principis Roſebergici, & Tomo altero Bohemicorum dabo) cap. CXVII. illam cum aliis ejus Imp. qui familia Lucelburgicus, Johannis Regis Bohemiæ Patre, legibus exhibet. Unde ſincere deſcriptam accipis.

Ad reliqua tuarum proximè. Jam enim occupatiſſimus te valere & ſalvere jubeo 27. Januarii 1609.

T.

M. Freherus.

Ubi Trimperg?

Si occaſio ſit, videre excuſa Tomorum tuorum Lat. & German. cupio.

MS Pet. de Vineis tuus, quem ab Herdeſiano habes, an per omnia cum editione Sim. Schardii convenit? Ego quidem habeo MS. quod & ordinem diverſum epiſtolarum & librorum, & altero tanto plura habet. Fac ſciam.

Monſieur Goldaſt de Hemmingsfeld, &c.
a Franckfort.

CCXLVIII.

S. P

CLariſſ. & Excell. V. Dn. & amice obſervande: Ante octiduum mihi ad tuas reſponſuro, Vœgelinus objecit remoram: qui pro ſua μεγαλοψυχία non aliis Conditionib. impreſſionem Dudicianorum recipere voluit, niſi his, quas ejus manu notatas hîc mitto. Num arrideant Petro Kopfio, quem amanter ſaluto, ex te cognoſcam. Ultimæ ſenſus eſt, me à Kopfio pecuniam accipere debere, & ſubducere de ære alieno, quod debet mihi Vœgelinus. Hoc mihi non diſplicebit, etſi cauſam non intelligo, cur ipſe non potius cum Kopfio tranſigat. Sed ut aperte dicam, ſi Kopfius has conditiones Vœgelini recuſet, ſtatim Schrammio opus tradat. Hunc urgebo, ut maturet. Et perſuaſurum me confido.

Lan-

Lancellotus hic ſua, quæ habet, vix abſolvet. Mitto theſes aliquot meas, quia putas aliquid eſſe noſtras meditationes. De libello ſingulari Thuani miratus ſum, quod ſcribis te non vidiſſe. Communicavit eum. Sed ſub fide ſilentii, quâ etiam præſtiti, ad lectionem amicus & fautor quidam tuus, idemque meus: à quo ſi poſſim extorquere, bonâ veniâ ejus tibi ſuggeram. In hoc plus non licet polliceri. Sed in ceteris omnia mea officia tibi ſpondeo. *Monita Politica* inſpexi: inſpexi: perplacent. Utiliſſimam ſanè navas operam Reipubl. Deus tibi ſufficiat vires, & benedicat copioſe. Vale. Scrib. τάχιστα. Heid. 3. Febr. 609.

T. E.
amantiſſ.
Quirinus Reuter. D.

Clariſſimo & Excellentiſſimo Viro, Dn. Melchiori Heminsfeldio Goldaſto, Polyhiſtori, Dn. & fautori ſuo pl. colendo.

Francfort.

CCXLIX.

S. P.

Reducatur numerus Epiſtolarum in charta ſcriptoria ſanè ad centum: Sed reſidua in vulgari charta. Vel fac ut poteris. De characteribus adquieſco. Tantum miſerè metuo meo ſcripto, tanto quod labore mihi ſtetit, ne in deſcribendo, ne in excudendo malè habeatur. Tu quæſo curam habe. Collectanea aliorum & ipſa habebit Kopfius, ſpondeo, modo Græcum textum Româ (ut ſpero) acceperim, parata ſunt omnia. Pirckeimeriana ex urbe Auguſta remiſi D. Remo & Rittershuſio (ut per eos relegatur & exploretur prout præſcripſi. Repetam librum ad nundinas deferendum, & Kopfio, ſi placet, mancipabo. Henrici VII. Imp. Leges duæ aliæ in eodem Cod. & cap. habentur, de *Crim. læſæ Majeſtatis*, eædem, quæ vulgò in extravag: - poſt uſus feudorum, præterea nullæ.

Sed expecto aliunde alia ejus generis. De Trimpergio, quæſo, ne curam deponas. Exſpecto cum deſiderio excuſa tua, & ſpecimen Conſtantini, cum erit cœptum. Ad Conradini Cæſ. epiſtolam, quæ incipit: *Ex habundantia cordis. &c.* annotas, ejus generis epiſtolas plures ſuper ea re, in tuo codice, quem à D. Petreio habes dono contineri. Significa quæſo, à quibus ad quos ſcriptæ, quæ ſingularum initia. Nam & ego in meo Petro de vineis, multa Conradini invenio ut appareat, ejus ætatem attigiſſe, gratum facies, & quæ in me erunt, expectabis. Vale dat. raptim 10. Febr. 1609.

T.

Freherus.

A Monſr. Goldaſt de Hamingsfeld, &c.
à Francfort.

CCL.

Nobiliſſ. Vir.

QUod hactenus non reſcripſi, non oblivione tui, aut tuorum beneficiorum factum puta. In eâ eſt, quod Tutor conſtitutus ſum abs Conſiliariis, hæredum Mengeri Archiprætoris Hanoviani. Gratias ago pro miſſo libro ingentes, relaturus ſi poſſum. De Generoſi mei benevolentia noli dubitare. Quod hactenus reſponſum non eſt, faciunt negotia infinita (de quibus coram) quæ faciunt ut animus diſtrahatur. Hoc ſcio, & verè ex ampliſſ. Camerarii ore tibi refero injunctum eſſe ipſi, ut inſecuturis nundinis egregium, & magni valoris poculum emat, quo tibi per me tradi poſſit. Hæc credas, & fidas certò. Vix credas quantis negotiis obrutus ſit noſter Dominus. Plura ſcriberem ſi vacaret. In dividundis enim bonis hæredum occupatiſſimi ſumus. Vale vir nobiliſſ. & prolixas à me brevi exſpectato litteras. Raptiſſ. inter undas negotior. 13. Sept. 1609.

Nobiliſſ. Ampl. T. obſerv.

J. R. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Goldaſto von Heiminsfeld 2c.
Dn. & Patrono colendo.
Franckfurt.

CCLI.

CCLI.

S. P.

PRæſtantiſſ. Vir, Dn. & amice obſervande: Cum Vœgelino noſtrò de *Duditianis imprimendis* amplius egi. Pollicetur ſe diligenter & pulcrè quamprimum opus aggredi & perficere velle, quot exemplaria D. Kopf, quem humaniſſimè ſaluto, velit; 1200 ipſe ſuadet; nullumque ſe retenturum, aut ſibi vendicaturum, ſed omnia Francofurti bona fide traditurum. Poſtulat für ein Ballen 8¾. fl. Er wolle auch eine lineam weiter drucken / als im nechſt geſchickten Format geweſen. Si igitur D. Kopfio perſuadeas aſſenſum, mitte quæſo cum iſto auriga exemplar Duditianum: atque etiam quæ promiſit Monita Principum. Velim etiam videre paginam unam aut alteram *Thuani veſtri*, ſi licet. Permittit etiam Vœgelinus, ut à P. Kopf accipiam omnem pecuniam, pro charta & impreſſione. Maturari editionem valde cupio. Tum poſſent nundinis proximis vendi cum Monitis. Sadoleti epiſtolas edi curavit Rhodius: In quibus una ad Genevenſes. Ego ante annum per Schramium (qui pluribus curis diſtractus nil jam mihi præſtabit) reſponſoriam epiſtolam Calvini ſimul junctam divulgavi. Sed interea nactus ſum epiſtolas alias Sadoleti & Sturmii, & hujus ad Latomum ἀμοιβαῖαι: dignæ certè, quæ edantur. Utinam tomo tuo majori poſſint inſeri. Quid fieri poſſit, tute ſcies. Sed epiſtolam flagitat auriga. Deus te diutiſſime ſoſpitet. Vale & ſalve à

Signat. 13. Feb.

T. D.
Studioſiſſ.
Quirino Reuter D.

Nobilitate, doctrina & virtute præſtantiſſimo V. Dn. Melchiori Hamingsfeldio Goldaſto, Polyhiſtori amico cariſſ. & honorando.
Franckfurt
Jn den 3. Saukopffen zuerfragen.

CCLII.

S. P.

ACcepi *Monita tua*, mi Clar. Vir. & ſuum D. Bokſtadio exemplar tuo nomine tranſmiſi, Magnas habeo gratias de iſto munere: cujus fructum uberrimum ſpero. *Dudithiana* differri in æſtatem facile patior. Juvenis iſte Petrus Heibach, ſi tuo auxilio Correctoris munus in aliquo Typographeo nanciſci poſſet, ei gratum officium præſtiteris. Quærit enim conditionem; ingenio & doctrinâ mediocri cum ſit, aliquid præſtare poteſt.

M *Freherus* abeſt Wormatiæ ob publicam conſultationem *de re monetaria.* Quam primum redierit, pagellas abs te miſſas, (reſiduum nempe Monitorum) ei coram reddam. Cum D. Lingelsheimio dudum nil locutus ſum. Improbavit quidem, notas abs te Thuano attexi: Sed dubitabam, an ſerio, (nec enim deerant, qui dici ſolum in ſpeciem ſuſpicabantur). Tuam vero diligentiam hactenus laudavit. Sed de his aliâs, ſi forte ad nos venias, ut ſpero. Deus tibi vires animi & corporis augeat & firmet ad communem uſum. Vale & ſalve in Domino. Scrib. Heid. 24. Febr. Anno 1609.

T. H.

Quirinus à Reuter D.

Nobilitate & omni doctrina Clariſſimo Viro,
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Polyhiſtori Dn. & fautori obſervando.
Franckfurt.

CCLIII.

S. P.

JAm modo redeo Wormatia è Comitiis Monetalibus cæptis 12. Febru. heri finitis, & viſâ epiſtolâ tuâ, elapſo quidem Tabellario ordinario, tamen per iſtam fortuitam occaſionem mitto figuras numiſm: Conſtitut. quibus Kopfius arbitratu boni Viri uteretur. Miror, cur D. Camerarius noſtras commentationes integras

ſuis

ſuis rapſodiis inſerere velit. Malim non fieri, cùm in mea multa mutaverim. Vidi ipſius expoſitionem ante aliquot annos mihi communicatam, quæ ut placuerit, dicere nil attinet. Gretſero certè, qui Scaligerum & me, una fidelia dealbavit, ludibrium debebit Sed eant iſta. Plauti novam editionem parari vides, quam exhibuit, mihi in Vangionibus Pareus junior, qui Conrector eſt Neuhuſii, homo certe diligens & ingenioſus. Si quid habes, ſuppeditare, monere, ſuggerere, grata & illi feceris & mihi, & Patri ejus D. Paræo, Viro certè (meo judicio) magno & benè merito. Ad alia tuarum præcedentium, quæ reviſam, proximè cum cura reſpondebo, ubi reſpiravero. Jam enim certè occupatus & languidus. Dat. raptim nocte ipſa 24. Febr. 1609.

T. Freherus.

A Monſieur de Goldaſt
Franckfort.

CCLIV.

S. D. P.

SCripſit ad me Copſius noſter, Vir præſtantiſſime, unaque miſit ſcriptum, & judicium tuum præclarum, imò præclariſſimum, de me & meis laboribus, prioribus & recentibus, ut poſt præfationem & Rittershuſianas commendationes, edatur, quod profectò non tantum propter elogia, & laudes meæ perſonæ, & mearum operarum, ſed multò magis ob ſingularem tuum erga me affectum, & propenſionem animi, & quidem præter ullum meum meritum, magna cum voluptate legi. Agerem ſanè, ſicut par eſſet, tibi gratias, quod ita meas laudes accumulas, ſed vereor, ne laudes ipſæ, quibus me afficis, fidem perdant, ſi pro iis tibi gratias agam, quaſi debeam, qualique veræ laudes ſint: Nam pro veris hoc eſt, pro ſuis laudib. nemo cuique debet. Quis enim pro ſuo debeat? Cæterum mihi non minus tuæ gratæ ſunt laudes, licet alienæ, quam ſi meæ laudes forent. Ideoque pro iis tibi ago gratias ingentes, relaturus quoque ſi dabitur occaſio. Si itaque in fronte tertiæ Centuriæ, poſt Rittershuſianas te cupiente, adjicere debeant,

beant, eas accipio, & mihi attribuo, non ſimpliciter, ſed ut cum repetita cautione inſerantur. Hoc quidem modo, ſi tibi non improbatur. HANC SEQUENTEM EPISTOLAM, poſtquam præcedentia prælo ſubjecta fuere, à præſtantiſſ. Viro (cujus nomen adſcriptum eſt) mihi dedicatam, atque inſcriptam, ut ederetur, & ſic Serotinam ad me miſſam accepi: Quæ quidem non minus ac Rittershuſiana una cum commendatione D. D. Georgii Remi noſtri. In opus reſſellatum operarum &c. mihi grata fuit, & eo gratior, quod in meas laudes tam liberales ex ſpontanea benevolentia, atque candido animo, me ignorante, profectæ ſunt, ne fortè videri poſſim me veluti ſuſpensâ hedera, præcones allexiſſe, & emendicatis ſuffragiis, ut Juris Conſulti loquuntur, uti velle iiſque delectari. Quare utrumque non purè, ſed cum cautione & conditione in præfatione indicata, tanquam meas accipio, petoque ut Lectores ſimiliter faciant; & quæ candidè & amicè facta ſunt, in optimam partem interpretari velint.

Alterum eſt, quod ſcire cupiam, quis Theologus Hiſpanus ſit, ex Jeſuitica Secta, qui nihil in me, præter religionis opinionem deſiderat. Primum enim eſt, quod audio, (nam eorum libros plerumque contentioſos legere non ſoleo) me illi ſanctulo homini, commendatum eſſe, licet quod me potiſſ. commendet, illi non ſapiat. Tertiò quod de Colero, & Scioppio ſcribis, & judicas, mihi (pace tua dexerim) nimis rigoroſum & præcox videtur. Quis ſcit enim, utrum ex illis operariis recenſeri poſſint, qui poſtrema hora in Vineam Domini conducti ſint? Pœnitentia enim, ſicut B. Auguſtinus monet, vera, nunquam ſera, ſicut in Latrone cum Chriſto crucifixo exemplum habemus. Et venit mihi in mentem nonnullis prudentibus viris, diſplicuiſſe in Epigrammate quodam judiciũ doctisſimi Viri, de Lipſii condemnatione, licet obſcurum, ex ejus ſcriptis & Teſtamento non ſit, cui Deæ vel Divæ animam & ſalutem ſuam commendaverit. Quid ſi Scioppius, pertæſus ſuæ Apoſtaſiæ, ante obitum reſipiſceret? Miſericordiæ enim Domini ſunt infinitæ. Hæc bono animo ad te ſcribere volui, ne adverſariis præbeatur occaſio commoda obtrectandi, quam quidem in meis libris vitavi, quantum

potui.

Poteris igitur, ſi grave non erit, in duobus tuis olim Præceptoribus, rigorem illum, ſi non planè omittere attamen mollioribus verbis mitigare. Hæc accinctus ad iter quoddam, Reipub. noſtræ cauſa ſuſcipiendum, paucis ad tuam Epiſtolam, quam meæ cenſuræ ſubjicis, reſpondere, eamque remittere volui, ut cum cæteris tempeſtivè prælo ſubjici poſſit. Tu verò, vir præſtantiſſ. mihi hanc tuam peculiarem benevolentiam, in poſterum conſerves certoque ſtatuas, me ſuo tempore præſtito, amoris mei & obſervantiæ cum reali grati animi ſignificatione, tui nominis & dignitatis ſtudioſiſſ. eſſe, & talem deinceps permanſurum. Vale feliciter. 18. die Febr. An. 1609.

T.

Philipp. Camerarius D.

Præſtantiſſimo & doctiſſimo Viro,
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico meo obſervando &c.

Franckfurt am Mayn/
Bey Hn. Peter Kopffen zuerfragen.

CCLV.

S. P.

Monita de Papæ nimia potentia, tibi me debere accepta, ex manu tua inſcriptionis agnovi: gratias habeo ac agnovi mei quoque te memorem fuiſſe in ea particula quam olim mihi miſeras legendam, epiſtola nempe Perronii Cardinalis. Eandem Gallicè excuſam vidi in volumine Epiſtolarum Amatoriarum & civilium Lutetiæ nuper excuſo, ut de fide epiſtolæ dubitari non poſſit. Sed tu cave crabrones nimium irrites. Nuper de te ſermo incidit & apud Dn. Cancellarium, qui tibi apud nos proſpectum cuperet dixi quæ virtus tua meretur. Mitto tibi *Epigrammata* non omnia inſulſa in *parricidium Papæ*, ſapient quædam opinor, & ad guſtum tuum erunt. *Thuani* prodibunt jam priora tantum correctiora, non auctiora, magna forma & quam vocant, duodecima. *Henricus III. ejus* ſub prælo eſt. Ejuſdem vidi ad Cram-

ben addita Violam, Lilium & Epigrammata quædam, regiâ formâ. *Polybius Caſauboni* non prodibit his nundinis, eò quod indices abſolvi non potuerunt. *Pareus filius* Plautum edit, mirum ni Scaliger peccatum ſuum in Patrem commiſſum luere cogatur. Sed ille felix cum gloria ob merita in rem litterariam vitam laudabiliter finiit: & boni grates ipſi referent, quamdiu litteræ vigebunt. Vive valeque Vir Clariſſime. Heidelberg. 2. Mart. 1609.

T.

Omni ſtudio & amore

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte, &c.
à Francfort.

CCLVI.

V. Nobil. & Clariſſ.

D. MELCHIORI HAIMINSFELD. GOLDASTO

S. P. D.

Gothofredus Jungermannus.

SErius tuis, & quidem præter inſtitutum meum, amice nobil. reſpondeo, cujus moræ me veniam abs te ſpero conſequuturum facilius, quod non ignorem tuas occupationes tales eſſe, quæ crebras litteras atq; ſalutationes ſpernunt. De obſervationibus verò Giſanianis ita forte eſt, ut ſcribis, & excuſæ jam forent, ſi non æſtatis prioris anni tempore partim feriati fuiſſemus, dein verò ob alia opera, quorum editionem præverten dam potius putabat Marnius, locus iſtis non fuit. Jam ille neſcatus à Zeznero, ut arbitror, inhiat pretio, quod ſi noſter ille quoq; dederit, librum credo obtinebit facile. Putat vero ſibi theſaurum repoſitum à parente ſuo, in hiſce conſarcinatis ſcedis ille junior à Gieſſen, & ait ſe omnium operum poſthumorum patris illum librum habere optimũ, cui tn. multum certè deeſt ad perfectionem. Adverſaria ſunt, nec vivus Giſanius ſic ederet. Quicquid ſit, ego nolim lites: & ſcripſi prolixe ad Dn. à Gieſſen, ita tn. ut teſtarer à me nil præſcriptum Marnio, cui etiam litteras antea legendas dedi. Quid n. mea intereſt? niſi quod in ejuſm.

cento-

centonibus eò plus tædii & rixarum inter corrigendum reſtet,& ut ipſe aliquid in meis elimem excludar. Monui aliàs quàm malè erit actum, ſi conſutæ iſtæ chartæ in alicujus indiligentis Typographi vel imperiti Correctoris manus ſint deventuræ. De Panegyriſtis Belgis audivi lubens, & indicabo Schotto, qui quidem Vir (ut id obiter injiciam) ſolus eſt qui mihi ex iſto Sodalitio amore non indignus videtur, ita aliorum videtur diſſimilis. De Pflugio itane eſt? Caveamus ab iſtiuſm. Vertumnis. Quum æſtate præterita hac tranſibat, memini inter alia mihi notaſſe eum, ſi non à te alieniorem, tamen tibi quoque non favere. Lacrimæ illæ inde, ut ſtatim ſe prodebat, quod Schoppium editione Priapeiorum male nimis affeciſſes. Egoque noſtrorum hominum putans, ob Scaligerum ruſticius Schoppium taxavi, & vidi ipſum defenſionem iſtius ſacerrimi hominum ſuſcipere, quamvis modeſtè, ut qui mecum tum primum familiaritatem contraheret. Hîc inter alia dixit eſſe quædam χρονικὰ ἁμαρτήματα in tuis neſcio an Rationali an Imperatoriis, nam neutrum adhuc mihi inſpectum, qui ea non habeo. Et de his puto me tibi jam in nundinis dixiſſe, ubi ille profectò erga me & Gruterum noſtrum omnino ſe ſimulabat alieniſſ. à pontificia religione. Sed hæc ad te privatim. Quid enim mea, ſive illi apertè ut Schoppius facere cœpit adulentur, ſive clam ſectentur Culinas ditiores? Nos inter nos amemus & bonas litteras, ob quas amare cœpimus, excolamus, ego pro tenuitate mea, tu & alii pro ſua copia & opibus. Iſti ſiniſtri homines valeant, delectenturque ita inclareſcere per publicam, ut inſtitere infamiam. Sed ecce, diutius garrio, quum tamen mihi vix ſcribere liceat, & tu multa non libens legas. Scaligeri obitum lugens cognovi dudum. De Petronio gaudeo, ad quem & ego quaſdam minutias olim obſervabam, ſed inanes & nihili. Barthiana Ablegmina hîc cudet nemo, nec ego noſtrum urgeam, quem particulones juniores ab imprimendo, vel vi abſtinere tandem volunt, ajuntque ipſi nimirum ſapientiores longè, quod multa excudat quæ non diſtrahantur. Doce me de Raphaele Regio, & Raphaele Volaterrano, unus ne an duo fuerint. Ita-

lus quidam Comm. rerũ urbanarum laudat ſub nomine Raph. Regius. Simlerus ſanè diverſos facit, ſed non ſatisfacit. Claudus meus per me in nundinis hîc detinebit, quod non omnino patienter ferre potero, ferendum tamen erit. Vale atque ſalve. Raptim Hanoviæ è Typographio VVecheliano poſtrid. Kal. Mart. 1609.

Viro Nob. & Clariſſ
DN. MELIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO,
amico meo honorando.
Franckfurt.

CCLVII.

S. D. P.

COgnovi ex litteris tuis, ſcriptis 22. Januarii, quas heri demum Elcovia accepi, meas per Fermundum, quas ad Francofordianas autumnales tuas ſcripſeram, redditas tibi non eſſe. Itaque paucis repeto illarum argumentum. Scriptæ autem erant 2. Decembr, anni præteriti. Decreta de cultu Imaginum & Julii Belli Hermetem, reddidit Wolphius: pro quibus ſanè maximas tibi gratias ago, operam ſedulo daturus, ut accipias, Διος μεγάλειο ἕκητι, ſuo tempore ἀντίδωρον Commentariolum in Pſalmum tibi redditum, & probari, & curæ eſſe, ut in aſpectum ac lucem proferatur, non tam mei cauſâ lætor vehementer, quam etiam venerandi Leemanni noſtri, Senis octogen[illegible] homine; quem in hac παρακμῇ ætatis maximopere e[illegible]. Hunc certo proditurum ad nundinas, ſpem ultimæ tuæ mihi fecerunt; ac proinde majori lætitia affecerunt. Menſuras ad finem perduxi, Deo juvante: quas mittam ad nundinas prox[illegible] certò vel ad te, vel ad Dn. Vœgelinum noſtrum; qui liberaliſſimè offert operam ſuam. Si animadvertero, commentariolum in pſalm. CX. doctis non diſplicere, ſimilem aut ſimiles in univerſos Pſalmos concinnare conabor, ἐάν περ ἐπιτρέπει ὁ Θεος. Si otium ſuppetit, mittam & notas in Rutham; quas ut promoveas itidem, te per amicitiam & per amorem obſecrabo. In altero epigrammatum meorum, quæ extant in bellum Papiſticum Springlii, non recordor rectè, an ſcriptum ſit in quinto. ultimo verſu

cœtus

Coetus vel *Coetum*. Itaque ſi *Coetum* habeatur, emenda quæſo, & ſcribe *Coetus* Ut integer verſus ſic ſonet. Nempe Dei cætus falſo, diſcrimine quanto. Abſit, &c. Hoc ut emendare ne oblivíſcaris, etiam atque etiam te rogo. *Commentarium Remigii in ſomnium Scipionis Macrobianum* M. S. in Bibliotheca noſtra extare, negavit Friſius Bibliothecarius: & ita eſſe, ex bibliothecæ Catalogo, quem ea propter expoſtulabam, cognovi ſatis. Aliorum indicem mittam ad nundinas: è quibus ipſe eliges, quos tibi deſcribendos velis.

De publicis aliquid ſcire aves? En tranquilla omnia ſunt, Dei beneficio: niſi quod infuturis, quando celebrentur, Comitiis, acris inſtituetur expoſtulatio mutua inter Baſilienſes & Lucernates de Fuſo Surſeji ſanguine humano; eoque Chriſtiano. Gliſcit interea magna animorum exacerbatio utrinque. His accedit pertinax deſiderium Friburgenſium partiendi præfecturas communes; quas haud partitas volunt Bernenſes, bonæ cauſſæ fidentes, & fœderibus confirmatis, juribusque civitatis freti, extrema quæque exſpectantes, quam ut indulgentiâ ſuâ permittant, Antichriſti jugum denuò illis imponi, qui benignâ Dei manu, & ampliſſimâ majorum authoritate, prudentiâ ac fortitudine ab eodem ſemel liberati fuere. In Valleſia factio Hiſpanica, niſi Regis Galliarum Legatus, aliique boni viri fortiter reſiſtentes neceſſaria impedimenta injecerint, tandem judicatur impetratura quod petit, nempe fœderis novi confirmationem, quod Deus avertat. Genevenſi Magiſtratui non ita pridem abſtulerunt Sabaudi proventum ex duob. Pagis Armoy & Draillan, contra expreſſum pacis de hac re articulum. Quæ cauſſa, cur ſint ſemper in excubiis, & in munienda magis magiſque urbe diligentiſſimè laborent.

Apud Rhætos Antiſtes Curienſis etiamnum exulat, & non jam minis, quinque pagos eorum, ut ante, ſed blanditiis ſui reſtitutionē ſollicitat, nihil tamen hactenus profecit. Laboratur nunc vehementer de ejus reipub. labentis & inclinatæ ſtatu inſtaurando per viros prudentes & patriæ amantes: deputatique ſunt ad eam rem ſex politici, & terni Eccleſiaſtici ordinis Viri, qui tolerabilem aliquam Reip. formam plebi præmonſtrant, quam hæc poſtea ratam habeat & confirmet, ſi ac-

 ceptan-

ceptanda videatur. Arduum hoc ſanè negotium eſt, & in eorum capita caſurum, qui omnia fortaſſis quàm optimè reformata volunt.

Vides quo loco ſimus, lubrico nimirum & ancipiti valde: & periculoſiori; quo Lojolitæ noſtri, quibus circumſepti ſumus, majora ſubinde monſtra alunt, & eniti conantur. Vale, nobiliſſime & amiciſſime Vir, & me, quod ſtrenuè facis, amare pergito, mea ſtudia, quantilla ſunt, promoveto: quod per Typographos veſtrates, quibus hîc deſtituimur, niſi labores noſtros maximi emere velimus, egregiè præſtare poteris. Reſalutant te peramanter Collegæ mei, Leemannus, Friſius, Beumlerus, Hoſpinianus, Simlerus, alii q; amici: itemq; uxor mea. Tiguro. 3. d. Mart. 1609.

Tuus ex fide fidâ, omni amore & obſequio.

Caſpar VVaſerus.

Nob. & Clariſſ. Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico meo ſummopere colendo.

Francofurti ad Mœnum.
Im dem Carmeliter Cloſter zuerfragen.

CCLVIII.

S. P.

PRioris tui negotium (de quo in ſuperioribus tuis literis) egi cum fide, apud Dn. Cancellarium, Lingelshemium, & alios. Nulli non doleret, rimam ullam aperiri iſti Progeniei viperinæ Giezitarum. Sed modus impediendi adhuc nobis ignotus: cum de Protectione iſta à Friderico II. Pal. ſuſcepta nihildum nobis conſtet, & Senatus Oppidani veſtri nimia à nobis alienatio conjunctionis comodum, & bonum Publicum impediat. Scribe amplius, mitte exempla diplomatum protectionis, quæ in archivis à regiſtratoribus adhuc inquiruntur, nulla repeririuntur. Quin & Prior ipſe ad Electorem Sereniſſimum, liberè referat: erit ei ſine fraude. Et de hoc forte coram proximis nundinis commodius inter nos agemus, quam per litteras, ut & de farragine illa diplomatum apud Dn. VVeiſſium, de qua ipſe Dn. Cancellarius

tibi

ſibi reſcribet, vel mihi mandatum dabit. Velim noſſe virum, cujus uxor Nic. Ziegleri Dni. in Bair Neptis, priorem uxorem meam propinqua cognatione attigerat, ut latius coram.

Conſtantiniana an adhuc abſolventur, & ex voto, i. mundè, emendatè, nitidè? apponatur ſanè, ſi hoc ſolum moratur, nomen meum epiſtolæ, ad Ducem Venetum, in fine ſimpliciſſimè.

M. Freherus.

Quando & per notas tuas in conſtitutiones ſub Ottone III. id jam innotuit. Nec cælare mea meum eſt. *Mittam proximè Deciſionem Areopagiticarum quaſdam*, quam Bryani Sulpitio addant, imò præponant. Res paucorum foliorum. Interea vale. Dat. rapt. Heid. 10. Mart. 1609.

A Monſr. Goldaſt de Hamingsfeld, &c. à Francfort.

CCLIX.

S. P.

Litteræ tuæ, Vir Nobiliſſ. & amiciſſime, ſcriptæ ad VII. Eid. Febr. demum nudius tertius mihi ſunt redditæ, quum mercatorum noſtrorum merces omnes hinc jam ſolviſſent. Unde Bullingerus noſter, novam tergiverſandi ſumpſit occaſionem. Pedites enim librum ſatis grandem ſecum portare gravabantur. Conditiones deinde, quas te ratas velle ſcribis, magis abs te expreſſas voluiſſet. Quæ cauſſa, cur prolixas admodum ad te dare pollicitus ſit, ut explicatius mentem tuam intelligat. Tum omnino exemplar ſe miſſurum, denuo & iterum pollicetur.

An facturus ſit, certè te certum facere non poſſum. Nam valdè ſubinde ſcrupulatur, & neſcio quos terrores ſibi imaginatur. Ego feci, quod potui, & quod tuo nomine debui facere. Facies tu jam, quod pro prudentia tua factu opus judicaveris, ubi legeris ejusmet litteras. His quidem nundinis tibi gratificeri non potuiſſe, ſanè doleo & vehementer doleo: & vehementius doleo; quod, de ejus verbis, tibi ſpem feci tam certam. Verùm, pro comitate & hu-

& humanitate tua in me veteri, & hucuſque egregiè perpetuatâ, ſpero excuſatum me certò habebis.

Quod ſupereſt, etiam atque etiam te rogo, velis Analyſin meam recipere a Palthenio, & involutam chartâ inſcribere Dn. Johanni Heinrico Alſtedio, Profeſſori Herbornenſi, & faſciculum tradere, Chriſtophoro Corvino, Typographo, ejus Socero. De hac enim illi ſcripſi. Pro labore interim tuo, gratias tibi ago maximas, & immortales.

Velim deinde te emere D. Proſperi Aquitanici Epiſcopi Rhegienſis opera, Coloniæ apud Joh. Crithium. in 8vo. Item, Similitudines biblicas, quæ adagiorum vicem obtinent: nec non earum paralipomena, per M. Joach. Zehnerum, Lipſ. in 4to. Pecuniam tibi ſuppeditabit Dn. Felix Orellus, cui libros etiam trades: cum quo hic locutus ſum. Sed te notare velim, me habere Adagia ſacra, ſive proverbia ſcripturæ ex univerſo Bibliorum codice, ejuſdem authoris.

Si igitur ſimilitudines Biblicæ, eadem illa adagia eſſent, non niſi paralipomena abs te emi poſſent. Quæſo ignoſce, tibi tantam ſubinde moleſtiam adſpergenti. Præmiolum laboris accipe his nundinis à Vœgelino menſuras meas: à Dn. V Volphio verò noſtro Mithridatem Geſneri, & Plagam regiam. Σφαλματα, quæ irrepſerunt, in Mithridate potiſſimum, pro amore & candore tuo tolle aut tolera. Apud Commelinum inquire, quanti vendatur Clemens Alexandrinus Græcus, &, obſecro pretium ſignifica. Adde etiam Augerii Busbequii epiſtolas quatuor, Legationis Turcicæ: & Ænigmatum Pincieri libros 3. apud Corvinum.

A Jove Romano, Imperialia tua tacta eſſe, non mirum: quum idem pro confidentia ſua intolerabili, in id totus nunc incumbat, ut Electuræ dignitatem transferat à Marchionibus Brandeburgicis, ad Duces Bavariæ: qui & apud Poloniæ Regem vehementer inſtat, ut Marchionibus, illis in Boruſſia negotium faceſſat, quo diſtrahantur, & minus efficaciter incumbere poſſint negotio Julıacenſi. Non enim ex re Eccleſiæ ſuæ, & Imperii rationibus putat futurum, ſi hære-

hæreticæ iſtæ familiæ in Regionibus Rhenanis rerum potiantur. Die Pfaffen Gaſſen / werde eine ſchändliche Lucke bekommen.

Apud nos, in Helvetiis conſcripta ſunt ſex millia peditum, auſpiciis Regis Gallorum; qui intra octiduum hinc ſolvent in Burgundiam, à Sanct Jean de Laune. Inde per Galliam concedent ad confinia provinciarum controverſarum, pro Principibus duob. Hæredipetis. Dicitur & Hiſpanus ab Helvetiis Pontificiis petere auxilia, vexilla nimirum triginta. Miror ego, quomodo id erga Papam excuſaturi ſint illi: qui tum Gallo, tum Hiſpano, idque in diverſum finem, auxilia mittunt. Sed diſpenſator eſt Papa: Der ſchlimmere Ding hat gerad gemacht. Qui proinde hæc etiam facilè Conciliare poterit. Dn. Caſaubonum pro conſecratione & inſcriptione Polybii à Rege βασιλικῶς donatum mille aureis intelligo. Utinam multi tales exiſtant Mæcenates! Tandem rogatum te velim ſummopere, ut durantib. his nundinis, inquiras apud Franciſcum Raphelengium, vel qui ejus Typographiæ jam eſt curator, aut poſſeſſor. An, ſi meam ad nundinas autumnales mitterem Inſtitutionem Syriacam, repurgatam ab infinitis mendis, correctam, & auctam, cum præceptis, tum analyſi Cantici Mariæ, aut alterius capitis, eam Syriacis Characteribus qui eo in Typographeio exſtant, eleganter imprimere velit: & quibus nam conditionibus judicarem opuſculum bene diſtractum iri, quum ut recognoſcerem, à multis rogatus fuerim. Vale, Vir excellentiſſime, & viciſſim impera, ſi qua re tibi me gratificari poſſe putabis. Subito has ſcripſi. Tiguri 18. d Matt. 1610.

Tuus ex fide fidâ

Caſp. VVaſerus.

Nobiliſſimo & Excellentiſſimo Viro, Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto, Domino & amico meo ſumme colendo.

Franckfurt.

CCLX.

Salutem & proſperitatem cum omni gratitudinis ac benevolentiæ oblatione. P.

GRatiſſimæ fuêre Tuæ, Haimenfeldi generoſiſſime literæ; cum quia P.T. vigentem recteque valentem intelligamus; tum quia iſthic præclara ingenia, non tantum eruditione; Sed etiam omni humanitate & benevolentia excultiſſima offendamus. Adamantem, redamo, & me ſolum T. P. tuiſque commodis offerro &c. *Vvlfeldii* Patris *hodoporicon*, filii jam dudum videre. De nova editione, quàm meditaris, propter hyemem, Regis & ipſourm Abſentiam nihil adhuc conſtituimus. Sed non dubium, quin boni cum bonis, bene agant, Et Tæ. Pæ in illuſtranda eorum Domo & Familia operam & induſtriam magnifacient. Regia Majeſt. apud Cimbros hybernavit: & ideo nos à ſtrepitu ac tumultu iſto aulico remoti: non aſſidue proceres nobiſcum habemus. Sed quamprimum occaſionem videro, eos de V. P. Conſilio certiores reddam, eorumque ſuffragia vobis communicabo. Antiquitates quas ad hunc Mercatum ſperaſſem publ. me facturum juris, nec edere, nec aliò transmittere licet; Regis & Cancellarii non requiſito conſilio. Tanta apud nos ſummi Magiſtratus cura in excudendis libris. Omnia itaque in horum reditum ſuſpendenda &c. Interim mitto Leges Provinciales Schandicas, opera & ſtudio nobiliſſimi Arvidi Hvvitfeldii Regni Danici Senatoris & Cancellarii prudentiſſ., non adeo pridem in lucem miſſas. Habemus præterea Terræ & oceani, Eccleſiaſtica & Civilia jura ſcripta; Novellas, Conſtitutiones, decreta, Privilegia, quæ omnia in unum Corpus redigere jam dudum cepimus, quorum diſpoſitionis Oeconomiam ad proximas nundinas communicabo. Interim Danica quædam mittimus, Abſolonis Archiepiſcopi (cujus fax in poſtremis libris præclaram ſæpius facit mentionem) genealogiam abſolutam. Et quamvis eam vix intelliges, literam tamen & dialectum grata futura ſperamus. Proximo anno Chronicon Grenlandicum Danicè, in

in publ. rudiorum ac indoctiorum uſum emiſi; illud addidiſſem, ſi non ſarcina nimium corruiſſet. Sed ſi in linguæ cognitione, aliquid promoveris, plura dabimus. De T. P. rebus ac ſtudiis oro, ut me certiorem facias, & ſi qua in parte me hîc loci T. P. commodis profuturum videris; me ut amico & cliente ſemper fruitor. Vale ergo Haimenfeldi clariſſ. & vide, ut Deo, Muſis & Hiſtoriis diutiſſime vivas & vigeas. Herſolgæ Seelandorum 6. Martii 1609.

T. T.

Claud. Chriſtophorus, Eccleſiæ Herſolg. Paſt. & Præp.

Clariſſ. Viro Nobilitate, eruditione & virtute præſtantiſſ.
DN. MELCHIORI HAIMINSFELDIO
Philoſopho, Juriſconſulto & Hiſtorico celeberrimo,
Dn. & amico longè ſuaviſſimo.

Francofurti
Apud Carmelitas.

CCLXI.

S. P. D.

AD litteras tuas, quas è nundinis autumnalibus ad me exarâſti, Vir Nobiliſſime & amiciſſime, reſcripſi 2. Decembris, anno ſuperiore: in quibus gratias egi tibi pro muneribus, quæ miſiſti, Decretis nimirum de Cultu, & Hermete Julii Belli, egregiis ſane operibus. Idem nunc quoque facio, quum dubitem, priores illæ num redditæ tibi ſint. Ad poſteriores, quas ſcripſiſti 22. Januari hoc anno, Reſcripſi 3. Martii. *Commentarius Remigii in Somnium Scipionis* apud nos non extat. Nam de eo in Catalogo Bibliothecæ, quem apud me habui, jamdiu diligenter inquiſivi, ſed fruſtra. Si alia opuſcula ſint, quæ deſcripta velis, & in noſtra Bibliotheca exſtent, dabo operam, ut, ſi nomina eorum mihi ſignifices tibi ſatisfiat.

Analyſis mea in Pſalmum CX. ſi excuſa ſit, mitte quæſo exempla viginti aut viginti quinque, & pretium eorum à Typographo noſtro, Joh. Rodolpho Wolphio exquire, ac trade Palthenio, niſi velit dimidiam partem præmii loco mihi dare. Menſuras miſi ad Vœgelinum noſtrum, qui impreſſionem earum in ſe recepit ſponte: ut & Elementale meum Chaldaicum; cujus itidem editionem ſpondet. Commentariolum in Ruth nondum abſolvi. Abſolutum dabo in nundinis proximis, ἐάνπερ ἐπιτρέπει ὁ Θεός. Pro injecto folio primo Decretorum, tam lacero, ut vides, ita Francofurto ad me perlato, quæſo mitte aliud, & integrum, adjunctum nimirum exemplaribus analyſeos in Pſalmum. Publica apud nos eodem loco ſunt, quo fuerunt nuper, quum ultimas ad te darem. Bernenſibus lis eſt cum Friburgenſibus ob partitionem communium præfecturarum, quas illi partiri nolunt, nec poſſunt ſalvâ conſcientiâ: Lucernenſibus lis eſt cum Baſilienſibus, ob fuſum ſanguinem humanum, eumque Chriſtianum: Rhætis res cum labentis & inclinatæ reipublicæ reformatione: Bienenſibus cum Epiſcopo. Quæ omnia ad proxima Comitia Badenſia, ſi fieri poteſt, decidentur. Negotium Genevenſibus eſt cum Sabaudo; qui antiquum obtinet. Illi igitur ſaluti ſuæ ſedulò invigilant: nec intermittunt quidquam quod ad urbis & libertatis ſuæ propugnationem ſit neceſſarium. In Turgovia præſules Pontificii ſupra modum inſolentes ſunt, cum in omnes Orthodoxos, tum in Paſtores potiſſimum, quos vel leviſſimis de cauſis, vel nequiter confictis, conditionibus ſuis remotos cupiunt, & nituntur. Sed per Dei gratiam tanta eſt ampliſſimi Magiſtratus noſtri fortitudo & conſtantia, ut hactenus parum effecerint. De Epiſcopi Cella nihil ſiniſtri audio, ut & de Conſtantia; niſi quod Jeſuitæ in hac triumphant majorem in modum, magnâ civium moleſtiâ. Vereor ne univerſæ adeò Helvetiæ moleſtias periculaque graviſſima tandem creaturi ſint, niſi peſſulum eis obdat Jehova, Dominus exercituum, moderator & arbiter orbis: cui te, mi Nobiliſſ. Vir, amice perobſervande, comendo, ex animo. Reverendi

Syn-

Symmyſtæ mei, Dn. Leemannus, Beumlerus, Hoſpinianus, Friſius, alii noſtri amici, ſalutem tibi plurimam adſcribunt.

Tiguro. 18. Mart. 1609.

Tuus ex animo

Caſp. Waſerus.

Nobiliſſ. & Clariſſimo Viro,
Dn. Melchiori Haminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico Pyladeio.

Francofurtum ad Mœnum.

CCLXII.

S. P.

Singulari tua benevolentia, Vir Excell. confiſus; abs te petere non dubito, ut *filium meum Davidem*, amicis aliquibus in patria *Commendare* velis. Eum enim cum iſto ſtudioſo Jacobo Laurentio Amſtelrodamenſi, bono juvene, Baſileam & Genevam mittere conſtitui. Sanctgallenſis Schola, Abbatia, Bibliotheca & Reſpubl. celeberrima ſanè viſu digna: Si tuâ commendatione filio meo & comitibus pateat ad aſpectum: de ipſis optimè mereberis. Literas autem iſti latori Jacobo Laurentio, qui morabitur iſthic ad Paſcha, tradere poteris. De aliis proximè. Vale & Salve, mi honorande Domine. Scrib. raptim Heidelb. 29. Martii 1609.

N. T. D.

colens

Quirinus à Reuter D.

Nobilitate, virtute & doctrina præſtanti V.
Dn. Melchiori Haminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico plurimum obſervando.

Franckfurt
Bey Peter Kopf zuerfragen.

CCLXIII.

S. Vir. Nobiliſſ. & Cl.

IGnoſce, quod non citius reſcripſerim. Eo fato numquam non utor, quum adpropinquant nundinæ, ut laboribus tantum non opprimar. Non prius nempe video, me ex facilitate plus in me recepiſſe, quam vel otioſus poſſem præſtare, nedum tot modis occupatus. Nec ulli ideo amicorum hebdomada præterita licuit reſpondere. Sed diſceſſus tuus mihi diffidentiæ eſt. Lenius tamen poſſe ferre videro, ſi non nimis longo intervallo disjungamur. Quod quidem non addidiſti, ego verò, ſi tibi moleſtum non eſt, intelligere cupio. Libros tuos remitto iſtos, *Æſchylum utrumque* (Stephaniano Utinam licuiſſet amplius uti) *Stephanum*, *Ariſtophanem*, & *Hephæſtionem tuum*, quem ultimum & Stephanum ſi noſti, an & ubi in Nundinis mihi comparandi ſit copia, ne cela. Aliàs cogor amicos alios excutere: tua humanitate ſum certe diu abuſus nimis, & apertè, adeò ut neſciam cur me jubeas apertius agere tecum. Ago tibi ingentes gratias: & dabo operam, ut queam aliquo pacto, ſi Deus me ex iſta calamitate, qua nondum liberatus ſum, quæque mihi omnia tædii plena reddit quotidie, liberarit, pro mereri, vel conaber ſaltem, quum & id in magnis ſufficiat. Sed de aliis tribus, primum Zenobiana mihi & Schotto (qui rogavit, ut dum ſua adagia hic ederentur. Conferrem iſtam Editionem Florentinam, & adnotarem, ſi quid variaret) concedes diutius, & remittam vel noſtris ſumptibus. Si tamen tibi aliter videtur, non ero in mora. Fragmenta Indica (4. vel 5. paginas) illa ſcripta ſine Principio & fine inter meas ſcidas conjecta, eum non poſſum exquirere, ob meum infortunium, quod me ne gradum adhuc procedere ſinit, ſed vel ſedeo vel jaceo. Ignoſce itaque, & ſcito quamprimum me potero loco movere, excutiam mea & tibi remittam. Ultimum, Cteſiana Rhodomani periere inter

operas,

operas, quum abutebantur in noſtro Herodoto, ubi excuſum habes iſtud fragmentum: nec credo facies tanti, quum alicujus negligentis amanuenſis fuerit, & diſertè nobis ad editionem iſtam permiſeris. Barthii Ablegmina, ut noſti, volebam apud te relinquere Francofurti, ſed recipere nolebas: Si verbo mihi indicatum fuiſſet, ibi excudi potuiſſe, miſiſſem ſtatim lubens: nam hic nulla ſpes: & ſunt ſaltem duo Libelli, qui vix impleant chartas 4. De Petronio vero putabam certo habituros nos in nundinis. Plautum quod attinet, libens legi iſtum titulum, quem remitto: de reipſa quidem fuerant jam indicio Clariſſ. & ampliſſ. Lingelshemii litteræ. Sine dubio Scaliger jam mortuus ibi vapulabit. Nec enim dubito, odiſſe filium, quem pater tam acerbe lancinat. Vale atque ſalve, Dn. & amice cl. a. d. XIV. Kal. April. 1609.

T.
Excell.
addict.
Jungermannus.

Viro Nob. & Clariſſ.
DN. MELIORI GOLDASTO,
amico honorando.
Franckfurt.
Bey Hn. Uffſtendern zuerfragen.

CCLXIV.

Salutem.

Literas tuas, quæ Calendas Martii appoſitas habebant, reverſus è Thuringia, domi ante quatriduum reperi, easque tempore alieno à amicitia, hoc eſt ſub mortem Dilectiſſimi parentis mei, animo perturbato accepi, & ſub ejuſdem ſepulturam inſpexi. Ex multis nominib. mihi gratiſſimæ fuere, inprimis autem quod ab ignoto, amico ac benevolo animo provenere, mihique mœſto inſtar ſolatii aut recreationis fuere. Quare non potui non ſtatim reſcribere, obviiſque, quod ajunt, ulnis amicitiam tuam amplecti. Nam cum doctiſſimum quemque

&ad-

& admirer & colam, tum verò maximè illos, qui cum eruditione eleganter Scribendi facultatem, virtutem atque integritatem conjunxere, intimis animi mei ſenſibus complector. In quorum numero te pleno ore prædicari ſuperius audio: atque nunc etiam benevolentiâ aliisque humanitatis officiis mihi, licet ignoto, conjungi, ex literis tuis intelligo. Niſi igitur amore & officiis mutuis reſpondeam, quis me eſſet iniquior & inhumanior?

Mitto itaque deſcriptionem Ordinationis ac Reformationis Judicii Weſtphalici, qua pro arbitrio uti licebit. Si poſſem in aliis etiam inſtituto tuo ſervire, promtiſſimum ſemper me habebis in hoc gratificandi genere. Eſt & apud me das Kampff-Recht am Landgerichts Hertzogthums Francken zu Würtzburg/ & nonnulla alia, quæ forte ad propoſitum tuum facerent, quæ ſi voles, omnia illa ad te ire jubebo.

De practicis noſtris obſervationibus augendis, quod me moves, in eo ipſo jam dudum occupatus hæreo. Et duplo jam auctas augere non deſiſto. Quæ de Imperatorum Conſtitutionibus ac Reſcriptis, duobus tomis ediſti ad me venêre. Reliqua non item. Illa ad materiam noſtram amplificandam juvare poſſe plurimum haud diffitebor. Quod ſi igitur exemplaria quædam ſuppeteſſent, quorum aliquo me promovere poſſes: fieret mihi in hac parte res longè gratiſſima. Eſſetque his nundinis tranſmittendi percommoda occaſio. Ego rurſus me ad quævis officiola præſtanda L. Mque offero, ſpondeo, B. V. Kitringa Kal. April. 1600.

D. Veſtræ

obſerv.

Paulus Matthæi Wehner/
von Höltenberck.

V. CL.
Melchiori Hamminſfeldio Goldaſto,
JC. præclariſſimo, Dn. & amico
meo colendo.
Franckfurt.
In dem Carmeliter Kloſter zuerfragen

CCLXIV.

CCLXV.

S. P.

EXcell. Dn. Haiminsfeldi, amice colende: Spero te & valere, & in nundinis à continuata cura præli Typographici reſpirare; ideoque me cuius tibi jam moleſtum eſſe. Petii nuper, amicis tuis confœderatis, ad quos forte ſcripturus es in Helvetiam, Davidem F. meum Commendaris. Id ne grave tibi ſit, peto.

Quid Petrus Kopfius noſter, de *Dudithii* ſcriptis ſtatuerit, aveo ſcire. *Cæſareum quoddam Mandatum*, iſthic acceptum *ajunt, quo Pontificiæ cenſuræ, libri Reformatorum* ſubjiciantur. Illud ſi fortaſſis impediat Kopfium, Schrammius Manheimenſis, vel Lancellotus noſter operam ſuam obtulerunt, ad imprimendum illud opuſculum. Alterum etiam ex Kopfio cognoſcere velim: an *Nicolai Ciſneri Opuſcula hiſtorico Philologica,* velit impenſis ſuis edenda curare: quod ante ſemeſtre pollicitus eſt. De his, ſi vacabit, per Vœgelinum noſtrum reſcribito; niſi (quod malim) huc exſpatiari tibi placeat.

Mitto hîc Sturmii Epiſtolas deſcriptas, ut judices, an non commodè Vergerianis vel aliis id genus adjici, vel ſeorſum edi conſultum ſit. *Theſes adjectas per otium legito, tuamque ſententiam ſignificato.*

Habeo nunc penes me Commentarium in Pſalmos Davidis, ab Eſromo Rudingero Profeſſore olim Wittebergenſi editos, Gorlicii abhinc 30. annis impreſſos, ſed ab autore in Moravia, & tandem Norinbergæ, ubi obiit apud affines DD. Camerarios, auctos, & ex autographo deſcriptos: quos à multis, inprimis Moravis & Bohemis, expeti ſovent. Quos ſi recuderet aliquis Typographus, lucrum opinor faceret. Vœgelinus non abhorret, ſed ſocium expetit ſumtuum & laborum. Auxilium & conſilium tuum ſi contuleris, officium gratum feceris. Deus Tibi diutiſſimè benedicat. Vale. Heid. 4. April. 1609.

E. T. D. Studioſiſſimus

Quirinus Reuter. D.

Clariſſimo genere, virtute & doctrinâ Viro, Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, Polyhiſtori ſolertiſſ. Dn. & amico obſervando.

Zu Franckfurt.

CCLXVI.

Guillimannus Goldaſto, ſuo S. P.

AN durabit hæc ratio, ut non niſi nundinis mutuas demus? frequentius mallem; & ante ſcripſeram moneres, quo meas ſubinde deſtinarem, nam tuæ me hic ſemper offendent. Pro librariis munuſculis gratias habeo, ex iis tamen quem mittere ſcribebas Hermetem Politicum deſideravi. Et impia illa impinſſ. Græcorum decreta maluiſſem ab alio; ſi non potius perpetuis tenebris obruenda erant, aut flammis ad auctores remittenda. Avide exſpecto, quæ inſigniora polliceris. Ab Georgio Han accipies de f. exceſſu Philippi. 2. libros ex Hiſpanico verſos. Aliud jam, quo remunerari queam nihil eſt. Aliquid ut ſpero, erit in proximis. O ſi tandem prodeant tui rerum Francicarum & Germanicarum ſcriptores? libera fidem ut te ſervet fides, & diva Moneta. De Puteano amabo te nihil audis? annus eſt, cum nullas is ad me, cum tamen meas recepiſſe oportuerit, & ipſe alias ſcribendi haut quaquam Parcus. Tu mutuum ama, & ſæpius hanc literariam viam repete, & attere. Vale V. CL. Friburgi 7. Aprilis 1609.

T. F.

Guillimannus.

V. CL.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico meo ſingulari.
Francofurti ad Mœnum.

CCLXVII.

S. P.

MAgno tu gaudio repleſti viduam Maderi, miſſis duobus aureis Hungaricis, quos ipſa cum ſumma gratiarum actione tibi acceptos refert, multum prædicata tua integritate & honeſtate. Eget bona matrona, itaque digna ſublevari, explicavit ea mihi, quem incuſes perfidiæ eo in negotio. Sed Pauci quippe boni, &c. Geneva

neva rurſus miraculoſè liberata. Intercepto Terraillio qui Sabaudo viam monſtraverat urbis intercipiendæ itaque ſupplicium de eo & comite Baſtida ſumptum eſt 19. & 22. Apr. poſtquam ſeriem totam machinationum pateſeciſſent. Scribit autē Senatus ad Electorem, longè proclivius fuiſſe iſtud inceptum, quam illud ſuperius per Scalas. Sed & me mactaſti tu novo munere amplo, qui tibi debeam adhuc ob ſuperiorem in me liberalitatem, miſſo altero quoque tomo συλλογῆς tuæ. Cupio ſeriò gratiam referre factis ipſis, & intentus ſum in occaſiones. Tu vive, vale, & quod facis; amare perge. Heidelberga. 12. Maji 1609.

T.

Omni ſtudio'
G. M. Lingelsheimius

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte, &c.

à Francfort.

CCLXVIII.

S. P.

ITa eſt, dabit Leſuerus B. Rhenani Germaniam, à me cum curra recenſitam & quibuſdam notis conſperſam, Irenicum & alios ejuſdem argumenti, quotquot non jam à H. Petri Tomo Schardiano recuſi ſunt, Itaque ſuper ſedere huic rei Kopfius poterit. Roſellum mitto, cum neſcio quibus additionibus, quæ ſi adjungendæ ſunt (quod tui judicii facio) certè aliquid Antidoti requirent. Accuratam certè iſtud exemplar recognitionem deſiderat, quam tuæ diligentiæ commendo, interim duo exemplaria recuſi, mihi paciſcor, & ut mentio fiat ejus, qui exemplar ſuppeditavit.

VII. Sapientes & ipſos ad me redire cupio, ubi videris. Puto enim eſſe verſionem alicujus recentioris & forte Fr. Modii, qui Feirabendio domeſticus & omnium Conſiliorum

 director

Director eſſe ſolebat. Tu ſi antiquiorem habes, & alia ejus generis plura, publico ne invideas. Vale & ſalve. Dab. Rapt. 12. Maji 1609.

T.

Marquartus Freherus

Sororium meum Dn. Glauburgium, ſi videbis meis verbis ſalutabis, & nunciabis nuptias Ottiliæ noſtræ cum Fr. Zedlicio rite & feliciter peractas. De ſororis meæ, ſuæ conjugis, valetudine me optimè ſperare.

Hippolytus Præſes nondum exemplar habet tuorum Tomorum, qui prætereundus non videtur. Et hoc Lingelshemius ſuggerit.

A Monſr. Goldaſt de Hamingsfeld, &c.
à
Francfort.
Bey Hn Peter Kopffen Buchhändlern zulieffern.

CCLXVIII.

S. Principio magnas tibi ago & habeo gratias pro elegantiſſimis muneribus literariis, quæ mihi Mich. Küllsnerus recte reddi curavit: Petronium dico, & Lipſii λείψανα. Gratiam referre ſtudebo, ubicunque potero. Quod excuſas factum Erhardi, qui meas Notas, nunquam eo fine ſcriptas, ad oram libri mei, ut in publicum exirent, tamen ſine præſcitu tuo & meo attexuit ſuæ editioni, facilè in ea acquieſco excuſatione, modò ne aliis viderer ipſe hoc egiſſe, ut tenuiculæ illæ Notæ aliorum doctiſſimis laboribus adjungerentur. Hoc igitur veſtrum jam eſſe præſtare, intelligitis. Deſthinc miſſum faciamus, neque enim pendet ex illis Nonnis vel mea exiſtimatio, vel Græciæ res aut Germaniæ. Ex Catalogi appendice primum, deinde etiam ex relatu Domini Joannis Imhofii cognovi, quod Pyrckeimeri opera à me ante aliquot annos collecta ſed flagitioſè à liberariis deſcripta, tibi concredita ſint ad edendum. Qua de re & omnibus D. Pyrckeimeri magni certè & ſingularis ſuo ævo Viri, & publico bono gratulator ſum.

Novi

Novi enim tuam induſtriam, fidem ac diligentiam, quum non dubito, quin etiam hîc in relectione ac recenſione iſtorum ſcriptorum ſis probaturus, h. e. uſque quaque tui ſimilis futurus. Quid in illis operibus recenſendis obſervari voluerit Dominus Freherus, Vir Ampliſſ. ex incluſis ſcidis ipſius cognoſces. Judicavi enim operæ prætium eſſe, ut ad te mitterem ea lege, ut ad me revertantur. Ad me poſtea opus non rediit, ut potuerim ea præſtare quæ ille conſignavit.

Brevi autem cogito Norimbergam, ubi ex poſt-repertis chartis ſeligam, quæ videbuntur cum ceteris ἐν προσθήκης μέρει rectè edi poſſe. Cumque intelligam prælum jam cœpiſſe currere, rogo te, ut pauliſper ſufflaminare jubeas Typographum, aliam interim ordiri telam novi operis, expectantem, dum poſſint illa quæ dixi ſelecta ſubmitti. Hæc erant, quæ oblata hac fortuita occaſione ad te ſcriberè potui, cum quidem longè plura haberem, de quibus tecum per literas agere poſſem. Inter alia propoſueram mihi ad te ſcribere, de nova mea editione Fabularum Phædri, quarum Notas non utiliter auxi. Sed hoc argumentum erit alterius epiſtolæ brevi poſt ſecuturæ, fortaſſis cum ipſa nova deſcriptione. Spero enim te poſſe mihi adjunctum eſſe in eo, ut ſimili forma edatur cum Petronio. B. V. & da veniam feſtinationi, boni quoque conſule pagellas adjunctas. Altorfii XV. Maji.

Tui Amantiſſ.
Cunradus Rittershuſius, D.

Nobiliſſ. & Clariſſimo Viro,
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico veteri plurimumque colendo.

Jetzt zu
Franckfurt am Mayn/

Bey Hn. Peter Kopf
Buchhändlern zuerfragen.

 CCLXIX.

CCLXX.

S. P.

MAximas ago gratias, eximie V. Dn. obſervande, pro *Commendatitiis tuis in gratiam* filii mei ad amicos inprimis Tigurũ & Genevam ſcriptis; quarum magnum pondus fore nullus dubito, mea tibi officia viciſſim conſtabunt omni tempore. Nuper ex tuis intellexi, Kopfium tranſtuliſſe *Duditiana* in Offenbacenſem Typographum Aveo ſcire, quâ formâ & charactere velit imprimere. D. Lingelheim optat elegantem editionem. Moneri me cupio etiam de tempore, quando reliqua addam. De Vita Duditii, & aliis quibuſdam adjectionibus adhuc mihi cogitandum. Toties interruptum conſilium attulit moroſum tædium. Si quæ pagellæ editæ, quæſo mihi mittantur efficito. Titulum etiam & indicem tractatuum à me datum Kopfio revidere cupio. Promiſit hic coram hyeme præterita Thuanum, quem expectabo ſuo tempore. Perluſtravi notas tuas, quas auctiores optaſſem.

Ciſneriana quoque apparabo, quantum per occupationes licebit: modò de conditionibus mihi conſtet, quibus & an iiſdem, quibus Kopfius dixit, paciſci velit. In 4. edenda erunt. Sunt enim varia, etiam carmina nonnulla.

De his (ut & de tuis nunc operibus) ne grave ſit rogo, mecum conſilium comunicare. Si quid tuâ causâ poſſim, haud immemorem deprehendes M. Freher, ut & D. Schœner, jam hinc abſunt. Deus tibi propitius aſſit & omni bonorum genere benedicat. Vale & salve. Scrib. Heidelb. 17. Maji. 609.

T. D. amantiſſ.

Quirinus Reuter D.

Nobilitate & doctrina excellenti V.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico plur. obſervando
ad manus propr.

Franckfurt.

CCLXXI.

S. P.

NOlui M. Freherum noſtrum, abſque Scheda mea ad Te, vir & amice præſtantiſſime, venire: cum quo de *Duditianorum*, *Ciſnertanorum*, & *Vergerii*, *ac Sturmii* quorundam ſcriptorum editione ſententiam tuam conferas licebit. Velim P. Kopfio perſuadeas, ut Duditiana Schrammio, vel Lancelloto tradat. Corrigerem ipſe, & facilius adderem quædam. Per Freherum noſtrum reſpondeas, ſi vacat. Vale & ſalve à

T. D.
Studioſiſſ.
Quirino Reutero D.

Nobilitate, doctrina, virtute præſtantiſſ. V.
DN. MELIORI HAIMINS. GOLDASTO,
amico honorando.
Franckfurt.

CCLXXII.

S. Ipſus vero nobiliſſ. Vir. Dn. & Patrone magne viva apud te epiſtola eſſe volebam, coram patriæ noſtræ ſtatum fuſiſſimè tibi expoſiturus: Sed & alterum iter, quod hiſce dieb. demum abſolvi ad conventum Sigenenſem, Hombergenſem, & Tremonianam profectus; & negotia Scholaſtica, quæ poſtliminio revocanda amicum noſtrum colloquium hactenus impedierunt. Age itaque vir nobiliſſ. quandoquidem ex ampliſſ. Camerario noſtro intelligo te brevi nos inviſurum, ad nos, atque adeò in ædes noſtras, ſepoſitis aliquandiu gravioribus tuis ſtudiis, divertere, & villa noſtra, cæteriſque benevolè fruere: quâ benevolentiâ cumulum addes maximum ad beneficia priora, quibus Tibi obſtrictum me fateor, fateborque perpetim. Interim vide mi nobiliſſime Goldaſte quam cæcus amor ſit, qui audaciam pro ſcuto habet: officioſiſſ. Te rogo, quandoquidem te Kopfio noſtro cohabitare intelligam, ipſum

ipſum meo nomine amice roges, ut & tuos politicos tractatus nundinis præteritis in lucem editos, & camerarii meditationes, ſeu horas ſucciſivas, indicato per ſchedulam pretio, mittere, ſimul etiam ſignificare non gravetur, cui pretium ſolvendum ſororive an ex ead. ejus nepoti Æmilio; an mittendum Francofurtum. Quod ſi Catalogum cæterorum ſuorum librorum luci commiſſorum Typis deſcriptum haberet, ejus lectione gratius accidere mihi nil poſſet. Vale Vir Nobiliſſ. & ampliſſime, & meis officiis uti, & abuti quæſo perge. Raptiſſ. Hanov. X. Jun. clɔ Iɔcix.

Ampl. nobil.
T. obſerv.
J. Rodolph. Lavaterus.

Nobiliſſimo & ampliſſ. Viro
Dn. Melchiori Goldaſto de Heiminsfelden,
JC. & hiſtorico celeberrimo &c.
Dn. & Patrono meo magno.
Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopfen zuerfragen.

CCLXXII.

S. P.

VAlde doleo, mi Domine Goldaſte, amice colende, literas meas, atque etiam Domini Freheri, tibi non eſſe redditas, ideoque fruſtra nos adventum tuum expectaſſe Wormatiâ, D. Freher & D. Schœner te videre cupiunt. Itaque ſi licet, proximo quoque die venias, tuaque præſentiâ nos exhilares: quos offendes, niſi præter ſpem unus aut alter à Superioribus avocetur: quod tamen haud opinamur, Deus aſſit tibi propitius, & iter ſecundet. Vale Scrib. ὤκιστα Heidel. 16. Junii 609.

T. D. amantiſſ.
Quirinus Reuterus D.

Clariſſ. Nobilitate, virtute & doctrina V.
Dn. Melchiori Goldaſto Heiminsfeldio,
Polyhiſtori, Dn. & amico obſervando.
In Franckfurt

S. P. Jam

CCLXXIII.

S. P.

Jamjam abiit Principis currus cum quatuor equis, qui Carolum Pauli abducit Hanoviam & Moguntiam uſque, vacuus reverſurus, ſi itaque animus ſit huc venire, potes die Lunæ proxima Moguntiam per navim ordinariam deſcendere, ibi circa meridiem invenies currum zum rothen Kopff, que te commodiſſimè cum reculis quascunque habes, huc adducet. Gratus adventus erit, & videbimus, ut in Sapientia tibi convictus pateat, qua de re cum Cancellario agemus. Cuperem te deſcriptionem libri Suevici abſolvere, nam (ne neſcias) Princeps peremptorium terminum mihi præfixit, uninius menſis, intra quem Codicem ipſum reddam; qui ſi ſemel Scriniis ejus privatis inſeratur, non facile ſub ullius aſpectum redibit, Itaque velim te deſcripta priora per Schobingerum & te, huc afferre tecum, ut conferamus cum ipſo MS. Remitto Epiſtolam Friſiorum & abrumpo feſtinante tabellario. Vale, nec reſcribe ſed tamen ipſe veni. 16. Junii 1609.

T.

M. Freherus.

Quæſo etiam deſcriptum meum Commentarium ſuper Conſtantiana afferas, in quibus aliqua mutare & addere volo, & de editione tecum agere, &c. & hoc cura.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heimingsfeld, &c.

A

Franckfort.

CCLXXIV.

QUas verò gratias agere tibi debeo, vir ampliſſime, & nobiliſſ. pro tantis tuis beneficiis quibus me obruis cottidie? equidem & animam me tibi debere ultrò fateor. Utinam vero ſolvendo eſſem, & haberem, quod ἀντίδωρον loco ampl. T. mitterem: quandoquidem verò, jam penes me nihil ſit, dabo tamen operam ut brevi χαριστίας extet monumentum, ut cum referre gratiam non poſſim, ſaltem voluiſſe videar. Ignoſce verò quod heri cum Kopffio noſtro non reſpondi. Catarrho impediebar, qui & ſcriptionem & lectionem mihi impediebat. Nunc mihi nihil magis in votis, quam ut ampl. T. coram inviſam, aut ſaltem hic videam, & dulciſſ. colloquio reguſtem. Faxit ſupremum numen ut fiat brevi. Hiſce diebus Hainzelius à Degenſtein mecum fuit, qui urgentiſſ. me rogavit dennò Ampl. T. Compellem de adornando in fratris Jani-Petri mortem epicedio. Quod ſi per negotia fieri poſſit, quæſo nobiliſſ. genti hanc benevolentiam exhibe. Si & mores, & hominis qualitates ignoras, ea lege Waleri noſtri carmen, lectumque remitte. Quid verò agitur cum noſtri Spengelii libro? vale vir nobiliſſ. & me Tuæ ampl. obſerv. patrocinio tuo proporrò proſequere. Deus beneficia, quæ largè & effusè in me confers, abundanter & cumulatim tibi rependat. Id quod cottidie voveo. Iterum vale, & ſalve à.

T. ampl. nobil.

Hanov. XVI. Junii. 1609.

obſervantiſſ.

Jo. Hen. Lavatero.

Nobiliſſimo & ampliſſ. Viro
Dn. Melchiori Goldaſto de Heiminsfelden,
JC. & hiſtorico celeberrimo &c.
Dn. & Patrono meo omni obſervantia colendo.

Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopffen zuerfragen.

CCLXXV.

CCLXXV.

S. P.

QUas exaraſti, Vir nobiliſſime, ex Nundinis Paſchalibus, mihi VVolfius reddidit, unâ cum muneribus, pro quibus ſummas gratias ago. Sed folium primum in primum Decretorum impetrare non potui, quum nullum exemplum attulerit præter unum. Tibi analyſin meam curæ eſſe, gaudeo, & ut porrò ſit, rogo vehementer, quod ad proximas Nundinas lucem aſpiciat. Tum, ut polliceris, operam dabis, ut XL. exempla ad me perferantur, quæ ſolvam libens, juſto tamen pretio. Ad Vitoduranum quod attinet, ſcias eum in manibus eſſe Bullingeri Nepotis, affinis mei: apud quem proinde ſummâ fide, & accurato ſtudio rem tuam egi. Refert ille, ſe eum florenis quinquaginta redemiſſe à Dn. VVolphio ex Præfecto Kiburgenſi: ſi ea pecunia ſibi refundatur, ſe daturum, ea tamen lege atque omine, ut titulo, ſi edendus ſit, manifeſto ponatur, ex Bullingeriana prodire Bibliotheca. Vel hoc medium proponit, ſe eum tibi donaturum addito epiſtolio: ſpe fretum, fore, ut gratum tu te præbeas, in omnem eventum. Hæc ejus ſententia eſt, niſi à paucis diebus eam mutaverit, aut mutaturus ſit deinceps. Quicquid ſit, ſive mutet, ſive non mutet, ſcribe tu omne, aut mihi, te mentem ejus intellexiſſe, & pretium offer, quod æquum tibi videbitur, & repete, quod jam ſignificaſti, nempe bonam ejus partem te jam poſſidere, eamque ſuo tempore editurum. Hoc ſi denuo intelligit, ſpero, æquiorem multo habebis. Cætera committo tuæ prudentiæ, & meam porro operam tibi offero perlibens. Menſuras meas ſi impreſſerit Vœgelinus, pete ab eo exemplar, meo nomine. Analyſes retinebis, quot voles pro te. Sed & Caldhaïcum meum prodibit Elementale, cujus quoque velim exemplar ab eodem te petere. Minuta & exigua mea ſunt, pro tenuitate ingenii mei, quæ tu, & alii Viri docti ſerenè accipietis: Præſtarem plura, plura ſi poſſem. Ad publica

quod attinet, priſtina ſunt, hoc eſt, litium inter nos omnia plena: quarum bona pars hiſce Comitiis Solſtitialibus Badæ, ſi Deus aſpiraverit: decidentur. Friburgenſes niſi deſiſtant urgere partitionem præfecturarum communium cum Bernenſibus, cauſſa erunt magnæ novationis, præſertim ſi verum ſit, quod conſtanter ſpargitur, eos, ſi omnino cedere nolint Bernenſes, qui per jura & conventa cedere non poſſunt, niſi multa Millia animarum Meretrici proſtituere velint, in partes ſuas pertraxiſſe Comitem Fontanum & Ducem Sabaudiæ. Genevenſes poſt ſumptum de Terralio & ſocio ejus ſupplicium, in perpetuis excubiis ſunt. Nam Ducem Taurini novas copias conſcribere rumor eſt ad obſidendam urbem. Rhæticæ Reipublicæ reformatio, quam inſtituerant quidam bono & pio Zelo, non ſuccedit, impedita neſcio à quibus. Interim exulat præſul Curienſis adhuc.

Vides quo loco ſimus. Addo unum, Lucernenſes ediderunt Ingolſtadii ſcriptum aculeatiſſimum contra Dn. Grynæi homiliam, quam pro Martino du Voyſin habuerat, quibus tum ipſum, tum Martinum miſerè inſectantur. Sed apologiâ hac ſuâ non tam facilè ſatisfacient iis, quibus perſpicax intelligenſque eſt judicium. Vale, Vir Nobiliſſ. & amiciſſ. Raptim. Tiguro 18. d. Jun. 1609.

T.

Caſp. Waſerus.

Ad 18. Maji obiit Sanctgalli Jacobus Lorhardus, editâ de orthodoxiâ ſuâ luculentiſſima confeſſione. Mortis cauſſam non minimam teſtatus eſt, fuiſſe Calumniam, quam de ſe ſparſerint Kleberus & alii, quaſi Socinianus eſſet.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Viro:
DN. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO,
Dn. & amico meo integerrimo.

Francofurtum.

CCLXXVI.

CCLXXVI.

S. P.

TRanſiens hac Bongarſius, imò nomine Regio Principem compellans, in me quoque more ſolito incidit & inter alia, quæ à me antehac commodata, repetiit & recepit, etiam Ennodium MS. ſuo & ſummo jure reflagitavit. Excipienti - - à me tibi ſubmiſſum, ipſo non nolente, &c. inſtitit à me, qui primus acceperim ſibi reddendum, quocunque ego tranſtulerim, eoque maturato opus eſſe. Quare per fidem te rogo, ut eum prima quaque occaſione tuta, mihi remittas, aut ſi venis, ipſe tecum afferas. Collationem ſi tanti putas, prius facere potes, intra biduum, vel citius, quod etiam ut facias rogo; eumque auctorem hactenus ineditum, cum & alia exemplaria vel adminicula habeas, publico dare ne differas. Intelligens Typographus meritò potius quam aliud quidvis à te redimet.

Cæterum quia nil tibi quàm conſtitutionis & acta Germanica (Handlungen) illa felicius apud Typographos ſuccedere video, paratus ſum deinceps quoque, ejus generis varia ſubminiſtrando commoda tua juvare, ſi viciſſim è Francicis, Germaniciſque tuis, quæ meo inſtituto apta fuerint, mihi cedas. Quare illam tecum afferas velim, ut in re præſenti facilius inter nos conveniat, neque alia relinquas, de quibus nuper ſcripſi, & adventum matures, quia medio Julio forte mihi iter faciendum erit. Vale & ſalve iterum. Heidelb. 21. Junii 1609.

T.

Marquartus Freherus

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte, &c.
A
Franckfort.

CCLXXVII.

Nobiliſſ. Vir.

HEri Tiguro accepi abs Patrono meo Henrico Lavatero tibi noto defenſionem Galenicorum, adverſus Angeli Salæ medici Unicodurani calumnias, unâ cum litteris, quibus amicè abs me petit, ut omnem lapidem moveam, quo ante Nundinas typis deſcribi poſſit. Ego tum in gratiam patrui, tum cæterorum medicorum Tigurinorum, qui idem flagitarunt, hoc onus in me ſuſcepi; Sed quando quidem, ut noſti Wecheliani noſtri ferientur, prela autem Antonii noſtri recudendis Kekermanni opuſculis occupatiſſima ſint, efficere nil potui. Itaque ad Nobiliſſ. Ampliſſ. T. ſupplex confugio, teque officioſiſſ. rogo, ut ſi non in mei, ſaltem patrui gratiam hanc benevolentiam nob. præſtes, & alicui ex veſtris Typographis opuſculum non ineruditum commendes, quo nihil in me deſiderari poſſit; gratiam habebit Patruus, operamque dabit ut officiis ſuis tantam benevolentiam nullibi non de te demereatur. Interim noſti nuper inſidias, quas urbi Genevenſi, de novo tuus ille Allobro (bone Deus quàm egregrie mores ipſius depinxiſti?) ſtruxit; detectas agonothetâ publico ſupplicio è medio ſublato. Hic, quod per cuniculos efficere non potuit, nunc palam urbi inſidiatur evocatis è Belgio aliquot militum cohortibus. Sed & nova proditio Dei beneficentia XIII. Junii Juliani detecta. Comes fontanus locum-tenens in ducatu Mediolanenſi cum cantonibus noſtris Pontificiis montes Vallcſianos, illi Furcas ſeu Cluſas appellant, intercipere conatus eſt, ut Sabaudo daretur commodior, expeditiorq; occaſio agrum Bernenſem vaſtandi, & Genevam, cui tantopere inhiat, occupandi. Bernates ſcriptis ad ampliſſ. Senatum Tigurinum litteris conventum ſolicitant, publ. conſilio tantum cervicib. ſuis imminens malum pro virili amoturi: convocati interim per omnem Bernatum ditionem Tribuni militum, ipſi quoque ſubditi juſſi diu noctuq; eſſe in procinctu &c.

Hæc

Hæc Scribuntur ad me Tiguro à Simlero noſtro ; cujus litteras heri ſub veſperam accepi. Ea quoque te latere nolui. Vale Virorum nobiliſſime & ampliſſime , meque tibi comendatum habe. Raptuſſ. Hanov. XXIIX. Junii clↄ. Iↄ. CIX.

Nobil. Ampl.

T. obſerv.

J. Rodolph. Lavaterus.

CCLXXVIII.

Salutem ab Immanuele.

PRoximas tuas , Clariſſime Domine , amice obſervande , non abſque mærore legi. Doleo enim & optato colloquio nos coram perfrui non potuiſſe: (in quo nulla mea culpa , ſed potius D. Freheri,* qui te in Vangionibus eſſe, & hîc affore pollicebatur, ac meas tempeſtivè redditas putabat) & rationes tuas non eo loco eſſe, quo tua doctrina & induſtria merebantur, ut eſſent. Steriles eſſe Muſas noſtras, experientia nimis docet , me quoque , cui oneris plus impoſitum , honoris minus habitumque exiſtimes. Meam ſortem ſi ſcias , æquè mihi condoleas , quam ego Tibi. Facultas in me ſi qua tui juvandi eſſet , haud laborares, ſed noſtrorum Superiorum ſcio præclaram in te voluntatem. Frehero mihique nuper è re tua viſum eſt , ſi noſter ὁμωδράπετος eſſes , uſque dum lautior occaſio offerretur. D. Cancellarius à Grun favet tibi , ſicut & reliqui ſummi Senatus. Ad eos ſi confugias, haud opinor, ope deſtitueris. Aliud ſanè conſilium non habeo. Ceterum *de Dudițianis & Ciſnerianis* quid P. Kopf tandem ſtatuerit , quæſo diſertè perſcribas. Si conditionibus iis, quibus anno Superiori mecum egit, non volet jam Duditiana imprimere, mihi velim remittat, ut hîc vel Manheimii edantur citius. Sin velit iſthic; mittat mihi ſpecimen , ut videam , quâ formâ & literâ &c. Cuperem enim eleganti typo & charta imprimi.

Ciſne-

Ciſneriana, ſanè bella opuſcula, ſi Laucelloto vel Schrammio daret imprimenda, gratum mihi foret. Expectabo planum reſponſum, ut ne diutius in ſuſpenſo hæream.

DEUS O. M. benedictionibus te cumulet. Vale & ſalve à Heidelb. 30. Junii 1609.

T. D.

à Quirino Reutero. D.

Clariſſimo genere & doctrinâ Viro,
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Polyhiſtori, Domino & amico honorando
ad manus proprias,

Franckfurt.

CCLXXIX.

S. P.

AUtographa mea, mihi Kopfius reddidit: Non apographum, quod tu deſcribendum curaſti, & quod excudi non recenſitum, & quibuſdam non pœnitendis auctum, ſanè nolim. Quare inſta ut habeam. Cupio ſcire, quot numero, & ad quos miſſas Lipſii epiſtolas habeatis. Non denegabo meas, quamvis & plures aliunde exſpecto. Carolinam legem Criminalem Goblero interprete, paſſim hic inquiro; fruſtra hactenus. Aliàs libenter eas gratificarer, ſi quacunque ratione nanciſci potuiſſem. Vale & ſalve à

M. Frehero.

Inquiram & Spiræ, cum eo venero.

Quæſo folia Conſtitutionum reliquarum tuarum excuſa mittas, ſcis me avidè talia deſiderare.

A Monſr. Goldaſt de Hamingſeld, &c.

à

Francfort.

CCLXXX.

CCLXXX.

S. Ingentes habeo tibi gratias, vir præſtantiſſ. amice colende, pro ſumma tua benevolentia, literis proximis teſtata : & communicatione novorum Helveticorum. M. Lorhardi conſtantia in orthodoxia mihi jucunda accidit. Quid enim anno ſuperiori huc perſcripſeris, recordaris. Pœnitere me non debet moderationis in reſponſo tuo ad te miſſo. De Geneva ſolicitus ſum, vel ob filium meum, à quo jamdiu nihil accepi. Det Deus *Helvetiis* concordiam ſtabilem, ne diſſidiis ſemet ipſi perdant. Sed en mitto reliqua *Dudithianis* adjicienda : quæ rogo per otium perlegas, & ſi quid mutandum videatur, proximis moneas. Librum ſpero fore utilem Eccleſiæ. Poteram afferre plura : ſed ne appendix, Duditii tractatus excederet, compendio ſum uſus. Imprimis addidiſſem lubens παραλείπομενα *quædam Thuani*, non extantia in editionibus vulgatis, ſeorſim autem clam Lutetiæ impreſſa : ſed conatum meum inhibuit D. Lingelsheimius, qui ſine ſcitu Thuani ea publicari cenſet inofficioſum & iniquum. Cura, quæſo, ut iſta *Dudithiana rectè*, bellè, in charta bona, edantur, eo ordine, quem Index Iſte, quem cum Titulo hîc mitto, monſtrat : ne Typographicarum operarum incuriâ magnum aliquod erratum committatur. Id pro tua autoritate facile conſequeris apud P. Kopf, cui ſal. pl. & opuſcula iſta, meumque ſtudium & laborem oro commendes, ut tantò benigniorem aut æquiorem ſe præbeat. Planè perſuaſus ſum, iſta fore ipſi lucroſa plurimùm. Nil reſtat niſi ut præfationem & Vitam Duditii pertexam, quod brevi fiet. Interim aliquas paginas impreſſas videre velim, ſi commodè mitti queant. Secundo loco jam transmitto *Ciſnerianorum Opuſculorum* librum primum; quem opto P. Kopf. ſtatim prælo ſubjicere. Brevi ſubmittam *Lib. II. qui continet tractatus de Hiſtoriis Cranzii, Aventini, migrationibus priſcorum Germanorum, geſtis Ludovici Bavari contra Papam, de Iure, & Iuriſconſultis claris inde à Romanis ad ætatem* noſtram, de Duareno & aliis. Lib. III. etiam amœna miſcellanea, ſacra & philologica complectetur. Urge quæſo Kopfium ut opuſcula hæc ſuſcipiat.

Manheimenſis noſter Schram brevi iſthuc veniet,& ſi Kopf temporis anguſtiam cauſabitur, ac cum Schrammio convenire velit, ipſe poterit libr. 2. & 3. In ſuo Typographeo imprimere, ut ſic totum opus abſolvatur ad inſtantes nundinas : De quo ſententiam veſtram audire cupio. Schram juvare poteſt, & volet. Denique quia Duditianis valde congruent Vergeriana, Venetis, opinor, grata & utilia futura : Quid ſi nonnulla ſelecta vel excerpta ex iis, una cum illis Sturmianis, quæ antehac tibi miſi, de Emendatione Eccleſiæ, &c. & Epiſtolis ἀμοιβαίαις Sadoleti, &c. Simili forma ederentur ? Opera Sadoleti ſunt ante paucos annos edita Moguntiæ, à Rhodio veſtro : in quibus epiſtolæ ad Sturmium nullæ : ad Genevenſes una longa : cui olim reſpondit Calvinus. Ideò ego ante ſeſquiannum *Schrammio dedi* excudenda utraque. Sub hoc titulo : *De Quæſtione jam agitata. Num ad Romanam* Eccleſiam ſit redeundum, Diſceptatio epiſtolica, inter Sadoletum & Calvinum. Hæ poſſent adjungi. Mittam tibi, ſi non vidiſti, veliſque videre. Sane multi probarunt hoc meum factum ; Quia ſit operæ prætium, ejuſmodi ſcripta in lucem & memoriam *revocare, quæ plus habent autoritatis quam novitia.* Poſſent autem iſta ſequenti hyeme excudi. *Tomum II. Imperialium ſtatutorum abs te editum*, his dieb. à M. Frehero commodatum inſpexi, & mei quoque nominis factam mentionem vidi : de quo te amo. Sed ignoſce ſi promiſſi admoneam. Exſpectabo a Kopfio exemplum, atque etiam *Thuanum.* Lutetiæ editur *continuatio Thuani.* Noſter D. Lingelsheimius habet exemplaris bonam partem, quam ego jam, ipſius conceſſu, perlegi, deductam ad Annum Chriſti 1582. Quæ pars ſi veniat ad mercatum proximum, Peter Kopf eam quoque imprimat oportet. Optarem eum citius adipiſci poſſe, & publicare : *Quia nova delectant.* Sed & hoc Pariſienſe exemplar magni erit pretii : nec noſtri ſimilibus admodum emibile : Quia Nuntius noſter alium poſtulat uſum. Vide quam liberè tecum quaſi coram colloquar. Tu paucis reſponde, & de chartis his meis cenſuram tuam expone, ac opus promove. Sic tibi

tibi benedicat Deus omni gratiæ abundantiâ. Amen. Vale & Salve diutiſſimè. Scrib. Heidelb. 14. Julii, 1609.

V. D. Amantiſſ.
Quirinus Reuter.

Præſtantiſſimo genere, doctrinâ, virtute V. Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto, Polyhiſtori eximio, fautori & amico percaro & honorando, Franckfort.

CCLXXXI.

Eruditiſſime Vir amice plurimum colende.

SUmmæ mihi voluptati fuit intelligere, quod & Præſidii Hyppoliti, Bongarſi, Brederodii & aliorum magnorum virorum ſuaſu & inſtinctu eruditiſſimum opus tuum, de Fundamentaria Imperii Conſtitutione, Illuſtriſſ. Principi meo, per me offerri volueris, cum & ſummorum illorum virorum, & ſuum, eorum fiducia, benevolum in me animum, inde conjicere potuerim, quare hoc velim tibi perſuaſum habeas, me amicum hoc agere, ut hac ipſa occaſione, & ſuæ, & tantorum virorum expectationi aliqua, ſi non omni ex parte, ſatisfacere poſſim. Cæterum non ingratum munus ſuum celſitudini ipſius fuiſſe, ex indiciis non vulgaribus animadverti, cum ſuum cum & litteras ſuas diligenter perlegiſſe, primoque libri in tuitu ad ipſius lectionem invitatum, ita ut dubitare nõn debeas, ſed certe perſuaſum tibi eſſe debeat, te, & Principem habere clementiſſimum & nominis tui amantiſſimum, qui id propediem vel datis ad te litteris, vel ad proximas nundinas Francofurtenſes per Henricum Ludovicum Schefferum Sum̃um ærarii Præfectum, honorario honeſto teſtaturus ſit. Quod & Reverendiſſimum ac Illuſtriſſ. Othonem, modo Deus, quod ſperamus ipſum nobis incolumem

reſtituat facturum ſpondeo. De amicis in hac noſtra aula comparandis non eſt quod multum labores, veriſſimè enim teſtari poſſum Schvverzelium juniorum *P*rincipum præfectum Regnerum Sixtinum & alios clariſſimos viros opus tuum admirari, & litteras à te ad Principem datas exoſculari. Ego certe ſolvo pro egregio tuo munere quam pro iſto tuo in me animo, quod & Schvverzelius & Anſchrechtius (quibus quod præſentes eſſent cum mihi tui libri afferrentur, duo illa exemplaria nomine tuo obtuli) faciunt, tibi quas poſſum gratias. Ego, relaturus, ſi quid in me ſit quo id præſtare poſſint. Vale Eruditiſſime Goldaſte & quod feliciter cœpiſti, Lucubrationibus tuis doctiſſimis, Reipublicæ Chriſtianæ inſervire perge.

Tui Amantiſſimus

Dabantur Caſſell. 6. Julii 1609. *Hieronymus Curio.*

Clariſſimo, ac de Republica Chriſtiana optimè merito Viro,
MELCHIORI GOLDASTO,
Amico plurimum colendo.
Franckfurt.

CCLXXXII.

S. P.

LUbens intellexi, mi præſtantiſſime vir rectè tibi *Dudithiana* tradita, aque etiam curæ eſſe: de quibus & inprimis [illegible]αις meis aveo judicium tuum cognoſcere, licet Pontificii ringantur. Mit- Sadoleti & Calvini epiſtolas contrarias, quas petis, & commodè jungi reliquis Sadoleti & *S*turmii, de quibus proximè memini: atque Vergerianis, quæ colligantur plane mihi perſuadeo. De Ciſnerianis ſatisfaciam *P*. Kopffio, & juridicos ejus tractatus conquiram, ut Opera omnia conjungantur. Sed hæc Juridica proprium Tomum conficient. Meum ſcopum animadverto non intelligi.

Solum.

Solum hiſtorica & φιλόλογα, pleraque ex manuſcriptis Authoris καλλιγράφυ, deſcripta nec ante edita, compingere in unum volumen ſtatueram: eo quod talia miſcellanea ſtudioſis omnium facultatum jucunda forent. Hæc ſeparata ſint à Juris explicatione, neceſſe eſt. Liber primus, quem proximè miſi, & aſſervari incolumem cupio, continet, quidem orbes, illas a D. Frehero editas qui præcipitavit, me dolente, & moram petente: ſed vides, quam vitioſe & deformiter impreſſæ: quam à me ſint correctæ ſingulis paginis. Et eæ jam diſtractæ, ſicut & paucæ editæ ſunt, teſte Frehero. Cæſares illos primo loco collocavi jure ſuo: addidi Palatinos. *Secundus liber* continebit hæc, in pagella iſta conſignata. *Tertius elegantiorum* tractatuum miſcellanea; carmina, epiſtolas: Addam vitam autoris, conſanguinei mei. Quæ tibi ſcribo, ut ex animo Kopfii diluas ſuſpicionem, quaſi vanum laborem in antehac impreſſis ſumſerim, aut vulgaria ipſi venditare cogitem? Si ſciſſem non edenda iſta, quidpiam aliud ſuperiori tempore adornaſſem. Sed jam acquieſcam, ſi ſequenti hyeme certo imprimantur. Thuanum & ſi quid aliud mittetis, curabo ut per aurigam potius, quam tabellarium, id præſtare poſſitis, & vos de occaſione monebo. Deum precor, tibi jugem ſuorum bonorum imbrem affundat benignus. Vale & ſalve Heid. 21. Julii. 09.

T. D. Amantiſs.
Quirinus Reuter Prof. & C. S. Inſp.

Præſtantiſſimo virtute & doctrinâ viro Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, Polyhiſtori excellenti, Domino & amico plurimum honorando.

Francofurt.

CCLXXXIII.

S. Vicenas ego Lipſianas epiſtolas habeo, jam inde è Jena ad Joachimum Camerarium, tum Lugduno, Lovanio ab illo ſcriptas, quas libenter Kopfio dabo, ſi conſilium meum audiat; id eſt, ut orationibus ejuſdem potius jungat, quas probè recenſitas & ipſas ſuppeditabo. Velim ſi huc venis, illas undecim tecum afferas, ut cum, cæteris ſerie temporum habitâ, coagmentemus. Excudat ſanè deinde Kopfius, ut volet, Cuperem etiam, mſ. Ennadium tuum afferas ſimul, non defugiam reipubl. amore, eum conferre, & notis quibuſdam, quæ in parato aſperſum edere. Reichsſatzungen tuas deſidero videre, & te ſalvere jubeo. Dat. 26. Julii, 1609.

T. M. Freherus.

A Monſr.
Monſieur de GOLDAST.
à Franckfurt.

CCLXXXIV.

S. P. D.

MArquardus Freherus noſter iterum adventus tui ſpem fecerat proximè, quem fruſtra expectavi: qua re nunc monere & rogare volui, ut ſi quæ pagellæ Duditianæ ſint excuſæ, mihi velis eas inſpiciendas mittere. Cauſam, me tacente, pro tua prudentia ſatis intellegis. De Ciſnerianis ad mercatum proximum videbimus. Scriptum iſtud *de Synodo Mantuana*, quod mitto, nunquam antehac editum eſſe videtur. Stylus eſt Philippi Melanchtonis. Sed in hujus tomis, opuſculis, conſiliis non extat: Quia diligenter inquiſivi. Attulit autem illud ex Gallia Clariſſ. vir Bongarſius; ex cujus exemplari hoc deſcribendum curavi. Cupit is edi: Quare connectatur

tur vel præmittatur Sturmianis : vel ſeparatim edatur ; Ita tamen ut P. Kopſius, quem Saluto, hunc libellum, licet diviſum: cum Dudiriano quoque vendere & diſtrahere poſſit. Tu hæc rectius curabis. Nunc iſta mitto, quæ Sturmianis epiſtolis adjici poſſunt : quum ſub prælo ſint, ut ex tuis colligo. Calvini reſponſoriam ad Sadoleti quid vetat quò minus iterum emendatior imprimatur ? ut libellus ſit ſpiſſior. *Ego multis obruor negotiis* in Collegio noſtro : Præſertim quia contagium hîc metuitur : á quo, & omni malo, tutos nos præſtet Deus, Pater miſericordiæ, qui ſua gratia nos utrinque impleat. Amen. Vale & Salve diutiſſimè. Scrib. Haidelb. 8. Auguſti, 1609.

H. T. D. Stud.

Quirinus Reuter. D. & Profeſſ.

Clariſſimo genere ac doctrina Viro
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, Polyhiſtori, amico ſuo dilecto,
Franckfurt.

CCLXXXV.

S. P. D.

Mitto quem Peter Kopf poſtulavit Titulum ; & aliud quoddam folium continuans *ſequentia Thuani* : ut tanto gratior ſit lectio ſpeciminis hujus illis, qui præſunt Cenſuræ librariæ : fideſque plenior : & Kopſius ſcopum facilius impetret. Moram editionis *Duditianorum* indignè fero, & mali ominis loco habeo. Matures negotium. Ego cogito in Acidulas his diebus, & inde

inde ad vos, medio mercatu, proficiſci: ſi Deus annuat. Tu poſt octiduum ſcribas ad me in acidulas, ſi habes occaſionem, quam non defore puto. Nunc has etiam Theſes à me habe, pietati tuæ non ingratas ſcio, lectu futuras. Deus nos ſervet incolumes, ac ſuis bonis cumulet. Vale, Raptim Heidelbergæ 25. Aug. 09.

T. D. Amantiſs.
Quirinus Reuter. D.

Excellenti Viro
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO, amico Clariſſimo.
Franckfurt.

CCLXXXVI.

S. P. D.

PEtitioni veſtræ ſatisfacio, quoad licet. Exemplar á *Thuano* per Legatum D. Bongarſium D. Lingelsheimio miſſum, caret titulo: qui nondum impreſſus fuit. Sicut neque totum opus: quod conſtat duernionibus. Primum igitur mitto deſcriptum plane ad ipſum ἀυτόγραφον, nempe primas tres paginas. Impreſſum exemplar habens, ad vos curaſſem; Sed obſtitere hæ difficultates: Una quod Nobiliſs. DD. Hippolytus à Collib. (qui nunc in Galliam abiit legatus,) & D. à Lautern, id à Lingelsheimio cōmodato acceperunt legendum. Altera, quod D. Denaiſius Aſſeſſor Spiræ ſibi à D. Lingelsheimio mitti illud ipſum petivit, cui D. Ling. omnino gratificari cupiebat ante dies plures. Itaque ne plane veſtro voto excideretis, à D. Lautern, qui penes ſe habuit, duernionem iſtum expetivi, & ſic deſcribi curavi. Spero autem, D. Kopffium hac ratione ſcopum ſuum eſſe aſſecuturum. Sunt n. ex Pariſienſi prototypo, hæc

hæc fideliter exſcripta nec minoris fidei quam impreſſa. *Duditiana* novæ Budingenſium cenſuræ ſubjecta fuiſſe, vix æquo animo ferre queam. Ea ſane hic non opus erat, meum verbum aut judicium noſtris abunde ſuffeciſſet. Opto videre folia aliqua, priusquam mittam præfationem, *De Thuani editione* ſic eſt, ut ſcribis. Aliquibus factum diſplicuit. Sed aliis alius ſenſus. Bokſtadius rediit ex acidulis; mihi tamen nondum locutus. Interrogabo quid ſibi vendicet. Hoc memini ſuperiori hyeme ipſum de neſcio quibus notis ad te miſſis mihi referre. Tacui tum; quæ cogitarim animo, malim coram dicere. Deus Tibi benedicat copioſè. Vale. Scrib. 15. Aug. 1609.

E. T. deditiſſ.

D. Kopf. pl. ſal.

Quirinus Reuter.

Eximio genere, doctrina & virtute V. Dn. Melchiori Haiminsfeld à Goldaſt, Polyhiſtori celeberrimo Dn. & amico ſuo cariſſimo. Franckfurt / bey Herrn Peter Kopf zu erfragen.

CCLXXXVII.

S. P. D.

EX litteris tuis Vir præſtantiſſ. & amice obſervande. Cal. Auguſti Francofordiæ nuper datis, cognovi inter alia, te cupere nonnullas conſtitutiones à Juſtino Geblero, Latine redditas. Nactus igitur ſum exemplum Francofurti, Anno 1564. editum. Quare quæ in eo continentur, deſcribere curavi, ſicut ex incluſa pagina cognoſces, quibus tamen conſtitutiones criminales Carolinæ non additæ ſunt. Neque eas, habita diligenti inquiſitione, habere potui. Quoniam autem cognovi, te exquiſitam operam dare, ut non tam nova, quam

vetera, quæ veluti obſoleta, propemodum negliguntur, attamen utilia, & memorabilia, ſicut ex prioribus tuis collectaneis conſtat evulges, mitto nunc ad te capita, excerpta ex libro cui eſt titulus, Faſciculus rerum expetendarum ac fugiendarum, qui editus eſt Coloniæ, Anno 1535. Ex quibus forte nonnulla, tuo inſtituto, grata, & accommodata eſſe poſſent. Sunt hæc colligata in uno volumine ſatis craſſo, cui Hiſtoria Viterbii, & aliæ conglutinatæ ſunt, ita ut difficulter de loco in locum, per longa intervalla, hinc inde tranſportari poſſint. Leges autem iſta capita, & ſi exiſtimaveris, ex iſtis, tuo propoſito conducibilia, & commoda eſſe, certò tibi perſuade, ea omnia tibi communia eſſe, iisque pro tuo arbitrio, uti frui poſſe, optarem quoque ut in majoribus rebus, mea opera omneque ſtudium, tibi inſervire poſſet: Præſertim in iis rebus, quæ ſpectant ad publicum bonum, in quò augendo & promovendo, te induſtrium eſſe, documenta inſignia, quæ publice extant luculentum teſtimonium perhibent. Ad Conſilia illa olim pro libertate & dignitate Imperialium Civitatum opera Hieronymi Lammi, & Ludovici Gremppii, communi decreto ipſorum, Conſcripta, & edita, Quod attinet, ſcito ea certis ex cauſis, non publice promulgata, ſed in Archivis earum reſervata eſſe. Concluſum autem in proximo conventu Ratisbonenſi eſt, ut ſcriptum quoddam pro libertate Civitatum Imperialium exquiſitum, & ſatis prolixum, contra quendam oppugnatorem & adverſarium, prælo ſubjiceretur, in quo ea quæ deſideras, & alia quoque quæ neceſſaria ſunt, continebuntur. Fruſtra igitur aliquis operam collocaret, ſi Lammiana & Gremppiana, ſeorſim ederet. Secundum Imperialium collectanearum tomum quem a copſio me accepiſſe, ſcribis, nondum vidi, & libenter ſolvam precium pro eo, velut a copſio inter meas expenſas id refeſatur. Hæc raptim occupato animo tuis proximis humaniſſimis literis reſcribere volui. Vale Vir Præſtantiſſime & tibi certò perſuade, me tui nominis Clariſſimum Studioſiſſimum, & Paratiſſimum eſſe, ad tuos utiles conatus & labores adjuvandos, &

pro-

promovendos, quamvis quid poſſim neſciam, vel me parum poſſe Sentiam, iterum Vale & mihi tuum Peculiarem Amorem perpetuo conſerva. Dab. XXII. Sextili. Anno 1609.

T.

Præſtant. Obſervandus,

Philippus Camerarius, D.

Nobili & Præſtanti Viro,
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, &c.
Dn. & amico meo obſervando.

Franckofurtum ad Mœnum.

CCLXXXVIII.

Salve GOLDASTE Clariſſ.

QUos petieram, quoſque tu curaſti libros reddidit Bibliopola. Pro tua opera & diligentia debeo vicem, & exiges quandoque voles. Conſtitutiones Impp. & alia opuſcula quæ tu tua ex munificientia addidiſti, remunerabor cum facultas erit. Jam nihil quidem eſt, quod tibi gratum putem. Syntagma de vera origine & ſtirpe Cunradi Salici operæ, abſolvere non potuerunt, tardiuſculè illis traditum ob longam meam apud Principem noſtrum ad Ænipontem Præſentiam & hinc Abſentiam. Tota æſtas prope inibi confecta inſpiciundis Archivis & Bibliothecis. Illa ſane bona valde, at iſte haud magnæ & ſingularis frugis. Cæterum quod te jam volo, & ubi tuum quoque ſubſidium expeto. Animus eſt edendi volumine ſingulari, Scriptores Cæſareæ Hiſtoriæ, a Carolo Magno ad Rudolphum I.

 uſque

uſque M. Ad eam rem ſi quid conferre potes, participa, & tuis quoque opibus rem publicam macta. Notas addo ſed eas perbreves. Tum verò Genealogias, ſed eas paulò accuratiores. Quid vero tuum moliaris, & quid nundinæ novi allaturæ ſint, avidè exſpecto. Annon verò tandem erit, ut nobis tu Franciscos ſcriptores promas publicis ſcriptis promiſſos? Quam ſane Glaber & cæteri corrupti & mendoſi? Marnii ne culpa, an primi ab Pithœo exempli? Conjecturis aliqua multa emendare volui, ſed conjecturis. Tu ſpero perfectos dabis & ſimul plures alios. Quod ut poſſis, valebis, meque amabis. Friburgi, 16. Septemb. 1609.

T. F. Guillimannus, S. Cæſar. Majeſt.
& Sereniſſ. Auſtriæ Principum
Conſiliarius & Hiſtoriographus.

Adamus ſi editus eſt, mea pecunia Straſſero dabis, & ſi quos alios putabis. Polybium ſi bene Junone Lucina lucem tandem aſpexit, & quoſcunque alios ab Gallia Scriptores hiſtoricos, & in iis Maſſonii Opera omnia, ſive Latina, ſive Franeica exſpecto. Ego, ne te hoc quoque fugiat liberatus ab hac Hiſtorica profeſſione, in quam me Sereniſſimus noſter compegerat, deinceps mihi & Muſis ſum cantaturus, omni aliâ curâ exolutus, excepta, quæ ab utroque onere & honore proveniant

Viro Clariſſimo,
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO ſuo,
Frankfurti.

CCLXXXIX.

S. *D.*

NObilis & præſtans Virtute & eruditione Vir, mitto ad te ea quæ cupiiſti proximis tuis literis, ex Ortu in faſciculo, &c. deſcripta, a meo Amanuenſi. Incidi præterea in librum, cujus titulum indicat,

ſcheda,

ſcheda incluſa, quem librum ſi aliis tuis collectis adjungere, & in Catalogum eorum inſerere volueris, libenter oblata occaſione mittam. Petii autem à te prioribus meis literis, ut mihi indices nomen Hiſpani illius, ex eorum numero vel ordine, qui Jeſuitæ appellantur, qui tam honorificum teſtimonium mihi præbuit, cujus mentio fit, in epiſtola tua ad me, tertiæ Centuriæ operarum mearum ſubciſivarum, præfixa. Rarum enim eſt in hac recenti ſecta, aliis ſcientiam perfectam attribuere, qui ſe omnium hominum ſcientiſſimorum exiſtimant, ac omnes reliquos inſipidos cenſent, niſi qui ſapientiam ab ipſis hauriunt. Plura modo addere non licuit, niſi ut mihi occaſionem præbeas, & mihi præſcribas, quid facere debeam, ut tibi grata officia præſtare poſſim. Vale & mihi tuam eximiam benevolentiam perpetuo conſerva, tibique perſuade me tui nominis Studioſiſſimum eſſe, & talem permanſurum. Iterum Vale, 27. d. Septembr. Anno 1609.

T.

Philippus Camerarius, D.

Nobili & præſtanti viro, Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto. &c. Domino & amico meo obſervando.

Franckfort.

CCXC.

S. P. D.

AD ultimas tuas ſcriptas, 12. Jul. quæ redditæ ſunt 6. Aug. nihil habeo aliud reſcribere, Vir nobiliſſime & amiciſſime, quàm gratam admodum mihi eſſe operam tuam fidelem; quam analyſi meæ promovendæ hactenus impendiſti, modò Typographus etiam officium fecerit, & promiſſioni ſatisfecerit. Quòd ſi eſt impreſſa, ut cuperem eſſe, accipe ab eo exemplaria XL. aut L. & ex eis unum

 Dn. Ge-

D. Georgio Remo, & alterum Dn. Ritterſhuſio, tertium Dn. Johanni Ingolſtettero,& quartum Dn. Michaëli Virdungo, amicis meis, Noribergam quæſo cura, omnia ad eundem Remum: ex cæteris unum trade ad Kekermannum, & alterum ad Conradum Graſerum, Dantiſcum perferenda per Typographum Dantiſcanum. Reliqua, ubi & unum Dn. Frehero dedens, compacta Vinslero noſtro trade huc vehenda. Sin minus impreſſa eſt; patienter id ferre cogor. Pretium autem pro exemplaribus, quantum excurrerit, ſi reſciero, refundam tuo nomine hîc Dn. Bullingero noſtro, ſiquidem de Vitodurano vobis convenire potuerit: ſin minus; haud gravabitur vel cognatus Wolphius noſter, vel Vinslerus, vel Kublerus id meo nomine exponere libenter. Vitodurani porro cauſa ita comparata eſt. Quum pretium, quod ab affine meo Bullingero poſtulatur, æquo videatur majus: egi ego cum eo, ut de 50. viginti florenos remiſſurus ſit, & accepturus triginta, ſi omnino opus velis. Quanquam credam, accepturum 25. minus, aut pauciores florenos vix acceperit. Nam verum, & veriſſimum dico, quinquaginta florenis eum ab ipſo redemtum eſſe, tanquam ſingulare peculium avi ſui: e cujus Bibliotheca, exemplar, neſcio qua calliditate, huic pupille, & tutoribus officium non probè facientibus, ſurreptum erat. Quum igitur avus ejus Authoris frequenter meminerit in ſcriptis ſuis, manu & typis deſcriptis: ille vel grandiori pretio vindicare illum non noluit: nec adhuc venditurus eſſet, niſi bonam ejus partem jam poſſidere te ſcriberes, & metueret, ſi collectio tua prodiret, non nimis magnum poſt ſe deſiderium reliquorum relicturum. Quocirca ſi conditio florenorum dictorum, non diſpliceat: & e Bibliotheca Bullingerianâ,cum tuo Studio prodire, profiteri ſtatim in fronte libri non graveris, & imprimis, quod maximè cautum velimus, ſi quid in præjudicium Reipublicæ Tigurinæ ab eo ſcriptum reperias, ut reperies in Hiſtoria Vitodurenſi, pag. 24. 25. 29. & 58. Id pro tua dexteritate, ac benevolentia in Rempublicam noſtram, modereris: ut & plurima ſuperſtitioſa in nimiam commendationem

fratrum

fratrum Minorum, prudenter temperes aut tollas : Sicut & quæ de Friderico Imperatore ſcribit, pagina 4. & 6. Tum habebis exemplum quando voles, & per quem voles : modò per te nobis innoteſcat. Aliis conditionibus impetrare cum tibi non poſſim. Quod credas velim. Tu quid de eis videatur reſcribe : & ſi adhuc nimium videatur pretium, operam dabo, ut minuatur : aut conabor ſaltem, id efficere. Si omnino fieri poſſit ; Qui ad gratificandum tibi vel in hac re, vel in aliis, ſum paratiſſimus & promptiſſimus. Volumen Germanicum, tuâ operâ nuper editum, continens recondita plura, & quæ ſcire intereſt omnium rerumpublic. accepi, proque eo ingentes tibi gratias ago, habeoque. Utinam & referre poſſem! Publica noſtra in priſtino ſunt ; niſi quod Galliæ Rex ad expeditionem ſuam, quam ſuſcipere cogitat, in gratiam Principum Germanicæ, competitorum Ducatus Juliacenſis, his diebus per legatum ſuum Solodurenſem ; Dominum de Refugio, petiit Decem millia Helvetiorum, de ratione fœderis, quo ſecum juncti ſunt. Et quanquam Tygurini non juncti ſint, tamen horum quoque auxilia poſtulavit; Qui unum vel duo vexilla mittere conſenſerunt : Ideoque legatos hodie Solodunum miſerunt, qui cum legato de conditionibus agant, qui eò convocavit omnium Pagorum legatos, ad proximum diem Lunæ, qui quartus erit Septembris, ex eis intellecturus, utrum dare militem velint. Nam de Hiſpanicis pagis ſubdubitat : Quum contra Hiſpanum etiam expeditio ſuſcipiatur. In Rhætiæ vulneribus curandis adhuc laborant ii, qui ipſi inſani & medicinæ egentes ſunt. Epiſcopus VeltCuriæ exilium continuat, utut ringant Pontificii tum Rhæti, tum vicini Quinquepagici. Conſtantiæ lis oborta eſt graviſſima Epiſcopo cum Abbate Sant Gallenſi : ad quam dijudicandam illic conveniet brevi immenſa caterva præſulum ac Sacerdotum. Vale, & erratum, quod monui, in epigrammate meo in opus Springlii, quæſo emendare ne obliviſcere. Eundem de inſcriptione litterarum, ut petebas monui.

Reſa-

Reſalutat te Dn. Lemannus, cæteriquè mei Symmyſtæ peramanter Tyguro, 2. Sept. 1609.

Tui Stud.
VVaſſerus.

Nolim te neſcire, Baronem ab Alto Saxo, filium hæredem Joh. Philippi, brevi Sponſum fore, cum ſorore Illuſtris Baronis Maximiliani a Pappenheim, Landgravii Stulingenſis, &c.

Menſuræ Hebraicæ meæ ſi impreſſæ ſint a Vœgelino, accipe ab eo, nomine meo exemplum: ut & Compendii Chaldaici.

Curopalatem Junii, & correctiſſimum exemplum poſt omnes editiones Saluſtii, ac Valerii Maximi in octavâ formâ, ſi nanciſci potes, quæſo Wolphio trade: & pretium ab eo, meo poſtula nomine: ignoſceque tibi ſubinde negotium faceſſenti.

Reuterum juniorem cùm tuo, tum patris, tum etiam ipſius nomine mihi commendatiſſimum fuiſſe, puto ex ipſomet jam cognoviſti.

Nobiliſſimo Viro:
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO,
Dn. & amico meo ſummè colendo.
Franckofurtum ad Mœnum.

CCXCI.

S. P.

ET occupationes veſtræ nundinales, & neceſſaria mihi feſtinatio nupera, non ſiverunt me ex voto iſthic vobiſcum colloqui vel tranſigere. Nunc igitur Epiſtolinos agamus. Primum mihi & aliis iſta mora & procraſtinatio annua *Duditianæ* editionis valde diſplicet. Hic dudum abſoluta fuiſſet ſine cenſura; Sed & perit multum

multum temporis, dum ultrocitroque literas mittimus. Ego quoque tempus contuliſſem ad alia, majore meo commodo & honore, niſi ſperaſſem iſta ſcripta impreſſum iri. Nec enim otium mihi ſuppetit, ob continuos profeſſionis & inſpectionis labores. Suffurandum mihi ad cetera ſpatium. Ideò velim mittas mihi primas paginas Dudicianas, ſi imprimentur. Habeo ſcriptum unum, quod addam.

Deinde Epiſtolis illis Sturmii ſubjiciam iſtas, paginâ hac notatas. Quæſo titulum abs te adornatum mihi communices. Forte non deerit acceſſio digna luce, quæ opus commendet. Denique cum Emmelio tranſigat Dominus de Ciſnerianis. Æquum præmium labori meo ut ſtatuat, tu pro tua in me benevolentia, efficias rogo. Tum mittam chartas purè deſcriptas.

Heri accepi libros à te miſſos, Imp. Conſtit. tomum 2. de 1. Ago gratias ingentes, & compenſabo munere mutuo; De ipſo opere agam tecum aliâs: Tum & Thuanum, à P. Kopf ante annum promiſſum: qui una fidelia duos parietes dealbavit. Pollicitus enim eſt nuper, ſe pro paginis illis, ex novo Pariſienſi exemplari deſcriptis & tranſmiſſis, unum è Patribus mihi daturum. Sed hæc tibi. Poſſem addere quoddam meum infortunium ex iſta occaſione natum, & D. Lingelshemii offenſam, ſine mea culpa, caſu quodam inopinato contractam: De quo aliâs. Hæc feſtinabundus ſcrib. 6. Octobr. 09.

T. E.
Amantiſſ.

D. Freher adhuc abeſt, ut & Hippolytus quem rediiſſe Mercator quidam iſthic mihi referebat, ſed falsò. Sal. pl. D. Kopfi &c.

Quirinus Reuter D.

Clariſſ. & Excellentiſſ. Viro
Dn. Melchiori ab Haimensfeld Goldaſto
Dn. & amico ſalut. Plur. obſervando

Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopfen zuerfragen.

 CCXCII.

CCXCII.

S. P.

QUam præclara mea ſit de doctrina tua varia, Cl. V. amice dilecte, exiſtimatio & prædicatio, teſtis egomet intus, & alii mihi foris eſſe poſſunt. Amemus igitur nos ȣ̓ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ; ſicut jubet Apoſtolus. Sic equidem volo & facio. Miſſis igitur ſuſpicionibus à me Candido & aperto nil niſi quod honori tuo cedat expecta. Nil minus mihi propoſitum nuper fuit, quam quenquam petere aculeis. Alienum id à natura mea. De D. Lingelshemii offenſa dolui. Dicam aperte, ne divinatione ſit opus. Pagellas primas Thuani poſtquam vobis imprimis Kopfio petenti deſcribi curaſſem, remiſi Nobili à Lautern; cui D. Lingelsh. commodârat librum. Iſtius autem familia non reddidit hero. Culpa in me conjecta, quaſi non reddidiſſem. Lingelsh. adhuc mihi ſuccenſet, quod amiſſo frontiſpicio liber ſit inutilis. Quæſitum etiam, quo fine primam duernionem ſemel ac iterum petierim, cum ante legerim. Ego cauſatus aliquid, nolui veſtri conſilii alios eſſe conſcios. Scis enim improbari à Lo veſtram editionem. Hinc collige, me nonnihil turbatum iſto caſu, reliquas paginas in Lingelsheimii exemplari (quod in folio Lutetiæ excuſum, & adhuc imperfectum eſt,) ſequentis illum tomum 9. nuper in 12. editum, cujus ultimam paginam hic D. Kopfio remitto, non abſque cauſa nondum deſcribendas curaſſe. Sed expecto etiam D. Hippolytum propediem, der wird ohn zweiffel das gantze Exemplar / oder ja das meiſte / mitbringen. Tum voto D. Kopfii plenius ſatisfaciam; quam pl. ſaluto. Mitto hic epiſtolam Pauli III. quam inſeri Duditianis (de quibus 6. folia accepi, & de hoc officio ſummas habeo gratias, rogans ut ſequentia ſubmittas proximè) velim, & poſt Proteſtationem Galli, & Rationes Germanorum, ob quas Concilium Mantuæ indictum detrectarunt (quas poſtremo miſi, & à P. Mol. ſcriptas opinor) collocari; ac ſubjici Epiſtolas binas ejuſdem Pauli III. ad Helvetios de Concilio & bello contr. Proteſtantes. Reliqua maneant ſuo ordine. Titulum & Indicem jam ad manus non habui. Quædam errata notavi in chartis miſſis, & ea mittam ſuo tempore.

Ciſne-

Ciſneriana tradam Emmelio, ſi pro *uno folio* 1. fl. ſolvat. De Epiſtolis illis Sturmii, Sadoleti &c. proximè ſcribam, quia nunc functio publica me avocat.

Vale & me tui amantiſſimum ama. 19. Octobr. 09.

E. T. A. S.

Quirinus Reuterus D.

Excellenti doctrina & virtute Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Poly - Hiſtori celeberrimo
Dn. & amico pl. obſervando.
Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopf zubehändigen.

CCXCIII.

S. P.

Litteras tuas cum libris rectè accepi. Munus tuum Sereniſſimo Principi exhiberi nondum potuit, eo quod lecto attineretur per hos dies, melius tamen habet, & ſpes eſt cras proditurum rurſus. Mihi dubium non eſt, pergratum fore ſtudium tuum Sereniſſimo noſtro, cui & commendabitur verbis, nam & meretur. Privatim ego tibi quoque gratias habeo maximas, referam ubi occaſio dabitur, ſi potero: magnæ mihi voluptati fuit præfatio tua & notæ, nam de ipſo Syntagmate quid opus verba facere, bono reip. cedit, talia publicari. Cancellarius adhuc penes ſe habet libellum tuum de Palatino, quem dicit, ſe quoque perlegiſſe, ſed necdum Electori de eo locutus eſt, notum tibi quam difficiles ſint acceſſiones, & quam aliæ occupationes interveniant, ſed curæ ipſi eſt, mihique. Scripta quæ expetis nanciſci nondum potui, Nivernenſis nemini noſtrum viſum. Provocationis Principum ſcriptum, unicum exemplar impreſſum huc allatum, quod Sereniſſ. penes ſe habet, ſed Coloniam ego ſcripſi, ubi nactus fuero, faxo habeas ſubito. Ingratus & injuſtus ſim, ni unicè ſtudeam tuo quoque deſiderio ſatisfacere, cujus in me beneficentiæ, tot exſtant documenta.

Præſes noſter necdum redux è Gallia, Zollerenſis acriter Cæſaris

 cauſſam

cauſſam gerit, inde fit ut nec noſter expediri poſſit. Scribunt, Hiſpanum Leopoldo decreviſſe CL. millia aureorum, Conſenſus eſt Pontificiorum in abſterrendo Rege ab auxilio Principibus ferendo, & intervertendo jure Principum. Noſtri contra quam ſegnes, quam lenti? ſed tollo querelas, Te valere, & in Amore perſeverare jubeo

Tuus omni ſtudio & amore

Heidelberg 12. Octobr. 1609.

Lingelsheimius.

A Monſr.
Monſr. de Goldaſte &c.
à Franckfurt.

CCXCIV.

S. P. Librum tuum Sereniſſimo Principi obtulit Dn. Cancellarius ipſe, quo eſt affectu erga te, Princeps gratum habuit, & brevi remunerationem accipies; ego apud noſtros dixi, quæ meus in te amor dictabat. Gratulor tibi affectum Illuſtris Comitis Hanovici. nos juvabimus gnaviter. Cancellario placet opus tuum de Palatino, & curæ ipſi erit, ut reſponſum feras etiam ſuper eo. Gaudeo te Colonienſi non obſequutum eſſe in deſiderio, iſtius farinæ hominibus uſitato. Cavendi ſunt tales, nec umquam perſpicere potui quidquam integritatis in illo grege. Grunradius tui valdè eſt ſtudioſus, ſæpe ſermones ſimul miſcuimus, quomodo tibi proſpici ita poſſit, ut in laudabili inſtituto tuo quam plurimum commodare reip. poſſis. Juliacenſia valde laborant. Gallus egregium in Principes affectum demonſtrat, qua de re Præſes noſter coràm nos edocebit, ſpero enim eum jam in reditu eſſe. Cæſareanus, qui magnos ſpiritus in aditu Legationis oſtenderat, operam ſe perdidiſſe animadvertit, irriſus à Duce Sulliacenſi, quum invidiam Principib. ob Huguenotiſmum conciliare laboraret, quum & ſe eorum unum profiteretur, & illorum ictus acriores eſſe ceterorum diceret. Vive valeque feliciſſimè. Heidelb. 20. Oct. 1609.

T. omni ſtudio

G. M. Lingelsheimius.

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.
à Francfurt.

CCXCV.

CCXCV.

S. P. En habes, quod petieras, Coloniâ ad me miſſum. Sed Nivernenſis ſcriptum typis vulgatum, neque illic, neque nobis viſum, quod ſi aliquid tale mihi obtigerit, faciam te participem. Sereniſſimus noſter decrevit tibi honorarium honeſtum, quod dabo operam, ut prima certa occaſione ad te mittatur, nondum deſpero, futurum te noſtrum aliquando, tantum obſtat extraordinarii ſumptus metus. Cancellarius in te pronus. De ſcripto Palatino tuo, nondum reſponſum feres, eſt ita ut ſcribis, multa addi & meliora fieri poſſunt, cui aditus ad Archiva evolvenda concederetur. Præſes noſter nondum è Gallia rediit, quod miramur, nam Zollerenſis 7. hujus & Principum Legati 14. Octob. abierunt Lutetia, neque cauſſam video, cur noſter diutius retineretur. Regis egregia eſt voluntas, quam ſatis liberè explicavit Cæſareo, cum dicto, ut ajunt, niſi Cæſar Principibus moleſtiam creare ceſſaverit, ſe ipſum auxilio Principib. adventurum. Multa audire coactus fuit Zollerenſis, acerba auribus ſuis. Rex Desdiguerio dignitatem Mareſchalli regni conceſſit, quum unicus noſtræ confeſſionis ſit Bullionius, ejus ordinis, ſed exiſtimatur vacillare in fide, præſertim quum Eccleſia Pariſienſis, Eum ad Comunionem admittere recuſarit, ob detentam apud ſe alterius uxorem. Tu vive valeque Vir doctiſſime. Heidelb. 27. Oct. 1609.

Tuus

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſ. de Goldaſt &c.
a Francfurt.

CCXCVI.

Gratias verò ago tibi, Nobiliſſ. & ampliſſ. Vir Dn. & Patrone magne, pro labore, quem patrui, meoque nomine lubens ſubiiſti. Dabimus operâ, ut tanta beneficia grata memoria ſubinde recolamus. Interim in litteris, quas heri ſub veſperam Argentorato accepi, petitur à me ut & titulus & ſubſcriptio in hunc modum, ut vides carmini meo ſubnexum, emendetur, ex mea l'haretra quoq; carmen addatur. Ego tamen ut Miſellus Poëtaſter ſim, malui in gratiam patrui de me optimè

 meriti

ex animo lætamur. Habeò & alia quæ Tuæ Præſtantiæ non ingrata futura. Sed non revertente ad haſce nundinas Valdkirchio fidis ac benevolis nunciis deſtituimur, & ideo pauciſſima adjungimus. Jure cum delecteris: Totius juris Danici diſpoſitionem offerimus, cum vetuſtiſſimo Codice Cimbrico, Latinitate & Scholiis, donato. Ne rideas vetuſtas haſce conſuetudines & antiquam dictionem. Noſti enim hujuſmodi eſſe vetuſtatis & veritatis ſermonem. In calce adjunctæ variæ variorum Regum conſtitutiones. Extant adhuc apud nos Jura Balthica ſeu Selandica, ſed tantum Patria & vetuſtiſſimâ Gothicâ linguâ conſcripta. Quorum etiam data occaſione Copiam faciam; ut cum Frehero noſtro, non tantum in Laſia & Saxonica, ſed etiam vetuſtiſſima Gothica ac Cimbrica copiosè nobiſcum diſſeras.

Doct. Andreæ Archiepiſc. Lundenſis Hexameron nunquam typis mandatum. Extat tamen in membrana. Quod etiam data occaſione dabimus. Huitfeldii Cronicon VIII. eſt Tomorum idque patria lingua conſcript: Quod hac vice habuiſſes ſi id nuncio obtrudi potuiſſet.

Scriptores Rerum Danicarum pauciſſimos habemus. Neſcio enim quo Genio vel ingenio veniat; ut noſtrates præclare potius agere, quàm diligenter ſcribere Geſtiant. Congeſſi tamen ſcriptorum Danicorum integrum Tomum, quorum pauciſſimi Hiſtorici. Chronica integra (excepto Saxone Gramm.) nulla habemus. Sed fragmenta, annales & rullas (ut noſtri vocant) quamplurimas. Unde tamen continuam rerum geſtarum ſeriem inde eo ab initio ad noſtra tempora contexere induſtrium & laborioſum ingenium poterit. Saxo Gramm. elegantem quidem, ſed imperfectam reliquit Hiſtoriam. A Dano, enim, Danici nominis & imperii conditore telam orditur. Præteriens totius Reipubl. Conſtitutionem, Patres, Judices & præclaras migrationes ante illa tempora. Hanc lacunam Conatus eſt noſtro ſeculo; venerand. Magiſter Nicolaus Petri F. ex vetuſtiſſ. Gothorum & Gotlandorum antiquitatibus opplere, idque feliciter & mediocri dictione Latina. Laboravit & in hoc ſtadio Johannes Lyſchander frater meus; Internam Hiſtoriam cum externa contulit, & Aquas ex Ciſternis Bojaricis hauſit; quas Patriis condimentis & Commentariis miſcuit, ornavit, illuſtravit. Hoc quidquid

eſt li-

tia illud reſtituere. Marginalibus iſtis, ſi non omnibus relinquatur locus, Tuæ prudentiæ ſingula ordinanda & pro arbitrio diſponenda relinquo. Ex amicorum conſilio quædam correximus, quædam noſtris moti rationibus aſſeruimus, quæ excludi cupimus. In omnibus Tæ. Pæ. judicium & conſilium requirimus. Vale iterum atque iterum Vive vale.

Clariſſ. ac Generoſiſſ. Viro
D. Melchiori Haiminsfeldio, Hiſtorico
Jurisconſulto, & Philoſopho longe celeberrimo,
Dn. & amico integerrimo omni reverentia
colendiſſimo.

Francofurti, in Monaſt. Carmelitarum.

CCXCVIII.

S. Thuani deſcriptionem curabo quamprimum potero. Exemplar eſt jam Spiræ apud D. Denaiſium, qui propediem remittet, ut ex D. Ling. intellexi. Scripſi tuo hoſpiti de Nazianzeno, vel Thoma mihi comparando. Velim utrumque habere; & ſi pretium majus opinione ſit, cum eo tranſigere. Duditiana certè deproperantur. Præfatio cenſuræ noſtrorum ſubjicienda erit. Cum ante mercatum liber non diſtrahatur, puto rem moram ferre. Duditius epiſtolam illam, de qua ſcribis, ſi vivus vidiſſet, abominatus eſſet. Cracoviæ quidem ab Arianis Italis eò deductus eſt, ut more ſuo diſputaret pro & contra (quod ipſi merito vitio datum) ſed poſt refugit, & damnavit illas impias ſententias. Excuſavit ſe apud multos: ad me quoque ſcripſit de epiſtola ad Bezam: Illarum ſcriptionum me pudet & pœnitet. Contra Socinum ducem Sectæ quoque diſputavit literis. Plura aliâs. Paginas impreſſas expectabo. De Ciſnerianis ab Emmelio poſtulavi nuper Medium Florenum pro folio. Si grave ipſi videtur: quæſo remittas mihi librum primum cum titulo, quem penes te habes. Hîc erit qui imprimat. De Epiſtolis illis Sturmii & Sadoleti ſic ſtatuo; poſſe iis adjungi libellum Cardinalis Cameracenſis, Petri Aliaci de Reformanda Eccleſia; & ſimilia quædam. Tuum judicium expecto: quomodo liber juſtus ex iſtis, quæ colligi poſſunt plura ejuſdem argumenti, veteribus ſcriptis confici, intitulari, & in quem ſcopum dirigi debeat. Forte ſuggeram aliquid aliud. Nummariam ab Emmelio compenſationem ſcriptionum harum, ut non poſtulo, ſic li-

riam ſeu chartaceam ex officina ipſius expectarem. Deus Te ſalvum præſtet diutiſſime. Vale. Heid. 3. Nov. 609.

E. T. amantiſſ.

Quirinus Reuter, Doct.

CL. V. Domino
Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Domino & amico pl. colendo.
Franckfurt.

CCXCIX.

S. P.

GRatulor tibi. V. CL. munificentiam Wirtembergici, Mihi ab Electore Sereniſſimo traditi ſunt 80. Floreni, quos tibi mittam pro honorario, tabellariis iſtis non tutò committitur, itaque mittam ad te tuto, & vel per Dn. Brederodium, qui nobis adeſt. Omnino ſuadeo ut Dn. Cancellario mittas opus tuum, eſt horum ſtudiorum & capitur lectione tuarum lucubrationum, neque adſequor ex quo capite id diſſuaſerit tibi amicus noſter. Ranburgio & Schluſſelburgio curavi oſtendendam Arcem & in ea rara, ii profecti ſunt Stutgardiam, illic itidem oculos paſcendi cauſſa, ſpectando nugas curialium. Tu vive, vale & nos ama Heidelb. 3. Nov. 1609.

T.

Lingelsheimius.

CCC.

S. P.

MItto tibi per Dn. Brederodium octoginta illos florenos, quos Sereniſſimus Elector in ſignificationem benevolentiæ, & ut intelligas, gratum ſibi ſtudium tuum in Germanicis jurib. & antiquitatibus adſerendis, tibi donari juſſit. Cancellarii egregia eſt erga te voluntas, & ſpero fore, ut noſter fias aliquando, ego in indagandis occaſionibus ſedulus ero, tu in laudabili tuo inſtituto perge, ac bene merere de patria. Cancellario ſi miſeris tua, rectè feceris, & meretur & eſt ſtudioſus talium. Illuſtriſſ. mus Anhaltinus Duſſeldorpiana non

na nonnihil compoſuit, & ſpem novam nobis ingeſſit. Utinam iſti inſani ſumptus in Stutgardianas nuptias converterentur ad ſalutem publicam juvandam. Tu in palæſtra tua gnaviter perge, & vale feliciſſimè Heidelbergæ. 4. Nov. 1609.

T.

Omni ſtudio & amore

G. M. Lingelsheimius.

A Monſr.
Monſr. de Goldaſte &c.
à Franckfurt.

CCCI.

S. P.

MIſi tibi ſuperioribus diebus per Dn. Brederodium 80. florenos, quibus te donatum voluit Sereniſſimus Elector, eius rei te certiorem facere volui, ut ſi fortè Dn. Brederodio excidit, tibi in tranſitu tradere illos obſignatos cum meis litteris, per occaſionem ipſe moneri poſſit. Oſtendit in ſermonibus ſuis ſe tibi & conatibus tuis favere, & probare ſtudium cui te dediſti. Monui autem te litteris meis, ut omnino præſtes, cujus ſpem feciſti, & Dn. Cancellario, monumenta tua communices, qui imprimis ſtudioſus eſt harum rerum, & inſtructam habet Bibliothecam. Saxo ſplendidam mittit legationem, ad Regem Francorum Wolffgangum Comitem Mansfeldium, qui Sexaginta Aſſeclarum agmen ducit, & in iis XX. è Nobilitate. Saxonis ſcriptum, quo jus ſuum in Juliacenſia demonſtrat jam dudum hic habuimus, à Saxone ipſo miſſum. Bongarſius, à Rege miſſus Duſſeldorpium, ad nos deflectere non potuit, litteras tamen Alcæa dedit ad me, hæc tempeſtas minus commoda iter facientibus. Tu vive, vale & nos ama. Heidel. 16. Novembr. 1609.

T.

G. M. *Lingelshemius.*

A Monſieur
Monſr. de Goldaſte &c.
à Francfurt.

CCCII.

S. P.

OCcupationes & labores tuos, Cl. V. amice honorande, juſta lance penſito (novi enim Typographeorum mores) ideoque per invitus interpello. Reſpondendum tamen nunc, ne dubios vos relinquam. P. Kopfii conſilium non morabor: poſt octiduum mittam proœmiales pagellas: licet ob cauſas juſtas ad vernum mercatum palam exponi maluiſſem. Thuani continuationem quoquo poſſum modo, vobis curabo. Nunc rogo, ut Pet. Kopf mittat mihi ſequentia folia, ut errata forte corrigam; tuque adjungas Ciſneriana, & Epiſtolas illas Sturmianas, quas iſthuc miſi dudum. Emmelius ex aliis forſan editionib. plus lucri capiet: cui ſi commodare poſſum, haud deero. In te verò mea ſemper officia conſtabunt; quæ poſtules audacter cupio. Mutuam benevolentiam abs humanitate tua maximè polliceor, Nec Hippolytus nec Freherus noſter adhuc apparent. A. D. Lingelsheimio ſalutem tibi adſcribo. DEUS valetudini & vigilibus curis operibusque tuis copioſe benedicat. Vale, Vir excellen. meque ama: & chartas Ciſnerianas meo ſumtu remitte. Scrib. Heid. 10. Nov. 09.

E. T. H. Amantiſſ.

Quirinus Reuter D.

Clariſſimo & Præſtant. V.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
amico honorando.

Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopff zubeſtellen.

CCCIII.

S. P. D.

ULtimis tuis, quas Francofurdiâ 19. Septembr. ad me dediſti, Vir nobiliſſ. & amiciſſime, reſcripſiſſem dudum: niſi integrum jam menſem & amplius exſpectaſſem finalem ſententiam D. Bullingeri de Vitodurano veſtro: quam etſi nequedum ſignificavit ſatis luculenter, tamen hoc tempore ſcribere volui. Hoc interim ſcio, ſi modum ad vos mittendi exemplaris oſtendas proximè, illud ſine mora ad te miſſum iri pro 20. flore-

20. florenis Rhenenſibus; quos offers: niſi, præter opinionem, & ſpem mihi factam vehementer tergiverſetur. Si florenis illis paucula, bina, tria, & pluſcula ſuperaddas exempla impreſſa, tanto magis ſalva erit res, quod hac oblata occaſione indicare tibi volui, exſpectans, quid deinceps futurum ſit. Si quid grati hac & aliis in rebus tibi præſtare poſſem, idipſum præſtare maximæ mihi felicitati ducerem. Pſalmum necdum impreſſum eſſe, valde ægrè fero: præſertim quum damnum Typographi neutiquam cupiam. Eum ſi admonueris meo nomine, & oraveris, ut promiſſis ſatisfaciat, gratiſſimum ſanè feceris. Springlii noſtri opus de bello noſtratium aliqui putant moram facilè ferre poſſe, adeo ut ejus impreſſio minimè maturanda ſit. Quod te amice, & clam, & ſecretò monere volui. Cauſſam inter alias multas adferunt turpem ac deteſtabilem Apoſtatiam filii; in quam nuper lapſus eſt. Ego quidem editionem impedire nolo: interim quid alii judicent, tibi indicare non nolui, inque ſinum tuum inſinuare. Per me enim te monitum, velim minimè illum reſcire: ut tu ipſe pro tua prudentia judicabis, iniquum non eſſe.

De cæteris quæ ſcribam non habeo. Silent & conquieſcunt omnia apud nos. Synodus Conſtantiæ habita diffluxit iterum; in qua ſacrifici promiſcue omnes, quotquot illi Epiſcopatui ſunt ſubditi, in unum annum à florenis 100 reditus annui promiſerunt duos: pecuniam contributam Auguſtæ ferunt deponendam: fortaſſis in ſanctius aliquod ærarium. Nam ſparſũ dudum fuit, ab hominibus ſacri ordinis paſſim æraria ſanctiora fuiſſe inſtituta, in quæ contribuenda ab ipſis extra ordinem pecunia inferatur in belli uſus, adverſus Catholicorum, ut vocant, hoſtes, ſi forte armis eorum infeſtati fuerint. Curæ eſt, Pontifici, ut pacatam Italiam habeat, bellorum incendia extra hanc alat, beatoque fruens otio, ſuos locupletare queat. Elector Colonienſis Aquis Badenſibus apud nos uſus eſt in 7. ſeptimanã: in qua Poculo Argenteo inaurato, cui terræ Machina artificioſiſſimè inſculpta vel inciſa eſt, ab ampliſſimo Senatu noſtro fuit honoratus. Ante uſum thermarum Tigurum vidit: ſed nomine diſſimulato. Vale, V. clariſſime & humaniſſime,

 meque

meque tuo ſavore & amore proſequere. Tigurò. 17. Novembr. anno 1609.

T. Totus

Caſp. VVaſerus.

Nobiliſſ. & Clariſſ. V.
Dn. Melchiori Heminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico meo ſummè colendo.
Francofurtum.

CCCIV.

S. P. Clariſſ. V. amice Cariſſ. Speramus ego & D. Lingelsheim, accepiſſe te tum literas noſtras, tum γέρας Principale Sereniſſimi noſtri: de quo tibi gratulor (ut audii, graviſus ſum tua cauſâ, laboribus tantis honorem haberi) Expectamus autem & reſponſum tuum, & ſequentes pagellas Duditii, quas impensè D Lingelsh. amat, & prodire foras gaudet. Illas expeto, ut catalogum vel indicem conficiam, & ſi quæ ζάλματα forte enormia, notem. Corrector neſcio, num ſtudio folia quædam ſic intitularit: Pro cœlibatu: cum poni debuiſſet, pro conjugio. Sed nolo te fatigare. Unum hoc rogo, ut die Martis à P. Kopfio accipiam Duditiana impreſſa: Tum mittam prolegomena (die werden 4. Bogen machen) ut hoc menſe totum opus abſolvatur, & ad Lipſienſes ac Argentinenſes Nundinas Kopfius ex voto diſtrahere queat. Mittas quæſo etiam Ciſneriana, ſicut nuper petii. D. Hippolytus rediit, ſed ſtatim Studgartiam profectus. Loquar ei quamprimum licebit, ut Thuanum vobis pleniorem communicare poſſim. Deus aſſit tibi propitius. Vale & P. Kopf ſaluta. Heidelb. XV. Nov. 09.

T. D.

Amantiſſ.

Quirinus Reuter D.

Clariſſ. & Excellentiſſ. Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto
Polyhiſtori celeberrimo
Dn. & amico obſervando
Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopfen zuerfragen.

CCCV.

CCCV.

S. P.

JUcundiſſima mihi fuit epiſtola tua, gratulor tibi animitus hunc tanti Herois favorem eximium. Vides labores tuos æſtimari ab intelligentibus, & hujus ſanè judicium tibi eſto, inſtar omnium. Gratulor & alterum magni itidem herois judicium. Regis nempe Britanniæ, qui tua quoque monumenta in ſuo nupero ſcripto ad Reges in teſtimonium adduxit.

Sed lepidum iſtud, quod oſtendiſti Fabulam Muſtei Antichriſti Babylonici, ex antiquo libro, vellem & nominaſſes mihi librum illum, & intereſt explodi putidas iſtas fabellas. Reliqui quoque ſermones veſtri quos refers, mihi melliti fuerunt, tu vero cave exiſtimes prolixitatem epiſtolarum tuarum mihi moleſtiæ eſſe, ſuaviſſimus hic mihi paſtus animi. Gruterum nondum audire potui, anne LXX interpretes bonæ notæ in Bibliotheca adſerventur, quando huc venerit Princeps ille, dabitur opera, ut nihil ipſi denegetur. De Gobleri interpretatione ſedulò apud amicos inquiſivi, ſed nondum obtinere potui, cupio enim tibi gratificari, & merentur hoc innumera tua beneficia, & profiteor me tibi adhuc devinctum.

Jam avocor, tu vale & nos ama. Spero omninò quæ eſt liberalitas iſtius Principis, non infructuoſam tibi futuram hanc amicitiam. Si me conſultore uteretur, vellem tibi pinguem aliquem Canonicatum aut Abbatiam traderet, quomodo Reges Franciæ litteratos beare ſolent. Vale iterum vir clariſſime Heidelberga. Kalend. Sept. anno 1609.

Tuus
Omni ſtudio

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſ. de Goldaſte &c.

à Francfurt.

CCCVI.

CCCVI.

S. P.

REcte accepi litteras tuas, librumque tuum ſtatim uno tenore perlegi, cum magna mea voluptate, & gaudeo congeſta undique quæ ad rem propoſitam faciunt, quodſi acceſſus tibi daretur ad Archivum Principis noſtri, multa clarius & ſolidius tradere potuiſſet. Princeps Elector eo die, quo tuæ redditæ fuerunt, diſceſſerat ad venationes, à quibus intra paucos dies rediturus non eſt, itaque viſum, tradendum librum tuum cum litteris Cancellario noſtro, quem ſenſi ſæpius tibi bene cupere, is ſuſcepit librum tuum evolvendum, poſtea conſiderabimus, qũid è re tua futurum ſit, nec fallam ego opinionem tuam, nihilque intermittam, quod tibi commodare poſſe judicabo. Sed tu callidus, qui librum, in quo fabulam de Antichriſto reperiſti, apud me diſſimules. Colonienſis Argentorati per biduum ſubſtitit, Ignotus itidem haberi voluit, ſeque ac naturalem filium ſuum, pro Baronibus de Stockheim indigitavit, atque à Magiſtratu agnitus, deprecatus eſt ſollemnes munerum oblationes. In Zezneri Bibliopolio, comitatus unico filio ſuo viſus eſt. Friburgum abiit cum curribus duobus inde Friburgum, Baſileam, Conſtantiam. Ego non dubito, machinari ipſum fœdus & contributiones evertendis Juliacenſibus Principibus. Lotharingus terrore à copiis Regiis vicinis injecto, ſua præſidiis munit, tribus millib. præſidiariorum Nanecii collocatis. Gratulor tibi, quod tanquam oraculum Civitatum conſuleris, & gloriæ tibi erit & emolumento ea res. Gnaviter rem gere & ſalve Vir clariſſime. Heidelb. 7. Sept. 1609.

T.

Georg. Michael Lingelsheimius.

A Monſieur
Monſ. de Goldaſte, &c.
à Francfort.

CCCVII.

S. P. Gratum quidem quod fabulam de Antichriſto ipſam oculis ſubjeciſti, ſed nolim te librum ex quo exciſam video, corrupiſſe, tantum auctorem indicari volebam, nos exſcribendum curavimus, ac cum magna gratiarum actione tibi remitto, paratus viciſſim gratificari qua potero. Gratum mihi officium feceris, ſi commodo tuo apud Pariſienſes & Leidenſes librarios quæſiveris, num nam pro me aliquid attulerint, & mihi miſeris. Solent enim talia nonnumquam perire aut negligi ab iis, qui in nihil aliud quam lucrum intenti eſſe ſolent.

Vides qua libertate in te utar, tu viciſſim mihi ne parce, ſi qua in re uſui tibi eſſe poſſum.

Colonienſis cum Argentorati eſſet, congreſſum negavit Baroni Rappoſtenio, itemque Rectori Collegii Jeſuitici Molſemiani, quamvis eam ob cauſam ſe eò veniſſe diceret. Quod hic fuerit, vix credibile, ut latere potuerit, nam nemo quidquam hic reſcivit. Tibi gratulor rurſus, quod in te tam pronum ſe oſtendit, & ſpero fructum te quoque percepturum. Vive, vale & nos amare perge. Heidelbergæ. 15. Sept. 1609.

Tuus

G. M. Lingelshemius.

Illuſtriſſimus Anhaltinus adhuc Pragæ detinetur, Conſiliarii Cæſarei ſuper poſtulatis fœderatorum agunt, & ſpem aliquam faciunt, fore ut & Donaverda Imperio reſtituatur, & Juliacenſes Principes in ſua poſſeſſione non turbentur. Non ego facilis aut credulus illis.

A Monſieur

Monſieur de Goldaſte, &c.

a Francfort.

CCCVIII.

S. P. O ſi ſciſſem hoc deſiderium tuum de ſigno Principis jam certe haberes pro voto. Nondum licuit affari Principem faciam id ſi pote, hodie, & gratias tuis verbis agam, & ſpero, quod ambis, impetrabo. D. Quirinus mihi indicavit ſe Dudithiana quædam, meo ſuaſu, apud vos edere, atque in eo, tua opera ſe uſum, te majorem in modum oro atque obteſtor, ut in utiliſſimo opere nihil intermittas. Virum illum colui vivum & veneror mortuum: ob ſummam olim in me demonſtratam humanitatem, ſed magis ob probitatem, doctrinam, veritatis ſtudium, & ἦθος illud perfectum viri boni & præſtantis. Scio labem ejus famæ adſperſam ob commercium cum Arrianis, ſed mihi de ejus recta fide in Chriſtum, & pia morte conſtat. Tu fac ut quam perfectiſſimè iſta edantur. Habes multas ipſius inſignes epiſtolas, quas edere cupio quoque. Ubi videris, probabis ſat ſcio. Bongarſius noſter Duſſeldorpium miſſus à Rege Legatus, inde Berlinum. Me anxium habet & ejus ſalus hoc tempore, & totius iſtius negotii exitus. Tu vive valeque & à Dn. Cancellario ſalve. Rediit ad nos Freherus ſalvus.

Heidelb. 24. Novembr. 1609.

Tuus

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſte, &c.
à Francfort.

CCCIX.

S. P.

Sint Mecœnates; non deerunt Marones, Excell. V. de te dicamus, qui de Republ. bene mereris. Illos in magno numero tibi exopto. *Thuani* partem mitto. Quia exemplar unicum hic ad amicos poſſeſſoris plures defertur, & quaſi circuit; non totum deſcribi ſimul poteſt. Hoc tamen menſe habebitis reliqua, quæ

penes

penes nos ſunt. Spero nos poſtremam partem etiã nacturos. Studium meum vobis polliceor: de quo etiã P. Kopf ſcripſi.

Ciſneriana, quæſo, mittas quamprimũ potes: & ſimul folia Duditianorum reliqua. Diſpiciam poſt aliquot dies de auriga, qui iſthuc itat: per eum exemplaria mihi poterunt mitti. D. Lingelshem. tuas rectè traditas ſcit. *D. Hippolytus Thuanum non vidit*, tum in prædio ruſticantem.

Quid nunc parturias bono Reip. ſi fas eſt ſcire, lubens ex te cognoſcam. Deus ſufficiat animi corporisque vires, & te locupletet. Vale. Cal. Dec. 1609.

T. E.

Studioſiſſ.

Quirinus Reuter, D.

Excellentiſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
&c. Dn. & amico dilect. & hon.

CCCX.

S.P. Sicut pollicitus ſum ſuperioribus meis, Sereniſſ. Principi gratias egi tuo nomine accuratè pro magnificentia muneris tibi miſſi. Gratum id habuit, & meminiſſe ſe dicebat tui & agniturum ſi videat, valde te laborioſum eſſe oporteat taliaque. Ibi addidi perſtudioſum te eſſe nominis Palatini & dignum videri, qui aureo Principis ſigillo doneris, quod tibi honorificum apud cives Francofurtenſes futurum ſit. Pronum ſe oſtendit, & daturum tibi aliquando, poſt alium ſermonem orſus eſt, nec meæ frontis fuit, ulterius inſiſtere. Saxo Argentinenſibus miſit ſcriptum ſuum, & conqueſtus eſt, quod per ſuos adverſariorum ſuorum in cauſa Juliacenſi, partes Cæſari commendaſſent, immemores acceptorum beneficiorum a majoribus ſuis. Is etiam oratorem habet in Anglia, Doctorem Juris. Scis Mansfeldium ab eo in Galliam miſſum cum comitatu ſexaginta hominum, in quibus triens eſt de nobilitate. Vereor ego, ut noſtrorum hominum lentore, tota cauſa

pereat. Cæſar proſcripſit ordines Juliacenſes & militares omnes, ni intra 6. Septimanas mandatis pareant. Leopoldus copias majores contrahit, Mansfeldius quidam & Creangius Baro, ſinguli 200. cataphractos conſcribunt. Te Deus ſervet incolumem. Vale Clariſſime Vir. Heidelberga. Kal. Dec. 1609.

T. omni ſtudio

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de Goldaſte. &c.
à Francfort.

CCCXI.

S. P. D.

QUis tibi index mei reditus? nam ego me probè latere putabam, & quietem frui poſt emenſos labores parabam. Quietem enim volo, quicquid meis ſtudiis laboris impendo. Sed bene eſt quod te quoq; ſalvum recipio, & ſtudiis operatum. Lipſii epiſtolas quotquot habeo, Kopfio noſtro mitto: cui ut & tibi non facile quidquam negavero. Velim in eis reliquis diſponendis, ordinem temporis quo datæ ſervari accuratè. De reliquis promiſſis videro: jam occupatiſſimus. Itaque vale & ſalve & ad multa mearum præcedentium, quæ non tam reſponſum quàm gratificationem deſiderabant, reapſe & realiter reſponde. Dat. Heidelb. 8. Decembr. 1609.

Tuus

Freherus.

Autographa mea mihi ſalva reſervari & reſtitui cupio.

A Monſieur Goldaſt de Heimingsfeld,
à Francfort
In Herrn *Petri* Kopffen Buch-
händlers Hauß zu lieffern.

CCCXII.

SVide, quam cupiam deſiderio tuo, Cl. V. amice cariſſ. & hoſpitus tui ſatisfacere. Mitto *Th. usq;* ad annum 80. Notavi locum invi-

inviſioſum de Germanis & Caſimiro Duce; quem expungerem, ſi præeſſem editioni. Cogitabis quid deceat. Commodum nactus ſum adhuc aliquot duerniones. Deſcriptos brevi habebitis. Sed uti pridem prudenter ſcribebas, cavete ne mihi officium iſtud afficiat. Nomen meum planè tacete; ut porrò, ſi cetera veniant è Gallia, vobis opitulari queam. Folii primi, quod ante mercatum vobis deſcriptum miſi, jactura nondum ſarta, nec oblita peperit offenſam, &c. D. Cancellarius accepit etiam illum tuum librum, Imp. decr. contra imagines: &c. cujus in literis ad ipſum nulla mentio facta à te: ſicut retulit. Uno verbo indica, Te ipſi miſiſſe. D. Lingelsheim jam manibus captus, te pl. ſalutat. *Duditiana* non belle impreſſa, ſed vitioſiſſimè, negligentiſſimè (ne dicam quid gravius) ægre ferimus. Moneo Kophium, ut corrigat illud præfat. fol. b. pag. 2. Profeſſ. in Acad. Heidelbergenſi: Urge quæſo ipſum, ut emendetur iſtud grande σφάλμα in titulo: & alia quædem craſſiora, quæ notavi. Deformant ſanè totum librum. Expectabo exemplaria 3 vel 4. integra. Spero enim abſoluta eſſe. Emmelio ſcripſi de Ciſnerianis: quæ continent egregios quoſdam tractatus. Mittam proximè Librum II. & III. Primum enim habet, in quo ſunt Impp. vitæ, à Zeznero vitioſè excuſæ, à me correctæ: & de Palatinis manuſcripta, non omnia hactenus edita. Sic & in ſequentibus plurima nondum viſa, ſed à me ex autoris αὐτοκακογράφοις eruta, non parvo labore q. reformata, continentur. Deus O. M. ſua gratia nos utrinque cumulet. Vale & ſalve. 15. Dec. 1609.

P. T.

A. S.

Quirinus Reuter.

Clariſſ. V.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, &c.
Dn. & amico obſervando.

CCCXIII.

SAlutem. Officium meum Vobis probari gaudeo. Nec in poſterum deero. Tu quæſo ſignifica, quid ab hoſpite

vel expectare vel petere debeam. Noſtri ordinis homines Typographis ſervire ſolemus: ipſi lucrum, nos quid habemus? Tu verò, Opt. & amiciſs. Vir, meam cauſam apud hoſpitem ita ſuſcipe, ut de tua benevolentia tibi plus etiã debeam. Puto propediem iſthuc aurigam noſtratem iturum. Tum plura ſcribam & mittam. Jam rogo tranſmittat mihi hoſpes aliquot exemplaria Duditii. Deum oro ut ſtudiis & valetudini tuæ copioſiſſime benedicat. Vale & ſalve. 22. Decembr. 1609.

E. T.

amantiſſ.

Quirinus Reuter. D.

Clariſſ. & Excellentiſſimo Viro
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico S, &c.

Franckfort

CCCXIV.

S. P. D.

QUo loco res ſint Vitoduram noſtri, Vir Nobiliſſ. & amiciſſ. ad te ſcripſi die 17. Nov. Nunc incluſas Lubleri noſtri comẽndare tibi volui, teque iterum atque iterum rogare vehementer, velis apud Clariſſimum Palthenium ſtudioſè inſtare, ut analyſin meam imprimat ad nundinas proximas. Id ſi fecerit, quod ut faciat rogo enixiſſimè, magno me ſibi beneficio devinxerit: & tu quoque. Libellus eſt; quem proinde abſolverit paucis diebus: & operis etiam extraordinariis; ſi prela aliis excudendis ſint occupata. Iterum rogo inſtes, & ut petitioni meæ ſatisfaciat, urgeas; quem non pœnitebit, mihi gratificatum eſſe, pro comitate & humanitate ſua. Publica apud nos conquieſcunt. Genevæ nuper ſubortus eſt rumor conſpirationis novæ pernicioſiſſimæ; cujus duntaxat detecta ſumma: arcana nondum patuerunt. Liber Regis Angliæ, quantum audio & extat, & proſtat Venetiis, & teritur cupide: rabidam cujus fecit ore-

orexin furor adverſariorum. Nec inultum foret Bellarminus, quòd invidioſam iſtam Camarinam denuò moverit.

Hæc ocyus. Vale, Vir præclariſsime ac florentiſſime, & brevi tractatum de Menſuris meis accine à Dn. Voegelino noſtro, qui cum typis ſuis deſcripſit non ineleganter. Deus O. M. tibi æternum benedicat & hunc ineuntem annum fortunatisſimum eſſe velit; ut & plures ſequentes. Tiguro 23. Decembr. 1609.

Tuus totus

C. Waſerus.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Viro
D. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto,
Dn. & amico meo ſummè colendo.
Francofurtum.
Bey Hn. *Doctor Palthenio* zuerfragen.

CCCXV.

S. P. D.

AD literas tuas, Vir præſtantiſſime, Calendis Auguſti, datas, ſequenti 22. ejuſdem menſis reſpondi. Quibus præterea, ſub finem Septembris alias adjunxi, quas revertenti Dn. Ludovico, agnato meo, ex aula Cæſarea, domum, ut Heidelberga Francofurtum ad te mitteret, commiſi; in quibus inter alia, libri de unitate Eccleſiæ, titulum, quem Hutteno tribuunt, miſi. Utrum autem has poſteriores acceperis nec ne, propterea dubito, quod in tuis 15. Novemb. datis, nulla mentio de hac re fiat; Eodem modo cupio te ſcire, ſecundum Imperialium Collectaneorum tomum, nec non partem tomi ſecundi Germanicarum, qui libri, ut ſcribis, deſtinati mihi a te ſunt, me nondum accepiſſe. Peto igitur, ut Copſium admoneas mihi eos cum reliquis mihi mittendis, ut mittat, & precium pro illis in rationes noſtras referat, nolo enim tibi hac in re, ob ſumtus moleſtus eſſe, Somnium Viridarii quod expetis, non habeo, neque memini illum librum me unquam videre, alioquin libenter mitterem. Inqui-

quiram autem diligenter, ſique nanciſci eum potero, tuæ petitioni, ſicut in aliis quoque rebus, quas tibi gratas eſſe animadvertero libenter gratificabor. Incidi nuper in Patavium Cornelii Aurelii, in fine ejus libri inſertum eſt ſcriptum ejuſdem autoris, cujus titulus eſt: Diadema Imperatorium, ſive de Coronatione Maximiliani Imperatoris, deque boni Imperatoris officio. Dignum eſſet hoc ſcriptũ ut à multis legeretur, ſi non in eo nonnulla odioſa de Aquila detruncata, & veluti deplumata continerentur. Tu verò, Vir præſtantisſime, perge, ſicut cœpiſti, in eruendis antiquis & utilibus ſcriptis, majori ex parte obſoletis, & neglectis, ad utilitatem & ornamentum Reipublicæ; Optarem autem ut in ejuſcemodi tuis præclaris conatibus adjuvandis tibi fidelis Adſtes, & adjutor eſſe poſſem. Vale, & tibi certò perſuade, me tui ſtudioſisſimũ eſſe, talemque perpetuò permanſurum. Vale feliciter. Datæ 25. Decembris, Anno 1609.

T. Philippus Camerarius, D.

Nobili & Præſtanti Viro,
Domino Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto, &c.
Domino & amico meo obſervando.

CCCXVI.

S. P. Claudam annum ſcribendo & mittam ſimul, quæ apud nos excuſa aliqua. Plura ſi voles exemplaria mittere potero occaſione oblatâ gratuita. Cũ Domino Camerario heri mihi ſermo, antequã ad Conventum Hallenſem iret: is magnopere tuum tomum ſecundũ videre deſiderat: teſtatus eſſe ſibi ex eo genere alte Abſchied / quæ neſcio unde Noribergæ adeptus ſit, & tibi paratus communicare. Itaqi benè collocabis exemplar, nam primũ tomũ à te habet. At Dn. Hippolytus utrumque deſiderat. Scribe an Verſionem Goblerianam Ordinationis Carolinæ Maleficidis nactus ſis. Sin, videbo ut Spiræ, quo propediem cogito, eruam.

Palatinæ rei Commentarium tuum jucundè perlegi, uno ſpiritu & ſeſſu. Studiũ probo & laudo. In aliquibus diſſentio: in queis puto te ultrò mutaturum ſententiam, ubi ſecundam partem Originum Palatinarum videris, quæ jamdudum parata prælo, & mox ξὺν

Θεῷ

[illegible] Plurimum [illegible] hac [illegible] extradet Vossius, [illegible] tandem mihi maximè commodus. Tuum, [illegible] [illegible] vel specimen videre [illegible]. Nam de [illegible], & [illegible] pridem [illegible] jam desperavi. Vale & salve, 17. Dec. [illegible].

[illegible]

[illegible] quid [illegible] fecerit ad petitionem Cæs. de [illegible] [illegible] Oedan & Olterbeckio tradendis.

[illegible] Dn. Joannes à Glauburg [illegible] decesserit, quod audio, [illegible]. *De [illegible]* meditantem tum secundum editionem [illegible] accepi. [illegible] per occasionem. Habeo adhuc epi[illegible] ad Taubmannum editam cum [illegible] *Latina*, [illegible] habes, mittam.

[illegible]

[illegible]

CCCXVII.

SAlve V. Cl. [illegible] honorande. Laudem [illegible] apud [illegible] & historiarum Studiosos meruisti, quòd [illegible] [illegible] veteres & recentiores in lucem edidisti [illegible] [illegible] qui Ranco tantum [illegible] historiarum [illegible] [illegible] est, exsibilant, [illegible] [illegible], quòd [illegible] præfatione mentionē [illegible]. Sed mitto his: quod tertiam partem [illegible] misisti, grati & hilari animo accepi, utinam remunerandi occasio daretur. [illegible] priores [illegible] tua liberalitate [illegible] an[illegible] (quid enim cauda sine ventre & capite?) [illegible] ea tamen [illegible] [illegible] Chronologiæ meæ, [illegible] [illegible], quam emendatam [illegible] Typographi falsum, ubicunque [illegible] [illegible]. Ex his collige, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

 ampli-

[illegible] accenſis. [illegible] hiſtoricæ & [illegible] [illegible], ut [illegible] ea [illegible] [illegible] pter [illegible] hominum [illegible] quod [illegible] recipere nolui, [illegible] ad mundi [illegible].

[illegible] integram hiſto-
riam [illegible] raptim ſcriptam [illegible], ut [illegible] legas, ut [illegible] Magiſtratus [illegible] ha-
beant, [illegible] & Religionis noſtræ homi-
nes [illegible] bellum moveat, [illegible] poſſit; [illegible] tor. [illegible] commo [illegible] Nova, in [illegible]. Ne falſa pro veris ſcribantur, ut ſæpe in rebus Helve-
ticis [illegible] abe[illegible]ratum. In Tſchudio [illegible] pro Ludo[illegible] p[illegible] ſ[illegible]i, quia liber non erat ad manus. [illegible] Peregrina-
tionem [illegible] non meminiſſe cui mutuo dederit; velle tamen [illegible] & nihil magis optare quam ut [illegible] memoriam in lucem edatus [illegible] nactus fuerit. [illegible] optim. [illegible] condonato. Vale & me [illegible] 26. Au-
guſti 1607.

T. [illegible]

[illegible]
[illegible]

CCCXVIII.

Nobil. V.

C[illegible] ut exemplaria [illegible] Typographum [illegible] ſtatim [illegible] Cum [illegible] Typographo [illegible] [illegible] poſſit. [illegible] [illegible] quæ [illegible]

[illegible]

[illegible] perſequntur in [illegible] Moguntini [illegible] in [illegible] [illegible] publicè fiet tamen [illegible].

[illegible] Petrus Hainzelius à Degerſtain [illegible] noſter per Galliam, Italiam, Germaniam, &c. diſcipulus & Comes in itinere poſt [illegible] [illegible] hebdomad. ſpatio DCCC. milliaria Germanica obit[illegible] [illegible] ſcripſi adhuc litteris [illegible] cui [illegible] ob-[illegible] , [illegible], ut hic excuda[illegible] unà cum pluribus [illegible] tuam amicitiam. Tantum vo[illegible]. Tu Vir Nobiliſſ. vale, [illegible] patronus eſſe perge. Raptiſſ. Hanov. 16 Decembr. [illegible]

Nobiliſſ. Ampl. T

obſerv.

J. R. Lavaterus.

[illegible] Ampliſſ. Viro
[illegible] Haminsfeldio Goldaſto.
[illegible] celeberrimo.
[illegible] meo magno.
Franckfurt in dem Carmeliter
Cloſter zu erfragen.

CCCXIX.

Clariſſime & Nobiliſſime Vir. Magnificum tuum munus [illegible] animo accepi, & eo nomine maximas tibi ego gratias, [illegible] vellem. Nemo, quod ſciam, apud nos eſt, præter D. [illegible], qui aliquos ſcriptores antiquos rerum Helveticarum habeat, aut eorum editionem paret. Nec ipſe, [illegible] hoc tempore aliquid attentavit: nec alibi [illegible] [illegible]. Verò ergo [illegible]

[illegible] W[illegible] ubi delite[illegible] [illegible]. [illegible], [illegible] eſt, cum aliis fragmentis Hiſtoricis ad [illegible], [illegible] concedente Deo, [illegible]. Si edition[illegible] digna [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] dol[illegible]. Nam [illegible] Cuplogo [illegible], [illegible] [illegible] [illegible], ac [illegible] de [illegible] [illegible] eſſe, plurimum præſtare, & magnam inde, [illegible] [illegible] laudem; quo nomine tibi gratulor, & ut pergas [illegible] & [illegible] [illegible] rogo. Herr Peter [illegible] unſer Ober[illegible] [illegible] mir an/ Er habe ſeine [illegible] [illegible] zum H. Grab [illegible] [illegible] wiſſe nicht eigentlich warumb/ wo ſie [illegible] [illegible]/ wölle ſie mir gern übergeben/ und verwilligen/ daß ſie truckt werde. Reliqua alias. Hæc per D. Caſparum L[illegible] noſtrum. Datæ 17. Aprilis. Memorabilis rerum [illegible] hodie [illegible] eſt. Ante annum in Rhætos iniqua p[illegible] arma. Hæc die maxima pompa, ſtrepitu armorum, terribili [illegible] bombardarum, honorificè excepta eſt ſponſa Rhætica, ex familia S[illegible], quæ nupta eſt Dn. Joh. Georgio Æſchero, quæſtori [illegible] [illegible]co Nepote, fuit is Capitanei Holzhalbii in Bello Generenſi Legatus. Vale amicorum optime.

T. T.

M. VVidler[illegible]

[illegible] & Clariſſimo Viro
D. [illegible] à [illegible]feld[illegible]
[illegible] vando.

[illegible]

CCCXX.

S. V. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] g[illegible] [illegible] [illegible] Æ[illegible] A[illegible]. [illegible] C. C[illegible], C[illegible] [illegible] W[illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] collecta & à me utcunque diſpoſita. Quid illis Nominibus [illegible] ſit, conſule ejus Bibliothecam. Quæſo ea auge[illegible] & [illegible] ordine redigere digneris, ut in lucem tandem prodeant. De W. T[illegible] quod rogas. Nullam ejus fieri apud [illegible] ſcriptores mentionem. [illegible] eſt, nolli enim illius [illegible] [illegible] invidia [illegible] apud exteros [illegible] commendatam. Nuper fui in cœnobio [illegible], rogavi Abbatem, ut Chronicon illam [illegible], quod toties citat D. Stumpf. in quo hoc & alia continentur, inſpiciendi copiam faciat. Negavit amplius in [illegible] Bibliotheca extare. Ignorari, cui ſuperiores Abbates [illegible] [illegible] ſperare tamen, ſi in boni viri manus inciderint, tandem ut alia quædam vetera in lucem proditura. In con[illegible] [illegible] intentus ſum. Collegi interim hunc [illegible] duas & [illegible] hyemes. Nil apud nos novi, niſi quod quidam Viri pruden[illegible] [illegible]tur, vicinos noſtros, qui ſubinde conveniunt, aliquid [illegible], ſuo more, alere. Vale, hæc difficulter ægra manu ſcripſi, [illegible] Martii 1608.

T. T.

Marcus VVidlerus T. Eccle- *ſiæ [illegible].*

[illegible] & [illegible] Viro *D. D. [illegible] à Hasminsfeld.* *[illegible] eximio, amico ſuo obſerv.*

Franckfurt.

CCCXXI.

S. P. C. V. Amice obſervande. Mitto tibi [illegible], quæ ultimis meis literis tibi promiſi. [illegible] fragmenta [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] publici juris [illegible]. D. W[illegible] [illegible] ad M[illegible] ex [illegible] exemplari [illegible] [illegible] Annales, quæ res memoratu [illegible] [illegible] quod tibi [illegible], [illegible] hæc & alia [illegible]

 ta

na, videre optamus. Ego duriſſima hac & nivoſa hyeme collegi de hujusmodi graviſſimis hyemibus Commentariolum & in aſſare [illegible] continuavi: Hoc titulo:

Von unnatürlichen Winteren.

In welchen von harten Winteren / grimmiger Kälte/ tieffem Schnee/ ſchädlichem Froſt gehandelt und daben angezeigt wird/ was Schaden ſie gethan/ und ſich ſonſt Wunders darvon verloffen.

Si [illegible] apud vos committi ſperandum ſit, proximis [illegible] nundinis, maturè tranſmittam. Nullum ego pro me peto, præter exemplaria quædam amicis communicanda. Ego Dei beneficio optime valeo, ut cui ſit mens ſana in corpore ſano. Speramus bonam vindemiam. Vites enim nec arbores hac hyeme periere. Verum [illegible] tempore Auſtro perpetuo flante arbores florentes damni aliquid paſſæ ſunt. Vale V. Cl. & me amare pergas [illegible] Aug. 1608. Kilchbergæ Tigurinorum.

T. t.

M. Vl[illegible]

Nobil. & Clariſſimo Viro,
Dn. Melchiori Goldaſto à Haiminsfeld.
Polyhiſtori, amico obſervando.

Franckfurt.

CCCXXII.

S. P. Literas tuas, Vir Nobiliſſ. & Clariſſime 26. Julii datas [illegible] Aug. [illegible] apud R. [illegible] Virum D. Rudolphum [illegible] [illegible] obſervandum ponderem, accepi, [illegible] Typographo noſtro [illegible], Dici non poteſt, quam exhilaratus [illegible] de magnifico & [illegible] munere [illegible] nobis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] habe. [illegible]

[illegible] & hiſtori[illegible] ſtudioſos [illegible], omnia ſunt [illegible]. [illegible] clariſſimus Dominus VV[illegible] [illegible] noſter [illegible] liberaliter & benignè ei communicat, quæ ad [illegible] [illegible]. Librum ſuum de Monachis [illegible], & in duos Tomos diſtribuit. Poſteriorem Jeſuitis [illegible] [illegible]. Rogo [illegible] [illegible] velim, [illegible] quæ in Jeſuitas ſcripta (manu [illegible] ſignata, aut alia) apud vos proſtent, [illegible] & amplam commoditatem habes, coëmere & [illegible] noſtro, qui tibi fideliter ſatisfaciet, tradere digneris. [illegible] Catechiſmum Jeſuiticum. Non tritum illum Caniſii ſed [illegible] dictum, qui fraudes, impoſturas, veneficia Jeſuitarum [illegible]. Gallicè impreſſus eſt Anno 1602, à Villo-Franc[illegible] [illegible] Guillaume Grevier. Quia ejus linguæ ignarus eſt, Latin[illegible] [illegible] cupit. Nullis ille ſumptibus parcit, modo op[illegible] A[illegible], à quo Papa nomen derivatur. Ob[illegible] occaſione [illegible]. Hactenus explicui Apocalypſin B. Joh. variæ mihi hiſto[illegible] meditatione liberè dico, demonſtrationes, quamvis multorum interpretum opera deſtituor, quotidie occurrunt. Dabo tandem, dante Deo, quæ habeo, in lucem. Ad rem. [illegible] an is ſit, quem promiſiſti liber, qui [illegible] in Catalo[illegible] [illegible]. Statuta & Reſcripta Imperialia &c. an ho[illegible] Ruthenicum Jacobi [illegible] bilis Dani. Quod de Collero [illegible] Parocho ſcribis, exiſtimo quidem ipſum more ſuo glo[illegible], vix enim ſine theſeo antiquam literaturam legere, nedum [illegible] poteſt. D. Hoſpinianus, affinis ejus, ſi quid habet, è [illegible] [illegible] potuit. Non credis, [illegible] cum [illegible] Viro [illegible] hactenus actum ſit: & [illegible] [illegible] ereptus fuerit. Vidi [illegible] amicũ [illegible] D. [illegible] ad [illegible] antiq[illegible] [illegible] L[illegible] [illegible] [illegible] deſcribendam curabo. [illegible] [illegible] D. VV[illegible], [illegible], [illegible]. [illegible].

Eſt [illegible] adhuc, quod [illegible] velis, Obiter collegi Calendarium Eccleſiaſticum Reformatorum. In quo conſigno Dies & Annos S. Martyrum noſtro ſeculo, qui Eccleſias ſuo ſanguine [illegible] runt. Obitus etiam doctorum Virorum, qui ſcriptis & viva voce eas plantarunt. Regum, Principum & Clariſſimorum virorum, qui eas defenderunt & promoverunt. In Catalogo [illegible] plurimas conciones funebres Cl. & Doctorum Virorum, quæ [illegible] mihi [illegible] vire poterunt. Rogo ergo, ut per ſtudioſum quendam, cum hæ apud vos habeantur, dies & annos Emortuales exſcribere digneris. [illegible] ego meam tibi offero, & me ut hactenus feciſti, amare & ſtudia promovere pergere velis, peto. Vale Vir Cl. Cal. Septemb. [illegible].

T. t.

M. [illegible]

Nobiliſſimo & Cl. Viro
Dn. Melchiori a Heimensfeldo Goldaſto,
[illegible] literarum & ſcientiarum periti[illegible]mo, amico [illegible] obſerv.

Franckfurt.

CCCXXIII.

S. P. Clariſſime Vir, libros, quos dono miſiſti, hilari & grato animo, ſi modo gratias referendi daretur occaſio, accepi. De Vitoduran[o] inquiſivi diligenter, Gelerus ait, ſe folium unum & alterum tantum exſcripſiſſe. D. Jo[h]-Holdricum VVolphium ex[illegible] [illegible]burgenſem, nunc hujus urbis prætorem illum habere, Hic [illegible] D. H. Bullingerum ad quem jure pertinebat, redemiſſe. Ab hoc prece & pretio, qui eum legere non poteſt, [illegible] eſt; id negoti [illegible] D. VVaſero, [illegible] ipſius.

Mitto, quam [illegible] Epiſtolam D. D. Vadiani Coſ. ad D. Bullingerum de antiquis Francorum vocibulis, ſi quæ præterea in ſcriniis meis [illegible] [illegible] [illegible] publici juris [illegible], & [illegible]. Nova nihil habemus, niſi quod [illegible] odioſum illud [illegible] à Jeſuitis excitatum [illegible]

& Bco-

[illegible] Hi aperte [illegible] nostri [illegible] princi-
[illegible] altare [illegible]. Ve-
[illegible] ex Hispania huc tandem belli molem transferat. Nec tan-
[illegible] quanto [illegible] libertati [illegible]. Unicum, quod
[illegible], oculos [illegible]. Hic [illegible] nos,
[illegible] D. [illegible] Groſmann [illegible]
[illegible], & Proc. Joh. Zieglerus. Hen. à Schoenau [illegible] ple-
[illegible] Deus det [illegible] & fortes ſucceſſores. Vale, meamque pergas,
[illegible] exhilerato, 24. Martii 1609.

T. t.

M. [illegible] Kirchb.

Qui [illegible] ſit D.D. Æglinus noſter, miramur, [illegible] ab eo litera-
rum accipimus.

[illegible] Nobiliſſimo [illegible]
D. [illegible] à [illegible]feld,
[illegible] amico obſervando.

Franckfurt.

CCCXXIV.

S[illegible] quoniam referre non poſſum, magnas gratias, quod [illegible] [illegible] meam auctiorem [illegible]: Rogo, [illegible] plane importu- [illegible] do habeas, in eo ſtudio pergas. Me ſemper ad omnia [illegible] paratum habebis. D. [illegible]gerus, apud quem latitat Vitoduranus initio ſe moroſum & difficilem præbuit. Conqueſtus illum mala fide ante plures annos ex Bibliotheca Avi b. m. à quodam [illegible], & Nobili viro D. Henzelio magno pretio venditum, & post varios Dominos, eodem pretio ab ipſo redemtum. Nolle illum pati quoniam jure ad ipſum ſpectet, [illegible] ab aliis edantur. D. Ho[illegible], [illegible] e- [illegible] rationibus placate hominem conati ſumus. [illegible] die- bus obviam mihi [illegible] paulo mitior fuit. [illegible] Domino Walt[illegible] [illegible] ordiur querelam. Au-

[illegible] illum parum honorifice de pugna [illegible] ad Vite-
durum Anno 1492. in bellis Helveticis ſcribere. Eum multa
habere fabuloſa. Plurima in laudem [illegible] fingere:
Fridericum II. Imperat. hoſtem Eccleſiæ Schiſmaticum voca-
re. Hæc aliaque [illegible] eſſe. Hæc eſt
illius [illegible]. Reſpondi. Et [illegible]
illam pugnam ex Vitodurano tranſcripſiſſe. Wurſtiſium, Fre-
herum & alios viros doctos, qui antiquos ſcriptores rerum Germa-
nicarum in lucem ediderunt, nihil tale [illegible] ſed bona fide in lu-
cem [illegible], ne illos ſcriptores ſuſpectos redderent. Ipſum,
prout exemplaria ferebant, ſcripſiſſe. Nec mirum, Monachum
de pio Imperatore male ſenſiſſe. Nullos enim graviores hoſtes
habuit, quam illud hominum genus. Prodierunt noſtro ſæculo
plurimi hujusmodi ſcriptores, in quibus eruditi Viri nil [illegible]
runt, judicium penes Lectorem eſto. De equo [illegible] ridicula
videtur fabula. Simile quid Anno 1520. in Rhætia accidit. Ad-
dam poſſe te pro tua eruditione, cum notis illuſtrare & recenſere,
quod in aliis authoribus præſtiteris. Modo illius verba ſarta te-
cta maneant. Ne adimatur fides authori. Ad proximas nun-
dinas [illegible] Deo [illegible] Monachorum Bernenſium hiſtoriam
cum Auctario Wimphelingii aut hominem judico. [illegible]
[illegible] Peregrinationem in terram ſanctam tanquam [illegible]
[illegible] deſcriptam adjungam. Vale & me [illegible]
[illegible] 1604.

Tt.

Marcus [illegible]
[illegible]

[illegible],
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Simile

DCCXXV.

S. P. D.

SUperioribus annis [illegible] redd[illegible] te ſunt mihi amantiſſimæ [illegible] Hoſchium, Galdafte, quibus [illegible] Te autem quoque ad me dediſſe plures. Ego [illegible] nec ante illas, nec poſt illas abs te vidi: quod etiam [illegible] tibi jampridem ſignificavi, ſi modò accepiſti. Cave ne putes, me tam barbarum negligentem aut faſtidioſum fuiſſe futurum, ut ſalutationem veteris amici [illegible] non [illegible] utarem. Aliam [illegible] igitur culpam, qua-[illegible] eſt ut tuæ ad me non pervenerint, noli quæſo mihi imputare. Ceterum mihi pergratum fuit, quod intellexi, Te non ſolum [illegible] noſtri cum benevolentia conſervaſſe hactenus, ſed etiam [illegible] eſſe [illegible] ut ultro [illegible] tua officia [illegible] velim [illegible] & ego nunc quoque. [illegible] præterea, [illegible] ad [illegible] D. [illegible] Conſilium [illegible] quod [illegible] i. Sed nihil in hunc uſque diem vidimus.

Illud autem, quod eſt in oculis omnium [illegible] publica [illegible] Te [illegible] Germ. [illegible] quæ ad jus publ. & [illegible] pertinent, tanta diligentia collegiſſe [illegible] Pro quo certè [illegible] & quæ [illegible] & ſi qua eſt [illegible] Hortor autem te, adeoque obteſtamur [illegible] cum ſumma tua laude [illegible] Reip. [illegible] Ajunt etiam, Th[illegible] marginalibus [illegible] Quo [illegible] de [illegible] Melior, [illegible] Tellcher, [illegible] De noſtris ſtudiis & [illegible] opere atque conatu [illegible] te [illegible] epiſtola, ut & [illegible] de rebus. [illegible] plura non permitte-

 hat

bit tempus. A[illegible] hæc [illegible] & [illegible] consule quamvis visi[illegible]. Vale & salve. [illegible] die 7. Septembr. 1609.

T. M.

[illegible]

Nobilissimo [illegible]

Dn° [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] am Mayn.

CCCXXVI.

HAut dubie magna tua cura & ſedulitas fuit in perquirendis [illegible] promendisque, quos notaram, libris ſuis, nam cum [illegible] Bibliopolis [illegible] conſignaſſem, non potuerunt, aut [illegible], qui [illegible] ligenti [illegible] noluerunt. Habeo gratiam [illegible] me, ſi quid contra [illegible] les, [illegible] operam, ut ne fruſtra quoque ſis, tibi [illegible]. Sed [illegible] ſecro tan [illegible] & Helvetios & Franci[illegible]os ſcriptores [illegible]. Mirum quam a[illegible] utrosque, imò indigeo, nam in Helvet[illegible] haud [illegible], quæ Auſtriæ Principes etiam att[illegible]. [illegible] duo [illegible] Stra[illegible]ero, alterum D. Frehero [illegible] Fr[illegible] Caroli [illegible] & Grueteri [illegible] & [illegible] Germanorum Imperio. Ho[illegible] & [illegible] Bibliopolæ [illegible] quæ [illegible] S[illegible] ſolvet. Addes ſi quid novi [illegible]. De Caſauboni in Polybii [illegible] habes? [illegible] nos [illegible]. [illegible], quantopere, [illegible]. Friburgi [illegible].

[illegible]

[illegible]

Dn. [illegible]

Francofurt.

CCCXXVII.

CCC[illegible]VI.

S[illegible] En vobis [illegible], reddo folia Th. [illegible] Olim [illegible] quid [illegible] Ego [illegible], [illegible] non eſſe illud ipſum exemplar quod [illegible] Nil aliud, nil amplius [illegible]. Hinc [illegible] Et [illegible] mirabar, cum [illegible] dies legerem [illegible] eſſe [illegible] integrum; nec id nobis hactenus [illegible]. Si D. [illegible] totum opus [illegible] neque [illegible] exemplar pro [illegible] theſaurumque habere. Nec enim illum aliud [illegible] eſt; nec putamus adhuc [illegible] eſſe Literæ. Id [illegible], nec [illegible] Hæc [illegible] meis verbis expone: [illegible] exemplaria Duditii hac vice mitti. Spero me [illegible] nundinas ſequentia folia Th. Sin minus: Saltem vos [illegible] potero, quicquid erit. D. Lingelshemius pl. te ſalutat, ob [illegible] bere non potes: & ait ſe Suevica tua habere, idemque non [illegible] Sed ſi mihi velis mittere, placere. Dicebam [illegible] me Suevica iſta non vidiſſe. [illegible] quia [illegible] cupit imprimere Camerariana. Remittam igitur [illegible] per hunc nuncium. Si habuiſſem, edita hic fuiſſent dudum. [illegible] diutius moretur. Noſter Freherus ſua Typis Vogelini [illegible] eleganter.

De acceſſione Britannicorum [illegible] Dudithii gratias [illegible] mihi ſimul cũ Duditii exemplaribus mitti [illegible] ab [illegible]. Vale & reſcribe. Dat. Heid. 3. Kal. Jan. [illegible] Deus. [illegible] precor.

[illegible] T. [illegible]

[illegible]

[illegible] celeberr. Dn. & amico

[illegible]

CCCXXIIX

S. DEI gratia multiplicetur indies Tibi, V. Cl. Heri veſperi P. Kopfio reſpondi per aurigam noſtratem, cui faſciculos, quos Dominis noſtris deſtinaſti, vel ſi quid aliud habes [illegible], committere poteris: modo ſic compingantur, ut ab imbre nil ſit periculi.

Lipſii Epiſtolas nullas hîc ſcio: neque librum illum [illegible], quem petitis, vel Freher, vel Lingelsheim habet. Interrogavi præterea D. Gruterum, qui ait ſe habuiſſe ante multos annos [illegible] in migrationibus. Ab hoc accepi *Thuani* poemata Lutetiæ, excuſa ante decennium. Digna ſane legi, quæpiam & amœna. An jam recognoverit, inquirendum erit. De opere [illegible] D. Bongarſius nobis procul dubio referet, quem iſthinc [illegible] expectamus. D. K[illegible] mihi Duditiana quæ [illegible] mihi ſit exemplarium. [illegible] & [illegible] officia amica volo expectare. DEus tua ſtudia proſpero [illegible], Vale. [illegible] Jan. 1610.

T. P.

A. S.

Quirinus Reuter. D.

Clariſſ. & Doctiſſ. V.
Dn. Melchiori Haiminsfeldio Goldaſto,
[illegible],
[illegible]

Francfurt.

CCCXXIX.

S. P.

COmplures tuas epiſtolas rectè accepi, ſed ob cruciatus [illegible] reſpondere non potui. [illegible] Tradidi tuo nomine D. Quirino Suevica tua & Sybillam Gallicam, qui maximas [illegible]

[illegible]

gratias agit. Sed me obruis tu beneficiis tuis, & inſigni volumine Alemannicorum tuorum me donatum voluiſti. Ecquando autem & gratiam referam ſtudebo omni induſtria.

Verſus Lipſianos quos expetis en habes, ſanè memorabiles. Habes Epiſtolas aliquot Lipſii non excuſas, ſed Freherus cui omnes communicaveram, ſe tibi miſiſſe ait, atque imprimis illas quas Ienæ ad Joachimum Camerarium dedit, quibus uſus etiam is, qui Idolum Hallenſe ſcripſit. Memini me habuiſſe Theſes quasdam Heſychii Bremenſes Baſileæ diſputatas, quibus præfixit Epiſtolam Lipſii ſed omni ſtudio inter chartas meas quæſitam reperire non potui. Cupio certè tibi in omnibus gratificari. De [illegible] memini te ſcripſiſſe, hoſpiti ſuo eum nunciaſſe, ſe Epiſcopatu in Britannia auctum, quod ego ſanè verum eſſe vellem. Faveo certè Viri virtuti & doctrinæ, & optimè ipſi eſſe vellem, ſi quid certi cognoveris, fac me gnarum, miror tamen, nihil ipſum adhuc dare literarum pro noſtro mutuo amore.

Hallæ, ſperamus, è re publica, ſtatutum iri ſalutaria Deus ſecundet. A Rege Galliæ ibi eſt Boiſſiſius & Bongarſius, quem brevi hinc reducem ſperamus. Scis, opinor, Thuani hiſtoriam Romæ condemnatam, itemque Torturam Torti, & ſententiam Parlamenti in Jeſuitas, occaſione Jo. Chaſteli. Manuum uſum [illegible] planè recuperavi. Te valere & florere cupio.

Heidelbergæ, 25. Jan. 1610.

Tuus

G. M. Lingelshemius

Dn. Cancellarius ait ſe faſciculum tuum accepiſſe, octiduo poſt litteras tuas ait ſe ipſum ad te ſcripturum.

A Mons.
Monſieur de Goldaſt, &c.
à Francfort.

CCCXXV

CCCXXX.

S. P. D.

QUas tu literas Francofurti 17. Septembr. dederas, eas hic pri-
die Calend. Decembr. accepi. Serum: ſed non [illegible] tui litera-
rum [illegible], qui in Francofurtenſes quaſi [illegible]. [illegible]
altero ſtatim die Dreſdam [illegible] tuas literas [illegible]
ipſi Cancellario [illegible] dedi. Si me arbitrii res ſuiſſet, alii potius
in aula commendaſſem: ſed quia ſignate ſcripſeras, ad Cancellariũ
[illegible] rationes conſilii tui ſollicitare non volebam. Utrum re-
ſponſum acceperis, neſcio: minari tamen videbatur Cancellarius.
In aula noſtra [illegible] aliquis nunc aulam trilibrem [illegible]
rit. Ecquid Petronius tuus in lucem tandem iit? ecquid alia cæ-
tera, quæ minabaris? tale ingenium non debebat me imitari, hoc
eſt, *lento recubare ſub [illegible]*. Lipſii Epiſtolas quas in altera tua
[illegible], ecce habes. Plures ad hunc ſeptentrionem [illegible]
quæſieris. Credo Typographum oratiunculas etiam illas, quas
Giſſenſes anno publicarunt, additurum; ut juſtum corpus hoc
ſcilicet. Item Epiſtolas, quas ex centuriis primariis olim ipſe ex-
punxit, haut dubiè colliget, & ſub ſignum vocabit. [illegible]
[illegible] à me reſponſum, niſi Albis noſtri excurſus [illegible]
[illegible] curſum inhibuiſſet. Salve, mi Goldaſte, & [illegible]
in te affectum æſtima vel ex illis, quæ in licio in Collegii mei [illegible]
[illegible], & alicubi in ipſo. Salve iterum, & opera mea,
quantilla ea, audacter utere, & vel ſic me honeſtiorem facito.

Witebergæ 17. Jan.

T. T.

[illegible]

[illegible] & Cl. Viro,
[illegible] Goldaſto,
Germaniæ [illegible] antiquario,
[illegible]
[illegible] ad [illegible]

CCCXXXI.

CCCXXXI.

Jo. Rod. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto &c.
Dn. & Patrono meo colendo.
Francofurt.

CCCLXXI.

Nobiliſſ. V.

FOlia quæ miſiſti accepi rectiſſimè. Conqueritur typographus de maxima difficultate exemplaris. Informavi ex tuo præſcripto noſtrum correctorem, qui diligentia ſua nobis non deerit. Cæterum petit typographus abs te erudiri & de numero foliorum poſthac abs te mittendorũ; & an apologeticis finem imponere debeat. Si enim hac de re nihil reſcripſeris difficulter ſe ex cæteris opuſculis expediet.

Juliacenſia Offenbachi excudere cogitamus. Miror hominem illum à me vocatum me hactenus non compellâſſe, qui prius toties ſua officia mihi obtulit. Mittam meum puerum craſtina ad eum, & ſimul mittam pecuniam abs te petitam nomine ſculptoris. Remittam & Baileum &c. Puero ſignifica mihi quanti Kopfius noſter vendat Poſtillam Schluſſelburgii.

Hiſtoriã Thuani abſq; ultima parte nuper addita. &c. Ein jedes beſonder ꝛc. In cæteris facio quæ vis, & cupis, teque plurimum ſalvere jubeo. Vale Vir ampliſſ. & ex mea conjuge, & meo con[illegible] te officioſè ſalve. Raptiſſ. Hanov. 27. Januar. 1611.

Nobiliſſ. amplit. T. devotiſſ.
Jo. Rod. Lavaterus.

Nobiliſſ. & Ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Goldaſto von Heiminsfeld ꝛc.
Dn. & Patrono colendo. *Francofurt.*

CCCLXXII.

CCCLXXII.

S P. Minus commoda valetudo qua per hyemen iſtam uſus ſum, impedivit, quo minus ultra vocationis officia, quibus nimium diſtringor, in ſtudiis meis privatis aliquid eximium præſtare potuerim, unde & Francica adhuc ſub incude ſunt, quæ ad nundinas demum inſtantes (Deo juvante) Typographis tradentur, prælo mancipanda. In tuis etiam, quæ attuliſti, pleraque relegenda, & notis adornanda ſunt, quod à te factum nimio mallem. Aliàs conditionibus facile adquieſco, quoad precium medii taleri Imp. per ſingulas philyras, & ut auctorem laudem: quod & alias ſemper pro candore meo facere conſuevi, in eis quidem, quæ alicujus momenti videntur. Nam notitiam illam civitatum Germaniæ è Merulæ Coſmographia (qui eam ibi integram è codice S. Galli inſeruit) excerpſi, neque magnæ rei rem judicavi. At legi Henricianæ de ſumma Trinit. quam præter me alius, quem ſcio, nemo habuit, nullum auctorem aut in margine aut rationali adſcriptum video. Sed faceſſant iſta. Ceterũ è tuis, quæ uſui mihi nullo futura, tuto remitto. Aliis jam edita & prærepta reponere neque meum, neque vult typographus. Sufficiant propria & hactenus inedita. De Fredegario quoque adhuc incertus hæreo, quid ſtatuam, quem quidem duplo tuis ſchedis auctiorem Bibliotheca Palatina habet, quod demum deſcribendom foret, & à Welſero aliquid ad eum pertinens expecto. Quod ſi tibi non placeat, tua disjungi, ſed conjuncta omnia ipſe edere malis; neque ſic refragabor. Tuis enim commodis ſemper favi, & fas eſt. Quare liberè mentem animi tui effare, & ad utrumq; paratum habe. De Trevericis precium, quod indicis, dare præſentaneum per ſororium meum aut alios, offero, modo certus ſim, nondum fuiſſe deſcriptum, & integram virginitatem ad me adferre, In quo verbis tuis ſtabo. Et quia tam facilem habes emptorem, non gravaberis pro auctario addere uſuram Heimburgiacorum: quæ mea manu ubi excerpſero, codicem ipſum bona fide reſtituam. Habes in vicem quædam ad Auſtriam, Sueviam, Conſtantiam tuam pertinentia: quæ manu parentis mei p. m. annotata, perire mihi omninò nolim. Poterit tamen ad prælum ſervire, ſi videbitur, modo ad me tandem redeat. His vale & ſalve. Raptim 30. Jan. 1611. T. *M. Freherus.*

A Principe noſtro luculentum honorarium 40. fl. te ſperare jubeo.

A Monſr. Goldaſt de Heimingsfeld à Francfort.

CCCLXXIII.

CCCLXXIII.

Nobiliſſ. V.

IUliacenſia Latina ante nundinas non credo excudi poſſe. Itaque properatione opus non eſt. Interim Ducatus poſſet dari Dn. M. Draudio in uſum futuræ verſionis. Sed penes Te ſit. Quod heri petieram, tu mone me ſaltem amice, & impetra, quod velis. Sumus enim Tui & obſerv. & promptiſſ. Priora, quæ monſtrâſti replicationis folia Germanicè reddita omninò Cottonianis ſubjungere deſtinavimus: Tu modò ad nos mittas. Cætera quæ petiiſti accipies per præſentem, &c. Vale Vir nobiliſs. Dn. & Patrone colende. Raptiſſ. ad lychnum 1. pomeridiana nocturna, 23. Januarii 1611.

Nobiliſs. T. Amplit.

Devotiſs.

J. Rod. Lavaterus.

Nobil. & Ampliſs. V. Dn. Melchiori Goldaſto Haiminsfeldio. &c. Dn. & Patrono colendo. Bey Hrn Peter Kopff.

Francofurt.

CCCLXXIV.

Nobiliſs. V.

FOlia quæ & nuper, & hodie per impreſſorem miſiſti, accepi rectiſſimè. Cupis ut relegam; faciam id lubens: *Ignoſce verò & ingenii tarditati, & judicii tenuitati, quæ tanta myſteria capere nequeunt. Sed & ſuum calamum optimè ſingula ſcripturum autumo, nullius admota manu. Interim, quando ita velle videris, agam & expediam quæ benevolè jubes.* Kophium Hanoviæ fuiſſe reſcivi demum heri ſub veſperæ crepuſculum: invitavimus hodiè ad prandium, is verò renuit; gratificatus certè nob. fuiſſet, ſi præſens præſentia nos ſua exhilarâſſet. Typographum noſtrum exemplaria miſſa non recepiſſe, neſcio qui dixerit. Simulatque enim primas pagellas legi, ipſi in manus tradidi. Folia inpoſterum habebis ſingula, diebus ſingulis. Titulum in Cottoniana, & tractatus reliquos, ſi receperis, occaſione proxima ad me mittes. De Juliacenſib. his nundinis

publicandis jam actum eſt: illa quæ Draudius reddidit, in uſum futurum rerum reſervabis,& longum valebis. Vale Vir nobiliſſime, & mihi conſtanter propotrò favere perge. Raptiſſ. 15. Febr. 1611.

Nobiliſſ. Amplit. T.

Devotiſſ.

J. Rod. Lavaterus.

Nobiliſſ. & Ampliſſ. V. Dn. Melchiori Goldaſto von Haimins-Feld etc. *Dn. & Patrono omni officiorum genere colendo.*

Francofurti.

CCCLXXV.

S. De Protoſymbolo neque in Rigaltio neque Meurſio verbulum invenio. De Chelandria autem Meurſius hæc annotat. ΧΕΛΑΝΔΙΟΝ, Navigii genus. Cedrenus: ἀπέστειλεν ἐπὶ ἀγχίαλον χελάνδια β'χ. Conſtantinus de adminiſtr. Imperio: καὶ βασιλικοῦ ἀποστελλομένου μετὰ χελανδίων δύναται καὶ χωρὶς τοῦ εἰς χειροῦν(?) ἀπελθεῖν. Paulus Diaconus in Juſtiniano: *omnes naves, dromones videlicet, tricres, ſcaphas, chimaras, & lintres, uſque ad Chelandia, collegit.* Luitprandus --- in legat. quem cum navali ſuo excercitu redire præcipit: *fuerunt chelandia XXIII.* Item de rebus Europæis lib. 5. cap. 4. ubi ter quater *chelandria* ſcriptum pro *chelandia.* Et emendandus etiam fortaſſis interpres Juvenalis Satyra 6. *Canna genus navis, quæ chelandia dicitur, ut ſit chelandia Micipſarum.* Hodie editur *Gandeja.* Hæc ille.

Neoburgica ſcripta neque ipſe adhuc nanciſci potui. Proſtabunt (ut puto:) in nundinis.

Scriptor meus de Henrici IV. vita, inſtituto tuo non magis facere poteſt, quam Bruno prius à me editus, utpote Cæſari minus æquus.

Tamen apparebit brevi (Deo juvante:) in Tomis meis Germanicarum, quos deflorare mihi nefas.

In aliis (quod ſemper feci, plus quam Cancellarius aut Lingelsh. unquam velit aut poſſit:) libenter te juvabo. *Curiatæ* privilegium

legium Cæſaris & Galli exſpectant, aliàs vix proditurae: quod periculum ſit, ut ſtatim interceptæ vel corpori Juris addantur, exemplo duarum Henrici Extravagantium. Plura aliàs. Vale & ſalve Febr. 1611.

T. M. Freherus.

A Monſieur. de Goldaſt, &c.
à Francfort.

Ad Neopurgenſes.

Vos etiam video periturae haud parcere chartæ,
Et cauſam verbis velle juvare malam.
Ejo agite. Et nobis levis eſt annona papyri:
Sunt calami, atque atro ſepia felle madens.
Pugna placet. Videamus uter plus ſcribere poſſit:
Nec modo, ſed melius ſcribere ſigna canant.
Hoc ſtet ſine gravis contentio: Bella faceſſant,
Horrida, miles, equi, telaque & arma procul.

CCCLXXVI.

Nobiliſs. V.

MItto duo folia recenter excuſa, Q. & R. an ex voto excuſa ſint ignoro. Si qui irrepſere errores, ego in cauſſa non ſum, ſed & Typographus, & Corrector, qui folia jam ſemel à me lecta non remittunt, quod ob ædium diſtantiam illud fieri non poſſit.

Cæterum petit ſibi ſignificare Typographus, quot folia inpoſterum miſſurus ſis, ut vel ſtrenuius, vel lentius in cæpto opere progredi poſſit: veretur alioquin ne anguſtia temporis præcluſi opus inabſolutum relinquatur. Tu quæſo vir ampliſſ. ſi fieri poſſit, maturè nos erudi. Ad Anticottoniana hunc librum, quem Argentinæ excuſum intellegimus, pertinere putamus, eum ſi noſtris ſumptib. tua verò autoritate impetrare poſſis, fac quæſo nos magis, magisq. tua benevolentia devincias. Titulum generalem exſpectamus.

mus. Vale Vir nobiliſſ. & nob. fave. Raptim. 16. Februarii 1611. Hanoviæ.

Nobiliſs. Ampl. T. devotiſs.

Lavaterus.

CCCLXXVII.

S*P. Diu ſilui, ſed jam argenteo imbre te perfundo. Quadraginta tibi Floreni donantur à Principib. pro libris quos obtuliſti, frugalitatem noſtram experieris, cujus mallem alibi haberi majorem rationem.*

Οὐκ ἀποβλητέον θεῶν ἐρικύδεα δῶρα.

Cupit Illuſtr. Adm. certior per te fieri, de Conventu Principum Pontific. apud vos, quinam ſuos miſerint, anne Bambergenſes & Wirceburgenſes quoque ibi ſint, quique præter Electorios, & an etiam â Saxone Electore, aut aliis; quid ibi actum aut concluſum. Diligentiam quæſo adhibe, ut quam certiſſima exactè per te cognoſcamus celeriter. Scripſi eadem de re Malaperto, ſed is linguæ noſtræ defectu non tam facilè penetrare poterit. Præſes noſter ex quo Pragæ tumultus ortus, nihil ad nos ſcripſit, neque quid ipſi factum ſit ſcimus, itaque anxius ſum, neque conjicere poſſum, quî fiat, quod nihil plane de ipſo, aut Britannico Legato Leſierio, qui eodem cum ipſo, hoſpitio uſus fuerat, cognovimus.

Triſtia omnia animo meo obverſantur, quæ omina Deus avertat. Vale Vir clariſſime. Heidelberga, 23. Febr. 1611.

T. omni ſtudio

Georg. Michael Lingelshemius.

A Monſieur, Monſieur de Goldaſte, &c. à Francfort.

CCCLXXVIII.

Nobiliſs. V.

TRiduum integrum ex urbe fui, quæ cauſa, quòd tardius tuis litteris reſpondeo. Omninò cuperem 7. illa folia replicationi annecti,

annecti, ſed editionem polliceri Typographus omninò non cupit, priusquam integrum exemplar replicationis habeat. Tuum igitur erit ad me maturè mittere. Cæterum Deo meo gratias ago, quòd & manus, & digitos hactenus cuſtodivit, quos tam horrendis diris devoviſti. Ego certè mallem officinam meam apud Anticyras eſſe, quàm poſthac hujusmodi exſpectare. Ego in emendando illa præſtiti, quæ præſtare debebam, ſi omnium palato non ſatisfeci, culpa vaco, cùm ne Deus omnibus ſatisfacere poſſit, &c.

Cottoniana jam ad umbilicum perducta ſunt, titul. abs te propediem exſpectamus. Sed & ultra biduum in replicatione exemplaria non habebunt, &c. De cæteris volente Deo brevi coràm. Vale Vir nobiliſſime. Raptim Hanov. 27. Febr. 1611.

Nobil. Amplit. T.

Devotiſs.

J. R. Lavaterus.

CCCLXXIX.

S. Ad ultimas tuas, Vir nobiliſſime, ſcriptas è nundinis poſthumis autumnalib. reſpondi K A L. nuperis Novembribus, & pro miſſis tuis libris gratias tibi egi. Literas Blaſſio noſtro dedi ad te curandas: quæ ſi redditæ ſunt, bene habet: ſin minus fuerunt, præter ſpem: tum iterum & iterum gratias tibi ago ingentes. Libri, quos Ampliſſimo Dn. Rhonio noſtro miſiſti, elegantiſſimè compacti, & gratiſſimi ipſi, & cæteris, qui literas noverunt, quorum proh dolor! perpaucos habemus, fuerunt. Gratitudinis τεκμήριον pervoluiſſem ad has nundinas tibi miſſum eſſe: ſed totam hanc hebdomadam ipſe cum Procoſſ. Wolfio Badæ Comitiis generalibus Helvetiorum interfuit ac præfuit: in quibus deliberatum fuit de gravi & præſenti belli diſcrimine, quod incumbit nunc Genevenſib. ac Bernenſibus, ob ingentes copias, quas Allobrox, capitalis & juratus eorum hoſtis, ad fines penè eorum, ex Inſubriis & Pedemontio, deduxit, quæ viginti millia ſuperare, veriſſimè ſcribuntur. Illi contrà in excubiis ſunt, & omnia provident, quæ tanto bello ſuſtinendo

nendo videntur neceſſaria. Nam Genevenſes quidem præſidium habent ſexcentorum optimorum Bernenſium vicinorum, & trecentorum petitiſſimorum militum Gallorum, unâ cum D. de La Noue; qui omnia illic moderatur: Bernenſes vero quindecim habent millia ad alteram Lacus ripam univerſam: ut communiant Viviacum, Aquileam, Lauſannam, Morgias, Rotulum, Noviodunum, & alia loca. Ab oppido etiam Novioduni foſſam, quam vocant curſoriam, & vallum extruunt contra Burgundionum excurſiones; quas illi minati ſunt. Omnia igitur in armis ſunt illis locis: & parata hîc quoq. habemus auxilia, ſex nempe vexilla; quibus conjungent Rhæti mille & ducentos bonos Engadinos.

Quid futurum ſit, intra perpauculos dies experiemur. Nam tantam militis molem diutiuſculè ſuſtinere Allobrogi erit planè adynaton: niſi Papa & Hiſpanus, quod quidem ſpargitur, theſauros ſuos latè aperiant. Vides quo loco ſit cymba noſtra: cui ut felicem adpulſum in portum fortunatum è tam præſenti procella funeſtiſſimæ tempeſtatis tu unà nobiſcum compreceris, etiam atque etiam te oro. De cæteris ſcribere ſuperſedeo: & prohibet etiam luctus, quem concepi ex inopinato obitu, cariſſimi affinis mei Doctoris Simleri; qui, poſtquam octiduum ex cephalalgia laborâſſet, 15. Febr. inter 3. & 4. matutinum, placitè exſpiravit, magno cum damno ſcholæ & Familiæ ejus. Vale, Vir amiciſſime, & me amare perge. Tiguri. KL. Mart. 1611.

Te colens & amans

V. Valerus.

A Dn. Vœgelino, ſi libeat, exemplum Grammaticæ meæ Hebrææ, & Compendii Chaldaici pete: ſed errata nonnulla, qui irrepſerunt, Correctori, non mihi, qui abfui, imputare te velim.

Nobiliſſimo Viro,
Dn. Melchiori Heiminsfeldio Goldaſto, &c.
Dn. & amico meo ſummè colendo.
Francofurtum.

CCCLXXX.

CCCLXXX.

S. P. Grata Illuſtr. Principi tua diligentia in perſcribendo, quid de conventu Electorum Eccleſiaſticorum cognoviſſes, ſi quid ea de re aut ſimilibus cognoveris, rectè feceris, ſi nos certiores feceris. Munus à Principe tibi decretum, obſignatum ita ut tibi miſi è Camera computorum mihi traditum fuit, & intellexi poſtea, valorem monetæ uſurpatum hujus ditionis, floreno æſtimato 26. albis ut vocant.

Mitto tibi defenſionem juris noſtri, credo intelligentibus ſatis fieri eo debere, ſed quotusquisque eſt, qui ſincere indicare velit aut poſſit, affectibus plerique impelluntur. Sed quorſum evadent turbæ Pragenſes? Cordolio mihi eſt quod ne verbum cognoſcimus de Præſide: tanto tempore, ignari an perierit, aut ubi lateat. Neque capio, quomodo legatus tam illuſtris Principis latere tamdiu poſſit. Sabaudus ab Helvetiis petiit tranſitum copiis ſuis, quas in Germaniam ducturus ſit, ſuppetias Regi Romanorum creando. Copias habere dicitur 22. millium, Geneva ſibi cavet, ut & Helvetii, qui ad defenſionem inſtruunt acriter quæ opus. Te Deus ſervet, & det tibi quæ optas. Vale Vir clariſſime. Heidelbergæ Kal. Mart. 1611.

T.

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur,
Monſieur de Goldaſte, &c. à Francfort.

CCCLXXXI.

Nobiliſs. Vir.

QUæ ad ſupplendam replicationem tuam folia miſiſti, hodie demum abs tabellione accepi. Gratias agimus pro titulo in Cottoniana: referemus præſentes. Sed & manuſcriptum exemplar reliquit hic tabellio heſternus, quod jam mitto. Vix ante octiduum abſolvi poterit, tamenetſi duob. prelis in illa excudenda laboretur, &c. de cæteris coram, non enim literas, ſed me ipſum exſpecta: & propter examina hac hebdomada inſtituta vix reſpirare poſſum.

poſſum. Arpoldo Rhedam aſcenſuro, & ad Generoſum cum Kopfio in ſuperiorem Comitatum profecturo literas tuas tradidi, is verò te officioſiſſ. ſalutat. Raptim ut vides. Hanov. 4. Martii. 1611.

Nobil. Amplit. T.
Devotiſſ.
J. Rod. Lavaterus.

Nobil. & Ampliſſ. Viro Dn. Melchiori Goldaſto von Haimins Feld / etc. *Dn. & Patrono colendo, Francofurt.*

CCCLXXXII.

S. P. D.

DUplex mora, Vir præſtantiſſ. & amice obſervande, à me commiſſa eſt, quæ utraque excuſationem exquiſitam requirere videtur. Eaque uterer, ſi de tua erga me ſingulari benevolentia, & candore eximio dubitarem. Ideoque ſaltem excuſationis loco allegabo, mihi non ſolum literas tuas humaniſſimas, quas ſuperiori anno genero meo Doctori Paulo Frehero, redeunti ex Acidulis, ad me perferendas dediſti gratiſſimas: ſed etiam Tomum tertium Conſtitutionum Imperialium, opera & induſtria tua, collectum, muneris loco, ad me miſſum longè accepriſſimum fuiſſe. Par igitur fuiſſet, & mearum partium ut non ſolùm tibi gratias egiſſem pro illo beneficio, ſed etiam ad ea, quæ in literis tuis mellitiſſ. comprehenduntur, maturius reſpondiſſem. Et ſic me bina obligatione, qua tibi devinctus ſum, liberaſſem. Quemadmodum igitur me peccaſſe, quòd tam diu moroſus (ut ICtorum verbo utar:) fuerim, ingenue fateor; ita apud tàm æquum & favorabilem Judicem, me abſque difficultate veniam impetraturum, confido: cùm præſertim amor & obſervantia mea erga te hactenus conſtans, & illabefactata manſerit, & reſponſio ad quæſtiones propoſitas, in meo arbitrio poſita & collocata fuerit.

Pro *libro itaque donato*, non ſolùm gratiarum actionem repeto, ſed etiam me reipſa gratum fore promitto, ſi modo ſcirem, qua in re id præſtare poſſem. Monebis itaque me amice, quid mihi

mihi quod tibi acceptum erit, agendum faciendumvè ſit. Cæterùm quid de præloquio tuo ad *Sereniſs. Britanniæ Regem*, ſentiam, paucis te cupiente declarabo meas cogitationes; Continet id multas egregias res, præſertim de Anteceſſoribus in Imperialibus & Regiis dignitatibus & ornamentis, quæ paucis notæ ſunt, ideoque non ſine voluptate, ab iis, ad quos potiſſimum ea ſpectant, legi & cognoſci poterunt. Neque dubito quin regiam liberalitatem, & compenſationem muniſici & grati animi, experturus ſis.

Ad alteram quæſtionem quod attinet, conſtat *Burgraviorum* ſicut & *Comitum* olim *officium Iudicum* in adminiſtratione Juris & Juſtitiæ *fuiſſe*, loco Imperatorum, inter hos quoque differentiam quoad gradus ſummos, medios, & inferiores fuiſſe. Sicut nomen ipſum hoc indicat, Grafe enim nihil aliud quam Judicem ſonat. Hæ autem dignitates, poſtquam hæreditariæ munificentia Imperatorum & Cæſarum benè meritis, factæ fuere, mirum in modum auctæ fuerunt. De quibus habemus autores non vulgares, qui hanc diſtinctionem, & auctionem nobis demonſtrarunt, inter quos Jodocum Wilichium in Cornelium Tacitum tit. XIX de Comitum ordinibus & ſtudio; Ex recentioribus verò Freherum noſtrum in originib. Palat. c. 5. allegare lubet, qui hoc dubium eximunt. Imprimis vero Burgraviorum jurisdictio vel temporaria, vel deinde hæreditaria, limitata & certis terminis circumſcripta fuit. Non puto autem quod ubi Caſtrum vel Burgum civitati Liberæ Imperii adjunctum fuit, quod etiam annexa jurisdictio Burgravio fuerit. Idipſum in lite illa contra Marchiones Brandeburgicos & hanc civitatem latiſs. diſputatum, & tandem deciſum fuit, ut ſalvis Privilegiis & immunitatibus Liberæ civitati conceſſis, Burgraviatus jura ſecernerentur. His autoribus allegatis, ſi placet, addere poteris, exteros quoque recentiores, Buchananum de reb. Scoticis ubi ſæpius mentionē facit Tanorum, id eſt præfectorum Provinciarū, ex quibus deinde Comites hæreditarii originē traxerunt. Præterea egregium librum Thomæ Milleſii, de Nobilitate politica & civili Londini An. 1608. expreſſum. Rectè præterea feceris ſi Gulielmi Cambdeni Bri-

tanniæ deſcriptionem adjunxeris, apud quem in titulo de Ordinibus Angliæ obſervavi, quòd Comitibus Provinciarum tertius denarius, vel alia tertia pars ex proventibus, veluti ſalarii loco, à Regibus attributa fuerit. Quod etiam in noſtro Burgraviatu ab Imperatorib. obſervatum fuit: conceſſum enim illis in feudo vel beneficio fuit, Cuſtodia portæ caſtri Cæſarei, quod fuit à Burgo, (ſicut adhuc ocularis demonſtratio indicat) disjunctum, præterea tertia arbor, & tertia fera in foreſto, nec non aliquot denarii ex officinis fabrilibus. Ex quibus conſtat Burgraviorum jus & jurisdictionem in Liberis Civitatibus, non omnimodam, ſed limitatam fuiſſe: donec ipſorum potentia & à Cæſaribus ob benemerita peculiaribus conceſſionibus, & Principum dignitate ornatæ fuere.

Hæc paucis ad tuas quæſtiones reſpondere volui, quid ego ſentiam, ſalvo tamen doctiorum politiori judicio. Tu hæc eo animo accipies, quali prolata ſunt, videlicet candido, & absque præjudicio aliorum. Audio ad Thuani Hiſtorias part. 4. tom. 9. novam acceſſiſſe, & in proximis veſtris nundinis publicatum iri, pergratum igitur erit, ut Coppium noſtrum meo nomine ſalutes, illique indices, ut hunc librum mihi mittat, & in catalogum noſtrum referat, quem unà cum reſponſo, ad proximas meas, anxiè expecto. Continent enim aliquot capita, ad quæ ipſius animum ſcire cupio, & mihi ipſius diuturnum ſilentium admodum moleſtum fuit. Neque puto illum juſtas cauſas allegare poſſe.

Plura addere non libuit, & forte prolixior fui quam neceſſitas poſtulavit. Accipies igitur omnia, pro tuo ſingulari candore, in optimam partem, meque amare perge amore tuo peculiari. Vale & vive feliciter. 6. D. Martii Anno 1611.

T. T. Philip. Camer. D.

CCCLXXXIII.

CCCLXXXIII.

Nobiliſs. Vir.

TItulum in Cottoniana ſummo cum deſiderio exſpectamus. Mitto manuſcript. exemplar, videbis in illo multa & omiſſa, & commiſſa, quæ Corrector emendare auſus non fuit. Doleo apud Arpoldum de multitudine erratorum, te conqueſtum, qui magis nobis adverſatur, quam diabolus: unde habet egregiam nos traducendi occaſionem. Reliqua folia hactenus excuſsa vides. Si cœtera abſolviſti, fac habeamus, ut maturè edi poſſint: vides enim nundinas præ foribus eſſe.

Omninò ſtat ſententia duos in noſtro cubiculo habere lectos, quod hoſpitæ tuæ haut gravatim ſignificabis. Aliud ſcriptum Germanicum Cottonianis ſubnectendum Bongar. Argentinâ accepit, quod jam editur, &c. De cæteris volente Deo abhinc octiduo. Vale Vir nobiliſs. & mihi fave. Raptiſſ. Hanov. 4. Martii Julian. cIↃ. IↃ. C. XI.

Nobiliſs. Amplit. T.

Obſerv.

J. Rod. Lavaterus.

CCCLXXXIV.

S. P. Prælegi Illuſtr. Admin. litteras tuas, cui grata fuit diligentia abs te adhibita. De Præſide habemus 9. Febr. ſalvum adhuc fuiſſe Pragæ, ex eo die Cæſarem allocuturum fuiſſe: cum Leopoldo ſæpius epulatus eſt. Et vehementer ſollicitus ſum, donec ereptum diſcrimini intelligam. Leſierius Orator Britannicus dicitur diſceſſiſſe Praga Dresdam verſus, itaque dubito an huc venturus ſit, tu cogita, quid fieri libris tuis Regi Britanniæ mittendis velis, & annon tibi remitti velis, librorum mercatoribus illic commendandos. Poſſet Brederodius noſter id officium in ſe recipere.

Leopoldus nunciatur quodammodo obſeſſus, & Matthias cum magnis copiis adventaſſe. Bohemi magnas copias habent, & aditus omnis Paſſavienſibus negatus.

Certi nos nihil habemus. Et in hoc confluxu hominum vos certiora habetis. Vale Vir clariſſime. Heidelbergæ 8. Martii 1611.

T.

G. M. Lingelshemi

A Monſieur,
Monſieur de Goldaſte, &c. à Francfort.

CCCLXXXV.

SP. D. Nobiliſs. Dn. Goldaſte, Tuas rectè accepi prid. Kal. Februar. quibus quod non ante nundinas reſpondi, totum velim adſcribas vitæ meæ occupatiſſimæ, & curis diſtractiſſimo animo. Præter ordinarios enim & repentinos labores quotidianos ex tranſverſo incurrentes, incubuit mihi cura emendandi Salviani, & mei in hunc libri commentarii: quod opus ſperabam equidem hoc mercatu exponi poſſe Francofurti: ſed fruſtra fui, neſcio quas moras nectente Typographo, qui vix intra menſem omnia quæ reſtant abſolvet, quamvis jam impreſſa ſint 65. folia. Commentarius mihi inter manus crevit; & tamen quædam omiſi, quæ addi potuiſſent non inutiliter. Ad diſtrahendum alia expectanda erit occaſio, nundinarum videlicet proximarum, Deo favente & pacem conſervante. Interea tibi mitto aliquot ſpecimina Tituli, quæ inter amicos non tàm Francofurti diſtribues quam & alibi. Nam Francofurti alias, ut ſpero, ſatis innoteſcet opus. Ita famam & deſiderium libri noſtri apud multos excitaveris.

De Cyrillo benè monuiſti. Expectamus à D. Hoeſchelio libros ejus Græcos contra Julianum Apoſtatam. In certamine contra Gretſerium & complices ejus virum te præſtare perge. Βαλλ' ὕτω.

Venio ad tuum negotium quod cum Imhofio habes. Hunc ego per D. Remum admoneri curavi, ut bonam agnoſcat fidem. Ipſe enim inde à menſe Auguſt. anni ſuperioris Norimbergæ non fui, neque hac hieme vel unum diem abeſſe domo ſivit Salvianus, & aliarum occupationum perpetuitas quaſi catenata. Quid facturus

Ge

ſit hoc mercatu, ex te aveo cognoſcere. Erga me ut jam ſit animatus, vel hinc æſtima, quod ego tibi in aurem.

Petii ab homine hac hieme mutuos C. florenos, ut haberem ſemper præ manu quod darem Typographo Salviani mei, in cujus editionem ipſe ſolus omnes facio ſumptus: ἐδὲ γρῦ reſpondit, licet a me bis per literas rogatus. Qua ratione hoc fuerim promeritus, equidem divinare nequeo. Sed abrumpere cogit me feſtinatio Schonfeldii, cui velim tradas diſtrahenda exemplaria Malchi noſtri, cum deſignatione numeri exemplarium, quæ meo permiſſu inde prælibanda amicis. Rogo juves bonum virum Schonfeldium conſilio tuo fideli, quo pacto commodiſſimè quam plurima poſſit exemplaria diſtrahere, ut aliquid pro impenſis meis recuperem pecuniæ. Nam & illa editio mihi magno conſtat. Conſignavi eidem unum & alterum librum, quem ex off. Dn. Pet. Kopfii deſidero, ut Tob. Baurmeiſteri de Juriſdict. &c. Et Catalogum Catalogorum.

Si fieri poſſit permutatio cum exemplaribus aliquot Malchi, tanto gratius haberem, quàm ſi pecunia eſſet mihi eroganda. Juvabis etiam ipſum in inveniendo exemplaria Cenſorini de die natali, ex editione Lud. Carrionis, cujus deſiderio teneor. B.V. & alias a me plura exſpecta. Ampliſſ. & Nob. Dn. Aſchaffenburgio officii & amoris plenam ſalutem propino. Altorfii die VIII. Martii, M. DC. XI.

T. T.

Cunrad. Rittershus. D.

Nobil. & Ampliſſ. V. Dn. Melchiori Goldaſto Haiminsfeldio, &c. Amicorum Coryphæo.

Francofurt.

CCCLXXXVI.

S. P. & officia promtiſſ.

INter occupatos, hoc tempore ferè occupatiſſimus non potui tamen hac occaſione intermittere, quin te ſalutarem.

Et ſanè miror, te nihil reſponſi dediſſe ad illa, quæ obtuli, pro juvandâ opera tuâ Regali. Dubito itaque an meas acceperis: & expecto mentem tuam, quid placeat

Ante Menſem Pragam repetere volui: ſed me deterruit & revocavit turba illa Bohemica turbulenta. Deus bone, quæ tempora? quæ conſilia?

Eſt qui cupiat Receſſus Imperii, die gemeinen Reichs-Abſchied inReal bey Albin. Und alle ſupplementa tua, als alles das/ was zum Reichs-Abſchieden/ Handlen/ und Reſcriptis per te edirt. Peto igitur, ut latori harum conſilio ſis, ubi & quomodo habere poſſit pro pretio debito. Dedi ei 6. Cruciatos pro 12. flor. & 6. bacionib. Imp. neſcio quanti vendantur, ſed ſufficere arbitratus ſum. Si non, reliquum exſolvet.

De Comitiva Palatina ſi quem ſcripſiſſe noveris, quæſo ſignifices. Ego nihil hac de re, niſi ſparſim. B. V. In groſſer Eil/ Kitzingen den 19. (9.) Martii 1611.

T. T.

P. M. Schede
C. P.

Dem Edlen/ Ehrnveſten und Hochgelährten Hrn Melchiorn von Haimins-Feld genannt Goldaſten/ meinem großg. Herrn und werthen Freund.
Franckfurt am Mayn bey Hrn Kopfio in der Buch-Gaſſen/ *vel apud* Carmelitas.

CLXXXVII.

S. Cl. V. amice honorande: Mitto Tibi Ciſneri Opuſcula hic impreſſa: quæ boni conſulas, & per otium legas velim. Emelius oblitus eſt promiſſæ remunerationis pro tractatib. politico theologicis, ante annum à me miſſis, & opera mea collectis & deſcriptis. P. Kopf item nihil ſolvit pro deſcriptione Thuani, quam meminiſti. Ab hoc impetra mihi tomum 11. Thuani cum Appendice. & Danditii exempla tria, quorum unum iſti Pezelio promiſi, qui libros

etiam

etiam ab Emelio petat. Tu pro tua gratia & autoritate facile perficies, ut uterque e ſua officina mihi tractatus aliquot à ſe impreſſos, compenſationis ergo, per hunc Pezelium mittant. Mea ſtudia & officia Tibi cumprimis ſemper conſtabunt. Plura nolo, ne te jam occupatum fatigem. Huc ſi venias, omnem benevolentiam exſpecta. Vale. 12. Mart. 1611.

T. E. A.

Quirinus Reuter.

Clariſſimo & Excell. Viro Dn. Melchiori Goldaſto Heiminsfeldio, Polyhiſtori celeberrimo, Dn. & amico cariſſimo.

Francofurti.

CCCLXXXVIII.

S. P. Sperabam fore, ut reſponſum abs te ferrem ad meas ultimas, antequam Brederodius diſcederet. Mitto nihilominus tibi libros Britanno deſtinatos cum literis tuis ad Regem. Nam ſpem propemodum amiſi, videndi hoc tempore Leſieurii, vel ſi ad nos venturus eſt, omninò vos quoque virum habebitis occaſione harum nundinarum. Paſſavienſes Praga exceſſerunt, Hungaricæ copiæ eos perſequuntur. Præſidem velim in tuto eſſe. Te Deus ſervet. Vale Vir clariſſime. Heidelbergæ 13. Mart. 1611.

T.

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur,
Monſieur de Goldaſte, &c. à Francfort.

CCCLXXXIX.

S. P. Remiſi tibi per Dn. Brederodium, opus tuum Britanno deſtinatum: jam ſalvus huc venit Leſierius Orator ejus Regis, ei commendavi opus tuum, ut decuit, isque obtulit operam ſuam in transportando & Regi offerendo. Tu igitur virum adibis ad vos proficiſcentem, isque volens in ſe recipiet, Vir excellens tum

aliis

aliis virtutibus, tum humanitate. Caſaubonum Rex ille retinet ſplendido ſalario, isque Regis tum in ſe tum alios doctos inſignem benevolentiam prædicat & laudib. extollit. Quapropter & munificum in te ipſum fore confido. De Præſide nunciat, ſe ſalvum ipſum Pragæ reliquiſſe, & veriſimiliter paulò poſt ſe quoque in iter dediſſe, & ſpem eſſe brevi hic adfuturum. Cæſar in extremis verſari videtur, poſtquam Leopoldiani exceſſerunt, itaque in Ordinum Bohemicorum poteſtate jam eſt, & Matthias adventurus erat. Deô gloria & laus qui improborum conſilia everterit. Tu vive valeq; feliciſſime. Heidelbergæ 15. Mart. 1611.

T.

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur, Monſieur de Goldaſte, &c. à Francfort.

CCCXC.

Plurimum ſalve.

PRoximis nundinis nihil ad te literarum dedi. Neque enim hîc aderam, & apud Pontem Oeni, ubi per octo continuos menſes egi, neminem reperi, cui traderem. Bibliopolæ Oenipontani Francofurtenſes nundinas hautquaquam frequentant, Auguſtanis contenti. Itaque ſi quid à Te per totum præteritum annum in publicum datum, fac communices. Haut dubiè plura bono literario comparaſti. Ita ſpem certe ultimis tuis pridie Paſchatis præteriti datis facere videbaris. Sed quod in iiſdem literis notaſti, Conſtitutionem illam de feudis à me editam non eſſe Salici, ſecus ſe habet. Omnibus namque compertum eſt, Cunradum III. cujus eſſe vis, Imperatoris nomen & titulum nunquam uſurpaviſſe. Neque valet, quod dicis, id colligi poſſe, quod in libro Conſt. L. L. Lombardicarum ea conſtitutio ſubjiciatur conſtitutioni Henrici V. cum obſcurum non ſit quam confuſa ſit ea L.L. Lombardicarum congeries. In meo ſane MS. Codice antiquiſſimo ſubjicitur Conſtitutioni Caroli M. de terris tributariis. Sed hæc veluti præter operam. Quid tu interim elaboraris, quid agas & moliaris avide expecto. Vale & Freherum noſtrum, ſi adeſt, ex me jube ſalvere. Friburgi 16. Martii 1611.

T. F. Guillimannus.

Exr. Claſſ. Dn. Melchiori Goldaſto, Heminsfeldio. Francofurti.

CCCXCI.

CCCXCI.

S. P.

REcte mihi redditæ litteræ tuæ, cum munere lucubrationis tuæ. Ipſum Springlium quem commendas non vidi, paratus ipſi gratificari qua potero. Gratias tibi magnas habeo, quod me primum participem eſſe voluiſti operis tui, bono reipub. ſuſcepti. Cum Grezero componi indignum, ſed controverſia ipſa tanti eſt, ut in ea elaboretur: Lubens conſiderabo. Quamvis Loiolitica horrori habeam. Gratulor tibi benevolentiam magnatum, ob utiles labores pro repub. tibi conciliatam. Præmia laborum conſequetur confide. Leſierium Oratorem Britannicum ſe tibi volentem præbuiſſe non dubito, ita pollicitus mihi fuerat, & ego te ſtatim certiorem feci. Præſes noſter quoque in iter ſe dedit, & fortaſſe jam vobis adeſt. Matthiam Hungariæ Regem ajunt in Paſſauienſem agrum impreſſionem feciſſe, ut par pari referret: Atqui putabantur Leopoldiani nihil ad prædam reliquiſſe. Tibi precor feliciſſima quæque, & te valere jubeo, Vir præſtantiſſime, Heidelberga 21. Mart. 1611.

T. omni Studio.
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de GOLDASTE, &c.
à Franckfort.

CCCXCII.

S. P.

LItteras tuas pr. Kal. April. datas cum munere Aureorum malorum, rectè accepi, gratias maximas habeo, ſed nolim te

ſumptus feciſſe, nam & citrium malum grandius corruptum jam fuerat, id eò dico, ut porrò ſumptibus illis parcas, nihilominus ego uxorque gratias habemus cupidini referre. Sed libri quos Præſidi deſtinaras, nondum huc pervenerunt, Vœgelini affinis quum hic eſſet, negabat ſibi traditos, id fiet alia comoditate, ſed cave rurſus, ne vecturæ pretium, librorum munus mane reddat, poſſent tradi Brederodio, qui ſuam ſuppellectilem huc transfert. Gaudeo conciliatam tibi amicitiam cum Leſiero, cujus promiſſiones ſpero exitum habituras, quamvis Rex ille non nimis munificus ſit in litteratos. Caſaubonus tamen mirificè ejus Regis in ſe liberalitatem & comitatem prædicet, & hic collidirur cum Loiolitis, & ſcripti quod ſub manibus habebat, ſpem mihi fecit. Tibi gratias magnas debeo, quod tuæ lucubrationis adverſus peſtem illam, me quoque participem feceris. Cupio tibi viciſſim, quæ vis. Vale amicorum eximie. Heidelberg. 11. April. 1611. T.

G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de GOLDASTE. &c.
a Franckfort.

CCCXCIII.

S. P. D.

NEc litteras, nec quicquam aliud accepi abs te his nundinis, vir nobiliſſime & excellentiſſime, quod vehementius miror, quo inſignior hactenus in me exſtitit benevolentia, & beneficentia tua, tot documentis locupletiſſime comprobata. Interim valere te, & vivere ex mercatorib. noſtratibus cognovi, ſane cum ingenti gaudio. Quum lator vero præſentium Rod. Schvvizerus, Dn. Joh. Heinrici, *Paſtoris* Rikenbacenſis, agnatus ad te mitteretur, nolui non te officioſe ſalutare, & magnopere rogare per amicitiam & neceſſitudinem noſtram, velis à clariſſimo Dn. Palthenio analyſin Pſal. 110. repetere, & eidem Suizero ad me reportandam dare. Qua re mihi rem gratiſſimam ſanè feceris. De ſtatu publico noſtro quæ ſcribam pauca ſunt. Fruimur nos quidem almâ pace; ſed vicini & confederati noſtri Bernenſes & Geneven-

nevenſes in horas exſpectant effluvium copiarum Sabaudicarum, quæ magno numero in Inſubria & Sabaudia hinc inde deliteſcu it: nec hactenus quidquam hoſtile attentarunt: cujus moræ duæ perhibentur cauſæ: una; quod copias ſuas omnes nondum omnino conjunxerit Dux: altera; quod Legati e Quatuor Pagis Helveticis, Tiguro, Lucerna, Glaronâ & Soloduro, omnium pagorum nomine, ad ipſum ſunt miſſi, qui ut arma ponat, illum hortentur: quorum reditus adhuc exſpectatur. Interim majorem in modum Geneva communitur novis aggeribus, vallis, & ſimilibus belli præſidiis: ad quam brevi tempore ex Gallia & vicina Germania circiter bis mille milites lectiſſimi, interque hos, Duces excellentiſſimi, convolarunt, magno cum eorum ſolatio. Jehova exercituum truculentas hoſtium ſuorum machinationes diſſipet: & Imperio etiam Rom. tranquillitatem publicam clementer reſtituat. Ejuſdem ſtabiliendæ ergò, & facilius impetrandæ receptum eſſe certis conditionibus Saxoniæ Electorem à Principibus quos Poſſidentes appellant, libens cognovi. Hæc te paucis volui, Vir amiciſſime & clariſſ. Dn. Goldaſte. Feſtinationi ignoſces. Properavit Schvvizerus. Vale, & favore ac amore tuo me conſtanter proſequere. Tiguri. 13. Apr. 1611. Tuus totus

VVaſerus.

En tibi anagrammatum & epigrammatum meorum exemplum; quæ horis nuperis ſubciſivis, neſcio quo impetu (de quo tuum judicare eſt) effudi, in Rhætiæ amicorum gratiam.

Nobiliſſimo Viro.
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, &c. Domino & amico meo ſummè colendo.
Francofurtum.

CCCXCIV.

S. P. D.

AD nuperas meas litteras Octiduanas Reſponſum reſpectu. Interim hac vice mitto Ordinationem, der Fränckiſchen Ritterſchafft Ordnung. Licet in Praxi peſſime ſervetur,

imo malè in deſuetudinem abeas. Item Erbverbindung Sachſen Heſſen & Brandenburg.

De Baſſa (quam vocant) Jurisdictione, vulgo Vogteyen in Francken / habebis in Obſ. meis verb. Vogteyen.

Der Landsbräuch in Francken: Audio Palthenium illas divulgaſſe. Habeo eſſe Gravamina Nat. Germ. 1523. Neubergam in comitiis &c. Sed expecto ſcopum tuum, & quidnam velis.

De Conjectiva Palatina, non ea ſolùm qualis Electoralis? Sed & altera illa ſpeciali, an aliquis ex profeſſo ſcripſerit, quæſivi. Non puto, me denique vidi, libenter aliquid videre. Lege jam tua in Gretſerum. Sat habet. In groſſem Eil / Kipingen 1. Maij noctu. *1611*.

T.

Weherrus.

Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro
Dn. MELCHIORI GOLDASTO,
ab Haiminsfeld. Conſil. Electoralis &c.
Domino & amico meo officioſiſſe & animitus Caro.
Franckfurt /
Bey Kopffio in der Buchgaſſen.

CCCXCV.

Nobil. Vir

HOdie ex cancellaria remiſſi ſunt tractatus priores duo, conſentiunt D.D. Conſil. in editionem. Exiſtimant interim proceſſum ultimum de amoribus minus aptè cum cæteris conjungi. Ego qui neutrum legi, de illis judicare nequeo. Habes hic titulum, qui ſi tibi placuerit, ſuo loco hiſce characteribus exprimetur. Cæterum officioſe abs Te petit Thomas noſter Monarchiam tuam ad

feſtum.

feſtum pentecoſtes integram mittas, ut videri poſſit, in quam ſpiſſitudinem ſit excurſura. Wann es nicht ſo viel wäre / wolten wir Mittel-Schrifft nehmen. Habemus & alios libros quorum editionem affectamus, quos fortè inſpecta, & emenſa tua Monarchia relinquemus. &c. Itaque dabis hoc noſtræ amicitiæ, & valebis plurimum. Raptim Hanoviæ ipſis Kalend. Maji Julian. 1611.

Nobiliſſi. amplit. T. devotiſſ.
J. R. Lavaterus.

Die Veneris volente Deo Te videbo coràm. &c.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro
Dn. MELCHIORI GOLDASTO
von Heiminsfeld. ꝛc.
Domino & Patrono colendo.
Frankfurt.

CCCXCVI.

S. P.

Vide quam tu longè melius de me judices quam res ipſa ferat, Putas tu me apud Heſſos aliquid poſſe, Principi ipſi ne de facie quidem notus ſum & cum nemine ejus familiarium vel levis mihi intercedit notitia, nedum familiaritas, minimè, n. aulam aut aulicos ego capto. Sed Præſes ſcripturus eſt tua cauſa ad Curionem. Indignor ego meæ ineptiæ, qua fit; ut tibi quod maxime vellem, hac in re gratificari nequeo. Munus tuum librarium, Stephani de Juriſdictione, rectè accepi, gratias habeo maximas, ſed nolim te ſumptus mea cauſa facere, poſſum n. talib. libris carere, nihilominus gratiæ tibi debentur, & cogitandum mihi, quomodo paria faciam. Gratulor tibi de benigno iudicio Illuſtriſſimi Comitis Hanovienſis, harum rerum intelligentis, &

CCCXCVIII.

S. P. D.

Litteras tuas & Apologiam accepi hac ipſa hora, qua ex Miſnia & Thuringia redii. Abfui enim per 6. Hebdomadas. Hortlederum noſtrum viſitavi, vidi, & virum opt. expertus ſum amicum haud vulgarem. Fiebat ibi Tui mentio honorifica, ad meritum, ad laudem, & merito. De Comitiva Palatina, an aliquis ſcripſerit, quæſivi? Lubenter & bona fide viderem tractatum illum. Sed ego de illa etiam cuperem videre aliquid, qualis noſtra.

De Reichsſachen quæſo aperias ſpecialius mentem tuam, quid ſentias & quale opus, quid velis. Quæ habeo, mittam ſine cunctatione. Hactenus per x. menſes, non 30. diebus domi vixi. En excuſationem meam: imò confuſionem potius quam oblivionem. Rependam. Nam quieti ut ſim addictior, curandum erit ob Valetudinem neutram. Tu interim B. V. & Reipub. σὺν θεῷ vive, vire, vige. In Eil/ Kipingen den 3. Maii 23. April. 1611.

T.
Totus animo & affectu.
Wehnerus.

Dem Edlen/ Hochgelehrten/ Melchiorn
Von Heminsfeld/ genant Goldaſten/
Churfürſtlichem Pfälziſchem Rath ꝛc.
Zu Franckfurt am Mayn/ ꝛc. Meinem
Großgünſtigen Herrn/ und werthem
Freund.
Franckfurt am Main/ Bey Kopfflo.

CCCXCIX.

S. P.

Litteras a Leſierio accepi datas Londini 27. Ap. ſcribit ſe libros tuos cum epiſtola tradidiſſe in manus Regis, qui dixerit, ſe eosdē jam

ante-

antea nactum fuiſſe, ſperat fore, ut honorarium feras, ſeque nulli operæ parciturum ut effectum detur. Caſaubonum laborare adhuc in ſcripto contra Jeſuitas, placere ipſi Eccleſiaſticam formam Anglicanam præ Gallica. Præſidis ad Curionem accepiſſe te puto, quod ſi Illuſtriſſimus Landgravius Marburgi degit, jam aditurus ipſe eſt eum, & coram te commendaturus Principi, ſin Caſſellas receſſit, in tantum deflectere ipſi non licet. Abit n. Dreſdam & inde Pragam. Carmen iſtud de auctore Necis Regiæ, credo tibi placiturum. Vale vir clariſſime. Heidelbergæ. 12. Maij. Anno 1611.

T.
Omni ſtudio & amore.
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur.
Monſieur de GOLDASTE. &c.
à Franckfurt.

CCCC.

S. P.

EXemplar Tomi III. quatenus excuſus, Marnius tibi tradet. Vide quæ *ad ſecundum & illum Tomum* ſuggerere potes, appendici inſerenda, & ad me mitte conditionibus, quas ipſe dices aut dixiſti. *Heimburgiaca*, ſi è tuo Cod. deſcripſiſti (ut conjicio, quia in Catalogos tuos jam relata) ipſa potius deſcripta mihi commodare poteris, recepturus & tuo arbitratu tuis inſerturus. *Speculum Suevicum* mſ. commoda occaſione mittes, vel ad nundinas uſque ſervabis. *Marſilium* adhuc exſpecto. Utinam ne fruſtra, Vale & ſalve, Raptim 27. Julii. 1611.

T. M. Freherus.

A Monſieur
Monſieur de GOLDAST.
à Franckfurt.

CCCCI.

CCCCL

S. Litteras & faſciculum librarium, quem mihi perferendum Wolfio tradideras, Vir nobiliſſime, tandem accepi; qui & alios ampliſſimo Conſuli noſtro, & Widlero abs te miſſos faſciculos reddidit. De illis ego quidem quas quæſo tibi gratias agam, ſatis magnas? Deum orabo, ut is recompenſet iſtam tuam in me benevolentiam & beneficentiam: quam confirmaſti hoc inſuper tuo favore: quòd analyſin meam tam maſculè & Helveticè a Palthenio expoſtulâſti. Hanc ad Alſtedium ipſe transmiſi: in quem ſi Francofurti incidas, quæſo ei calcaria addas, ut apud Socerum curet imprimendam. Quid opuſculi ſit, tu omnium optimè judices; qui tam diligenter totum perlegeris. De Henrici IV. Imperat. Vita augenda nihil hactenus animo ſubiit: nec calamitas iſthæc publica; qua civitas noſtra horrendum in modum à Deo affligitur, ullatenus patitur, ut in publicum aliquid laborem. Loquor de peſte: quæ ſtragem tantam facit, ut quot diebus viginti, triginta, & etiam quadraginta funera hinc inde percœmiteria numeremus. Eripuit hæc Clariſſimum Beumlerum noſtrum, ultima Quintilis, poſtquam triduum decubuit, incredibili mœrore noſtro, ineffabilique damno Scholæ & Eccleſiæ. Placuit inexhauſto fonti miſericordiarum ἀπροσδοκήτως me erigere ex gravi paroxyſmo; qui me dejecerat itidem. Vivo igitur ac valeo, quoad Optimo Maximo Deo placuerit. Quicquid vero ille de me conſtituerit, quæſo te habeas tibi omnem in eventum commendatos filios poſteros meos, ſi ſupervixerint, quorum quinque ſuperſunt hoc tempore. Idem fatum manet Vitoduranos, Sanct Gallenſes, Turgovianos penè omnes, adeò ut in pagis multis, Mazingæ, Luſtorfi, Winfeldiæ, & alibi ingens ſolitudo ſit. De Epiſcopali Cella non audio, ibi ſæviter graſſari. Deus miſereatur noſtri, & hanc diram luem, quam

meritiſſimo ſanè luimus, benignè moderetur. Omnino puto libros tuos, ad Ampliſſ. Magiſtratum miſſos, in buleuterio noſtro repoſitos eſſe. Bibliopego enim, ut illic reponi poſſent maturius compingendi fuerunt: Uti mihi narravit. Bernæ, Genevæ, & illis locis tranquilla iterum omnia: Quanquam Sabaudus vehementer in tot de Reddendis Provinciis controverſis; quæ ſine aperto bello non reddentur. Vale. Raptim. Tiguri. propridie Bartolomæi, 22. d. Aug. 1611.

T.
Waſerus.

Nobiliſſimo Viro:
Dn. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, &c. Dn. & amico meo ſummè colendo.
Francofurtum.

CCCCII.

S. Pro epiſtola mitto ad te filium Georgium, Nobiliſſime Dn. Goldaſte, Amice honoratiſſime. Ab eo de rerum noſtrarum ſtatu ſciſcitando cognoſces, ut hoc quoque, cur ipſum ad vos miſerim. Nunc illud eſt ut te Rogem, habeas ipſum tibi commendatum, & iuues conſilio tuo quacunque poteris. Abs te Uberiores expectabo. A me quoque haberes jam, ſi non ad alia vocaret hora, quæ hîc abrumpere jubet filum. Salutem obſervantiæ & amoris plenam nuntio Dn. Fauſto. Vale, & accipe hunc á vicino meo M. Piccarto Faſciculum. Altorfii iv. Septemb. MDCXI.

Tuus omni officio.
Conradus Rittershuſius D.

Ad Marci Imp. libb. de ſua vita quos ſcripſit editionem, ſi quid opis conſilii velit, afferre mihi queas, gratiſſimam mihi rem feceris. Fui in

in illis recenſendis Juſtitio noſtro Academico nupero, & eadem opera, Commentariolum quendam confeci de eodem Imperatore.

Nobiliſſimo & Præſtantiſſimo Viro,
Dn. MELCHIORI GOLDASTO,
ab Haimensfeld. de RP. opt. m.
Domino & amico vet. plur. col.
Franckfurt am Mayn/
Bey Herrn Peter Kopff zu erfragen.

CCCCIII.

S. P. D.

Miſi ante menſem Waramundi Luitholdi libellum de actis Haganoënſibus: illum rectè te accepiſſe puto. Et hiſce diebus Cunrado Carolo Nautæ Bambergenſi dedi duplicia Gravamina olim promiſſa, (Quæ remitti peto) ut & abundantem quaternionem T. 3. Tom. 2. Conſtitt. Imp. tuarum: cujus loco mittatur T. 2. fol. 219. 220. Tom. 2. Conſtitt. Impp. ut ſuppleatur defectus. In Apologia adverſus Gretſerum deficit etiam lit. Iii. à fol. 433. uſque ad Errata.

Nec non in Tom. 3. Rer um Alaman. deficit pagina 6. & 7. ſi à primo folio tituli numeraveris. Sunt n. folia illa abſque notis & numeris.

Conſuetudines Franconicas ideo non mitto: cum & diſputabiles multum, & partim abrogatæ ſeu correctæ; quin etiam per Epiſcopum Herbipolenſem in ſcripturam ſingulariter redactæ: & brevi publicandæ ſint. Tunc habebis rem totam. Jam enim non niſi meræ corraſiones ſunt nec adprobatæ ſatis nec integræ. Quin & in vanum laboraremus & actum ageremus, cum Epiſcopus nos labore illo ſublevarit. Neſcio an ex uſu tuo ſit Ordinatio Provincialis Judicii Onolzbacenſis, Die Landgerichts Ordnung Burggrafthumbs zu Nürnberg/ quam, ſi velis, mittam. Libellum notatum de Nobilibus quibuſdam, nec vidi, nec indagare potui.

in dicto Comitatu per ſingulare ad id deputatum Judicium. Poterit id à Mercatoribus Colonienſibus vel vicinis ſciri. De cauſa Fridbergenſi exiit tractatus quidam, quem habere percuperem. *Audio me tangi in illo.* Quis autor & Typographus, an neſcis. Hiſce bene vale & me amare non deſiſte. Jn Eyl Kitzingen/den 7. September / 1611.

Tuus ex animo
Paulus Matthias Wehner,
D. & C. P.

Noviter jam refertur, Illuſtr. Saxoniæ Duces Juniores, propter peſtem Jena Regiomontem, 6. abhinc milliaribus heri veniſſe. Forte cum illis Hortlederus. Fui nuper Dresdæ, & ſimul Jenæ Hortlederum viſitavi. Peſtis fere in tota Franconia noſtra graſſatur.

Dem Edlen Hochgelährten Herrn Melchiorn von Haiminsfeld / genandt Goldaſt / anjetzo zu Franckfurt am Mäyn/ Meinem günſtigen Herrn und werthen Freunde.
Franckfort / bey Herrn Kopſio / in der Buchgaſſen.

CCCCIV.

S. P.

Litteras tuas, cum munere gratiſſimo recte mihi reddidit popularis tuus, cui obtuli officia mea & præſtabo factis, & libenter apud omnes teſtor, quanti te faciam. Hoc doleo, quod ſpes eſt te huc pertrahendi ad Honeſtam Functionem, & tamen lente nimis omnia adminiſtrantur. Urgebo, & σὺν θεῷ, factum dabo. Recte tu ſpernis Grètzeri Furores, & quæ gloria, collidi cum talibus. Tu perge, in utiliſſimis tuis lucubrationibus

 & bene

& bene mereri perge de republica. Leſierius rarò ad me ſcribit, maximam partem ruri degens, & cum ultimas ad me daret, aberat Rex Londinio, & vacabat venationibus. Monebo ipſum ut ad te ſcribat. Deſponſa eſt Loiſa Electoris filia prima, Illuſtriſſimo Adminiſtratori die Dominica præterita, in præſentia Principum utriusque ſexus, amplius viginti. Deus fortunet hanc conjunctionem: ac det tibi quæ optas. Vale vir clariſſime. Heidelb. 20. Sep. *1611.*

T.
omni obſequio.
G. M. Lingelshemius.

A Monſieur
Monſieur de GOLDASTE. *&c.*
à Franckfort.

CCCCV.

SAlutem ſanitatem & proſpera quævis P. cum omni gratitudinis & benevolentiæ oblatione. Jam dudum ad nos rumores perlati, Generoſiſſimum Hiaminsfeldium Franckenſurto in Principis aulam vocatum. Dulce id quidem mihi auditu. Nihil enim tuarum rerum fœlicitate & proſpero ſucceſſu, antiquius vel ſuavius eſſe potuit. Sed interim (quod ingenue fateor) moleſtum, quod mutuam conferendi & ſcribendi occaſionem præreptam ſuſſpicarer, &c. Sed ecce non adeo pridem per nuncium Heidelbergenſem accepimus Hiaminsfeldium dulciſſimum adhuc Franckenfurti vivere recteque valere. Hac ſpe ad calamum redeo: Orans ut ſi illic adhuc moretur *Præſtantia* veſtra, vel ad mercatum hunc acceſſerit: dignetur me, de veſtrarum rerum ſtatu & incolumitate, fauſta & ſalutaria omnia avide exſpectantem, certiorem facere. Plura ergo hoc tempore non ſcribo; Sed ubi veſtræ incolumitatis, ſtatiuorum & Manſionis Conditiones exploratas habuero. Pergam pluribus plurima de communibus negotiis & antiquitatibus, &c. ad vos perſcribere. Interim ergo vive & vale Hiaminsfelde clariſſime, Deo Patriæ & poſteritati in multa ſecula

ſecula floreſcens Properè Herfolgæ Selandorum ipſo die S. Laurentii. Anno 1611.

T. T.
ex animo,

Clariſſimo viro, virtute, nobilitate ac eruditione Præſtantiſſimo.
Dn. MELCHIORI HIAMINSFELD. *Juriſconſulto, Hiſtorico & Philoſopho longe celeberrimo, Domino & amico omni reverentia colendiſſimo. S. D. P.*

CCCCVI.

S. P.

AN oblitus literarum, quòd adeò pertinaciter taces, neque mittis quæ deſiderabam, & annuebas. At en pulcerrimam occaſionem, per D. D. Schlöherum Conſiliarium, qui rem Principis aliquam apud Senatum veſtrum, agit & vel apud Leonem Aureum, vel Hordeum (ut puto) divertit, vel per Malapertum facilè inveſtigari poterit. Eum qua potes juves rogo: & ad me perferenda illa, quæ ſcis, comittas. Scripſiſti nuper à Duciſſa Vinarienſi, &c. Quædam tibi propoſita, in quibus conſilio meo uti velles. Si rem aperias, forte erit, ubi te juvare poſſim. Habuit eadem Duciſſa nuper apud nos heic Legatum. Hiſce vale & ſalve, Dab. Raptim Heidelb. 19. Octob. Anno 1611.

T. M. Freherus.

In notis tuis alicubi allegas, *verſionem Chryſocollæ Teutonicam mſ.* ſcire velim an eadem ſit cum ea, quam è Veneta Editione Tom. I. inſeruiſti, vel diverſa. Habeo & ego mſ. & Mirum quam omnes diſcrepent à vulgata Moguntinenſi, quæ minimè authen-

authentica videtur. Ergo fac ſciam, vel ſi non grave, videndam mitte. Voglius tuus cum quibuſdam popularibus iter ad patrem jam ſuſcepit.

A Monſitur,
Monſieur GOLDAST, de Haiminsfeld,
à Franckfort.

CCCCVII.

Reddidit quædam tua opuſcula Straſserus, quæ reliquorum quæ te miſſurum, his nundinis pollicitus, lubidinem incenderunt; hoc eſt eorum, quæ à te anno præterito, & hoc etiam edita neque dum tua occaſione mitti potuerunt. Remunerabor in tempore, ne tamen ingratum, aut immemorem putes, dabit aliquid Straſſerus. D. Freherum participabis. Nam quas turbillas cum Gretshero excitaſti, eo minus me Toto de certamine judicare potuiſſe, tum intelliges, cum nihil me Gretsherianarum aut legiſſe aut habere ſcies. Ita vero eſt. Proinde

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Monerem vero ut parcius (Neque enim ignorare te puto, quin multa tua quoque in replicatione ſint, quæ neque tu probes aut vera putes) niſi hoc ſemel pro ſemper factum, adfirmans & ſatis tibi eſſe, magnum videri, ſi velis digladiatorem. Imo vero in editione optimorum auctorum tuum potius nomen, famamque ut cepiſti, propagare perge, & illam potiorem operam dare, quæ cum nemini noceat, pluribus adjumento ſit & oblectamento. O ſeculi fœditates. Apage a melioribus ingeniis iſtas conviciorum & maledictorum furias & ſentinas. Plura non addo, meam te namque mentem puto aliquantum noſſe. Vale Raptim, hoc maximè die, qui nobis verendus eſt. Friburgi Feſto Exaltationis S. Crucis 1611.

Tuus
J. Guillmannus.

Viro Clariſſimo,
Melchiori Goldaſto Haiminsfeldio,
Francofurti.

CCCCVIII.

CCCCVIII.

Salutem

SChleherum (ut video) non offendiſti: neque is diu ibi moratus, re ferè infectâ huc rediit. At nunc en bella occaſio ad me, quæ deſidero, mittendi, per iſtum currum, quo vehitur Dn. Tobias Hoffkunz, hactenus Palatinus, deinceps Schawenburgicus Capellæ (ut vocant) Magiſter, vir Bonus & eruditus, & bonorum favore atque amicitia dignus. Quare eum tibi commendo, & qua potes, ut juves (præſertim peregrinum & languidulum) ope, conſilio, amanter rogo. Poſſis ſi velis, ipſe hoc curru, commodo & elegantulo gratis huc vehi. Bullæ Sigiſm. Germanicæ deſcribendæ copiam tibi impetrabo, fortè & alia. Vale & ſalve. Kal. Novembr. 1611.

T.

Marquartus Freherus

Obitum Sororii mei Glauburgii meritò deploro, & orbitatem meorum nepotum. Quis tutelam eorum geret? ſi quid in audis, quæſo ſignifica.

A Monſieur
Monſieur Goldaſt de Heimingsfeld, &c.
A Franckfort.

CCCCIX.

S. Memoriam mei ex animo tuo prorſus intercidiſſe putaram: Cæterum cùm Hartmannus Sprünglius, vir eruditione præſtans, mihique obſervanter colendus affinis, ſalutem tuo nomine adſcriberet mihi, non mediocriter mentem meam exhilaravit, quòd intelligerem te datum guſtum amicitiæ noſtræ non abieciſſe. Equidem amore tui ita ſum affectus, ut hoc tempore omni, quo ſejuncti fuimus nulla ferè dies abierit, quin tui aliqua mentio mihi inciderit. Præſertim cum inſpiciam profundi tui ingenii ac judicii ſpecimina typis in lucem edita; E quibus tuum in hiſtoria ſtudium & judicium facile per ſpi-

cio. Eoque magis accendere amore tui, qui idem ſtudium utrique innatum facit ut te diligam, aſciſcamque mihi quaſi propinquitate conjunctum. Nihil eſt enim quod majorem vim habeat, tamque attrahat & alliciat ad conjungendas amicitias, quam ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo. Cum igitur hæc ita ſint, majorem in modum obſecro ne hoc amicitiæ Principium, quod inſtar ignis in cinere latitat, extingui patiaris, ſed foveas ac magis magiſque excites. Id quod inter longe diſſitos epiſtolarum ſubſidio fieri poteſt. Atqui commodiſſimus ultro citroque modus mittendi fuerit per Santogallum, ubi Nobilis Dominus Jacobus Studerus, Senatoria dignitate inſignis (cujus multa, jam aliquot annos, familiaritate atque hoſpitio ſum uſus) ſuo officio minime deerit, quin per litteras invicem quàm ſæpiſſimè colloqui poſſimus. Ego autem, inquies, quid ſcribam, cui nulla nec occaſio nec materia ſuppetit? Utrumque ſuppeditabo, niſi in amicitia impudenter tibi omni impoſitum eſſe exiſtimâris. Ante annos undeviginti exorſus ſum libros rerum Helveticarum, quorum 12. conſcripſi: Hos cum apud nos imprimendi commoditas deeſſet, D. Lavatero Scholæ Hanovianæ Rectori digniſſimo, affini & amico meo ſingulari Hanoviam miſi, rogitans ut, ſi Typographi occaſio ſeſe offerat, editionem curet. Nactus eſt Dominum Johannem Halbey qui ſuam obtulit operam, ſi mea Syngrapha illi caveam; ne ex iterata editione vel VVolphii noſtri, vel Baſileenſium Typographorum damnum patiatur. Feci libenter ac miſi chirographum, ultimo Septembris Anni 1609. præteriti, Sangallum ad Nobiliſſ. Dn. Studerum, qui, ſe eadem qua acceperit hora certis hominibus rectè dediſſe, reſcripſit: Nullam tamen adhuc vidi litteram, qua mihi renunciaret, acceperitne Dn. Lavaterus meas literas, an vero minus. Cauſam eſſe ſuſpicor, quod neſciat cuinam civi Norinbergenſi, meas Domino Studero Sanctogallum reddendas, mittere poſſit? Itaque te magnopere etiam atque etiam rogo & obſecro, cum tu facultatem ultro

citro-

citroque mittendi literas habeas, nobis tuam operam non invideas: à Domino Lavatero & Typographo cognoſcas totum, ut ſeſe habeat negotium, eaque, de quibus ipſi te certiorem fecerint, quàm diligentiſſimè ad me perſcribas, ut in tempore reſciſcam, quæ Bibliopolis noſtris ad Nundinas profecturis, mandare debeam. Hoc gratius nihil facere poteris mihi, quacunque occaſione gratiam relaturo. Interea cave, Wolphius Tigurinus Typographus quicquam intelligat, qui laboribus & nomini meo quàm maximè invidet. Si quid in tuam gratiam viciſſim potero, mea tibi non deerit opera. Vale vir clariſſime: te valde amamus, noſque à te amari tum volumus tu etiam confidimus. Dat. in Rikenbach bey Winterthur, 20. Januarii An. 1610.

T. T.

Joan. Henricus Suizerus.
Tig. Paſt. in Rik. patriarum hiſtoriarum ſtudioſus.

Dem Ehrenveſten Hoch- und Wolgelehrten.
Hn. Melchior Heiminsfeld Goldaſten
von Santgallen jetzt zu Franckfurt wohnhafft
meinem ehrenden Herren und guten Freund zu handen.

In

Franckfurt.

CCCCX.

Salutem.

IGnoſces quod ſerius, quàm quidem poſtulas, epiſtolam deſideratam mittam: citius non potui, ita meus languor me habet, & diu multumque quærenda fuit inter ſexcentas alias permiſta. Accepi eam jam defuncto meo Putſchio: unde factum, quod apud me manſit. Deſcripſi fideliter. Aliam Lipſii ad eum non vidi: & ſatis patet non ſcriptam præterea ullam. Ad me nulla fuit exarata:

 nec

nec enim ego ad illum Belgiæ ocellum me miſiſſe aliquas memini: quamvis id adeò certò conſtitueram cum Longo meo facere easque tradere τῷ μακαρίτῃ, Punchio, ut cum ipſius ablegarentur? ut factum ſit nec ne, liquido jurare nequeam. Sanè ad me nulla ab ipſo pervenit: nec alias habeo ab illo viro ad ullos ſcriptas, præter quæ editæ. Nec plura tu credo jam Scire deſideras: Et ego à labore diurno feſſus deſino: niſi hoc tamen, me in hoc lecti tædio aſſiduo aliquid hiſtoricæ lectionis elegantioris interdum deſiderare: quo interdum, ſi vacat, me recreem. Ejusmodi verò materiæ libros mea Bibliothecula raros continet. Valde deſidero perlegere, quæ Thuanus hiſce edidit Nundinis: nec dum enim vidi. Si habes, permitte per aliquot dies, brevi remiſſuro. Vale atque ſalve, & ut tandem ex his ac ærumnis liberer, mecum Deum ora, qui tibi πάντα ὄλβιου δ[ο]χὸς raptim. inclusis venia. 19. Dec. 1609. Hanoviæ in urbe nova è Typographio VVilleriano.

T. Excell.
Stud.

C. Jungermannus.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Viro:
DN. MELCHIORI HAIMINSFELDIO
GOLDASTO,
amico meo honorando,
Franckfurt.
Bey Hn Peter Kopffen.

CCCCXI.

MELCHIORI GULDINASTO HELVETIO
Juveni Doctiſſimo Amico meo.

FAmiliaris Tuus Plautus, Amiciſſime Guldinaſte, Mercat. ſc. Profecto: Non ſum umquã, ait, occupatus amico operam dare. Tu quin idem ſentias, ut qui non verba ſaltim, ad multorum hoc ſeculo morem

morem, ex eo captas, ſed optima ſeligendo æmulari ſtudioſe conſuevi-ſti, minimè ambigo. Quare, ut, quid hodiè, ſtudiis gravioribus turbatis, mihi turbas eas decoxerit, videas quæſo mecum & in ſententiâ mentem fluctuantem edoceas. Ciſtellaria ſc. Principi commendat Lena Selenio Gymnaſium, quod promta ſit ipſius Mandatis. Hæc, ſive apud Selenium, quæ nedum omnem Deo oraverat pudorem, verecundiâ dedecori Matris putaticiæ voluntatem prætexit, ſive huic adblanditur, ab illâ audit.

E caſtor haut me pœnitet, ſi, ut dicis, ita futura es,
Nam ſi quidem ita eris, ut volo, numquam ætate Hecale fies
Semperque iſtam, quam nunc habes ætatulam obtinebis.

Senſus omnino hic eſt: Illud quidem quod dixiſti modo, & juncundum eſt mihi auditu & tibi maximè probum commodumque futurum: Ita enim, dum ad meum vivere te adcommodas ſenſum, facis ut eductionis me tuæ nunquam pœnitere poſſit, tu etiam quam diu vitam hanc, ſuperis faventibus, exiges, pauperie nulla (Nam Hecale Callimachiana quæ fuerit, quid adtinet te manere) premeris. Hic ſi eſt ſenſus, ut eſt veriſſimus, mirum quantum mihi pro illo: Ætate, adjecta literâ placeat: Ætatem. Ætatem quamdiu vivam Adſis ſc. Ubi ego: inquit Servus: Ætatem velim ſervire, Libanum ut conveniam modo. Menæch. ſc. Nimis ſtultè inquit mulier: Me meam ætatem eſſe viduam mavelim. Memini & Ennium ita loqui. Et Agell. Ætatem alicubi agere diutiſſimè, quem vide lib. 15. c. 2. princip. Ex inſulâ Cretâ quiſpiam Athenis Ætatem agens, ætate etſi Plautinum adnoſco, ſic tn. & hac notione poſitum, nullus vidi, ſed plerumque idem valere, quod propter ætatem, commemini. Illuſt. ſc. Jam pridem Lena dehortatur Philematium, ne ſolum inſerviat, Philolachetem amantem, in aliis rationibus ſic etiam allegans inquit:

Te deſeret ille ætate & ſatietate.

 propter

Propter ætatem, cum (ut ſequitur) meæ quondam erit ſimilis. Fab. eâd. ſcil. Melius, ubi ſervus diu perſuadere ſe ſenibus poſtulat, ut videat picturam quæ in ſervi mente, non in mundo erat, tandem diu ſatis ludifactos, alteri dicit:

Ignoſco ætate non quis obtuerier

q. d. Senectus ut alia multa ſecum trahit mala, ita viſum etiam hebetat, adeoque veniam tibi jubentiorem facit, quo minus indigner, quod picturam, quam oculis tuis obpono, non queas pervidere. Et hac quidem notione ſexcenta tanta alibi reperias. At de hoc ita dictum eſto. In Apulejo (editionem Vulgarunt) lib. de Mund. non ita longè à principio, diſplicet mihi duriuſcula illa repetitio, inſolens præſertim in aliis ſcribtis huic auctori, quando inquit: Quare & eos qui nobis unius loci ingenia aut qualitates deſcribunt, aut amœnia urbis, aut alicujus amnis fluenta & amœnitates ac magnitudines montium, alia multa deſcripta ab aliis plerique ſtudioſè legunt, &c. Erat cum leg. ſuſpicarer pro priore: Amœnia, reſectâ litterâ mœnia, & poſtea Editio Vetus Florentina mecum conſentiebat, ſed contra tantos ego non hiſco Editores Colvium & Vulcanium. Coronidis vice habe illud, ex eodem Auctore lib. 5. de Aſin. 9. lineis ab initio aut præter propter Vulcanius nobis legit: Jam ſcies ab introitu primo DEI cujuſpiam luculentum & amœnum videre te diverſorium, Stomachus meus non poteſt concoquere illud: Scies. Quid ſi, ſcires, leg. κρασει Plauto Petronio, aliis ſolentiſſima, ut docuit nos Præceptor noſter Schoppius ad illud Moſt. ſc. Jam pridem: Inſperata ſæpius accidunt, quam quæ ſperes. Quem, Lectiſſime Guldinaſte, vide, & has nugas noſtras ride, aut ſi mavis judicium de iis perſcribendo tuum me edoce. Vale.

Tuus

Piccartus

CCCCXII.

CCCCXII.

V. Nobil. & Clariſſ.

MELCHIORI GOLDASTO

Gothofredus Jungermannus.

S. P. D.

REmitto tandem Euſebium, & ago gratias maximas. Stephano & Hephæſtione ut me amplius uti permittas, â te peto. Super Ariſtophane nuper quædam ſcripſi: & magis magisque eo Scholiaſte in Notis meis pertexendis indigeo. Quæſo te, ut quondam cum Tzerze tentabas, ſi in mei gratiam quid efficere potes ne omittas. Ne tamen me ob hanc audaciam minus ames: alias nihil volo rogatum. Si quid fuerit, meus hoſpes, qui has tibi tradet, poteſt commode ad me curare. Vale.

T.
Jungermannus

Viro Nob. & Clariſſ.
DN. MELIORI GOLDASTO,
amico meo honorando.

Franckfort.
Bey Hn. Steinheimer.

CCCCXIII.

Nobiliſſ. Vir.

D. Sturio qui tuum Syllabum habet, Domi non eſt. Cras, ut audio, rediturus è Superiore comitatu, dabit quæ petiiſti. Anti Cottonus, hic Germanicè ut ſcribis, unà cum cæteris opuſculis, editus eſt, fac quæſo meis ſumptibus habere poſſim. Omnino enim animus eſt illum recudere. En Marianam habes. In cæteris facio quæ cupis, & te ſalvere plurimum jubeo. Vale Nobiliſſ. Vir Patrone

Patrone magne; & ex mea amicè Salve. Raptiſſ. 12. Decembr. anno 1610.

Nobil. Ampl.
T. devotiſſ.
J. Rodolph. Lavaterus.

Nobiliſſimo & ampliſſ. Viro
Dn. Melchiori Goldaſto de Hemminsfelden,
Dn. & Patrono meo magno,
Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopfen zuerfragen.

CCCCXIV.

S. Vir Nob. & Doct.

QUum hoſpes meus negociorum ſuorum cauſa Francofurtum proficiſceretur, non potui intermittere, quin haſce bреviculas ad te exararem. Scire te nimirum debere, me utrumque libellum rectè accepiſſe, quem dono miſiſti, tam qui profana carmina continet, quam qui ſacra miſcet. Ago tibi pro utroque ingentes gratias: & opto quamprimum mihi detur occaſio referendi. A me tamen nil poſſum polliceri amplius: ita loquor perpetuus, & valetudo prorſus afflicta me dejiciunt. Videboan vel aliunde quid mutuari licebit. Excuditur apud nos jam Anti-Morrellus. Noſti credo quæ privato colloquio inter Hanovienſes, cum doctore illo Colonienſi apud vos in Nundinis acta fuerint. Monachi itaque ſcripto, noſtri reſpondent. Aliàs nil forte quod te magnopere delectet, certe nil Hiſtorici vel Critici (modò Gruteri noſtri opus excipias) in quibus ego meas vires conſumo lubentius, quantillum earum adhuc reſtat. Vellem interdum à veſtratibus Bibliopolis hoſpes meus haberet, cujuſm. apud vos profectò flagitiose eduntur (ut ex querelis VVeitzii intelligo) darem vel in hac imbecillitate operam, ne auctores valde quererentur. Sed ego te moror. Vale, Vir Nobiliſſ. ac Clariſſ. Domine & amice ob

ſer-

obſerv. Raptim. 23. Jul. anno 1610. ex Villeriana Hanoviæ, in Urbe nova.

T. Excell.
obſerv.
C. Jungermannus.

Sed pro Ammiano commodato ago gratias quoque max. Spero à puero noſtro recte ad te perlatum.

Viro Nobiliſſ. & Clariſſ.
DN. MELCHIORI GOLDASTO,
JC. Fautori & amico honorando,
Franckfurt.

CCCCXV.

Nobiliſſ. Vir

ACcepi quæ heri miſiſti omnia rectiſſimè, fiet in omnibus voluntas Tua. Laboramus interim penuria chartæ, quam vocant majorem. Quod ſi tibi hæc forma, & charta a[illegible]ir, utemur hac ipſa, ſin minus, eſt ut Cras aut die ſolis de alia mihi proſpiciam.

Charta altera, qua Eglini tractatus excuſus, eſt penes nos; Sed vereor non ſuffecturam illam operi excudendo.

Tu quid velis maturè nobis ſignifica. Man kan ſo gar beſchwehrlich jetzunder Papier fortbringen. &c. Cæteroquin die lunæ inchoaturi ſunt. Vale nobiliſſ. Vir. Domine colende. Raptiſſ. ut vides. 15. Decembr. 1610.

Nobilit. T. Devotiſſ.
Jo. Rod. Lavaterus.

Nobiliſſimo & ampliſſ. Viro
Dn. Melchiori Goldaſto de Heiminsfelden,
Dn. & amico Colendo
Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopfen zuerfragen.

CCCCXVI.

M. Michael Piccartus Francus, MELCHIORI GULDINASTO HELVETIO S.

SUnt profecto iſta, Eruditiſſime Guldinaſte, quæ de Vigilio tu heri ad me perſcribſiſti, Gravis & doctus ille eſt Theologus, quique facile nobis fidem faciat, ſe Athenis ſtuduiſſe & veræ pietatis fundamenta probe tenuiſſe. Quod verò opem illi mirè contaminato à me tibi promittis, in eo multum ſanè fruſtra es. Scis Manuſcriptos nullos in mundo nobis, Ingenii tarditatem noſti, quidque requirat perſanare Auctores ſeu Scribtores Latinos velle, juxta mecum agnoſcis. Tace, quantopere Præceptor noſter Schoppius reprehendat audaculos illos, qui integros Conjecturarum libros, nullo omnino libro veteri adjuti, ſolo ingenio ſuo & divinandi ſcientia freti procudunt. Periculoſæ plenum opus aleæ fuerit proin tale quid tentare. Interim tamen hiſce feriis non potui mihi temperare, quin me riſui quibuſdam Amicis noſtris exponerem. Quarum partem aliquam (De correctionibus loquor) ad te mittere placuit. Vide ergo quæſo ad Apulejum Vulcant. p. 94. lib. 6. Metam. Et audaciter in capillos ejus immiſsâ manu trahebat eam nequaquam renitentem. Pro nequaquam lego nequiquam, Sine effectu renitentem. Trahere enim dicimus nolentem. Eod. lib. 6. p. 105. legis verba puellæ aſino vehentis (ut alibi loquitur) Viſetur & in fabulis audietur doctorumque ſtilis rudis perpetuabitur. hiſtoria &c. non poſſum intelligere illud rudis perpetuabitur. Legend. cenſeo: doctorumque ſtilis totis perpetuabitur: Totis pro omnibus Aulejanum eſſe noſti, ut qui optimè. Accumbebat cum ſuâ Junone Jupiter, & deinde per ordinem Toti DEI. Rurſum: tunc quidem totarum mulierum ſecta moreſque de aſini pendebant Judicio. Iterum: Canes venationis Indagini generoſæ &c. totos præcingunt aditus. niſi fort. melius placeat. rudis perpolietur. Lib. 8. p. 133. In fuga Servorum Lepolemi hæc leguntur Gere-

Gerebamus Infantulos & mulieres: gerebamus pullos anſeres, hædos, catellos. Quid malum Catellos. Num & ruſtici eos in deliciis habent, Apage ſis & lege capellas ita p. 135. quem circum capellæ paſcentes. Unum addam ex Plauti Mercat. ſc. Homo me &c. ubi adoleſcens Charinus miſeriam ſuam deplorans animosque decem in pectore ſuo incertos errantes habens Inter alia ait:

Nunc ſi dico, ut res eſt, atque illam mihi me
Emiſſe indico, quemadmodum exiſtimet me?
Atque illam abſtrahat, trans mare hinc venum aſportet.

Quæſo vide, quam intricatus, immo nullus ſenſus: Ego ſic cenſebam legi commode poſſe: Primum verſum non muto. Secundum ſic lego:

Emiſſe indico: quem ad modum is æſtimet me?
Atque illam abſtrahet, trans mare hinc venum aſportans.

Senſus hic erit. Quod ſi verum patri dicam fatearque me, animi cauſsâ eam mihi emiſſe, quid ille de me judicabit, immutatum me, nulliusque frugi dicet factum. Et quamprimum illam à me abſtrahere conabitur trans mare venalem aſportans. Atque pro ſtatim. Plauto nihil familiarius. Alibi: Atque ego lembum conſpicor. Eadem Fab. ſc. Amice legit.

Ly: Bonam hercle te & frugi arbitror matura jam inde ætate.
Quoniam ſcis facere officium tuum mulier Pa. pol docta didici.

In ſecund. verſ. malim legere Pa: Domo docta didici. Vide quæſo Schopp. lib. 3. ſuſp. Ep. XI. Ubi ſimiliter hâc ipsâ ſcena locum emendat. Hæc Amiciſſime Guldinaſte ad te mittere volui, ut quid ſub initium hujus anni (quem tibi feliciſſimum voveo) egerim videas. Quæ ſi punctum Cl. Hoſpitis tui juxta tecum auferunt, facient, ut

plura talia te duce à me habeas. Interim valeas & amantem redames.

T.

Piccartus.

Superiores 2. v. ſic rectè leg.

LY. Bonam Hercle te & frugi arbitror naturâ, jam inde ætate. Quom. ſcis facere officium tuum, mulier. Pa. Domo docta didici.

CCCCXVII.
Nobiliſſ. V.

AN patrui mei apologia pro Galeniſtis his Nundinis lucem viſura ſit, avidiſſimè Scire cupio. Video enim ejus editionem vehementiſſimè ab eodem urgeri, etiam cum ſtomacho, quod fidem fefellerit præteritis Nundinis ipſe Typographus. Tu quæſo. Vir nobiliſſ. in noſtri amorem per Schedulam Typographum moneto, fidem ſervet, & ad Nundinas jam inſtantes libellum emittat. Video enim famam, ſi editio remoraretur diutius, patrui periclitari: de quà re coràm. Cæterum humiles tibi gratias agimus, pro litteris Commendatiriis ad ampliſſ. Dn. D. Schonerum, quas noſtro in negotio non minimum valituras confidimus. Sed & paginam in ultimo tuo libro abs Kopfio à me empto, deficientem abs Kopſio mihi mitti cupio. &c. de cæteris coram in Nundinis. Vale Vir Nobiliſſime & mihi proporrò, quod egregiè facis, Patrocinare. Raptiſſ. Hanov. 7. Martii 1610.

Nobil. Ampl.
T. devotiſſ.
J. Rodolph. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Goldaſto de Haiminsfeld,
JC. & Hiſtorico celeberrimo &c.
Domino & patrono meo magno,
Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopffen.

CCCCXVIII

CCCCXVIII.

QUem mihi coram dediſti Titulum, Nobiliſſime Vir. Domino & amice omni obſervantia colende, adhuc merum reſervo, rogoque obſervantiſſimè opus totum adornes, ut maturè antequam Juliacenſia inchoëntur, abſolvi poſſit. Imprimis verò officioſiſſimè rogo Apologias pro Henrico IV. ſi in unum collegeris maturrimè ad me mittas, ut excudantur, antequam replicatio ipſa abſoluta fuerit. Cum enim ſingulorum autorum hac bruma abſolvendorum complementa non habeamus, fit ut propè noſtri ferientur, aliud acturi ſi exemplaria ſingula ad umbilicum perducta eſſent. Tu quæſo Vir Nobiliſſime nos juva, & ſi ulla ratione fieri poſſit apologias illas, aut ſaltem illarum partem hac hebdomada ad nos mitte, gratiam referemus laboribus tuis dignam. Vale nobiliſſime V. patrone magne, meque Tui obſervant. ſolito favore dignare. Raptiſſimè Hanov. 5. Decembr. Anno. 1610

Nobiliſſ. ampliſſ. T.
Devotiſſ.

Cætera quæ per me fieri voluiſti,
expediam hodie, non enim hactenus licuit.
Mea Te ſalutat.

Joh. Rodolph. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Goldaſto von Heiminsfeld/ &c.
Domino & amico colendo.
Franckfurt.
In Hn. Peter Kopſen Hauß.

CCCCXIX.

Nobiliſſ. & ampliß. Vir.

LItteras, & quas miſiſti pagellas, illas accepi rectisſimè: gratias ago Tibi ingentes, relaturus laboribus Tuis digniſſimam.

Rogo interim in cæteris adornandis ſtrenuus pergas, cum craſtina inchoatûri ſint, quàm celerrimè pergant noſti. Eo nomine puerum meum ad te mitto, ut ſi in deſcribendis nonnullis rebus ejus opera uti velis, ea liberrimè pro lubitu utaris. Litteras cum libris Arpoldo, & D. Guilielmo Sturioni miſi, ſed neutrum hactenus videre licuit; hodie me alterutrum inviſurum ſpero. Pro Juliacenſibus immortales gratias. Erit ut mittam ἀντίδωρον. Vale Vir Nobiliſſ. meque meisque officiis utere abutere. Ex conjuge ſalutem. Raptiſſ. Hanov. 10. Decembr. 1610

Nobil. ampl. T.
Devotiſſ.

Joh. Rudolph. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
Dn Melchiori Goldaſto de Haminsfeld &c.
JC. & Hiſtorico celeberrimo
Dn. & Patrono colendo,

Francfort.

CCCCXX.

Nobiliſſ. & ampliſſ. Vir.

PRo benevolentia Tua, qua me proſequeris, gratias ingentes Tibi ago. Doleo diſplicere Tibi typos illos Eglinianos, quos noſtri operarii vocant, Cicero antiqua, & Curſiva, vereor verò ſi majores, nimirum, Mittel oder Bibel-Schrifft/ ſumeremus, ne alii eſſent, qui in noſtram meſſem quam ſperamus uberem, falcem immitterent. Si hodie ſub veſperam huc venire poſſes, nobis eſſet adventus tuus ut jucundiſſimus, ſic gratisſimus. Die Martis, & Mercurii propter nuptias quibus & Conſiliarii omnes, & ego neceſſariò intereſſe debemus, vacare vix tibi poſſem. At die Jovis & ſequentibus, quando allubuerit, eris mihi acceptiſſimus. Nolui verò te in diverſorium divertere, ſed illico in meas ædes.

Ope-

Operarii noſtri niſi ad ſummum die veneris aut Jovis horis. Pomeridianis opus inchoetur, cogentur feriari. Itaque officioſè rogo, maturè huc venias, aut ſaltem mentem tuam uberius explices. Vale nobiliſſ. V. & me tui obſerv. Patrocinio Tuo proporrò dignare. Raptiſſ. Hanov. 17. Decembr. 1610.

Nobil. amplir. T.
Devotiſſ.
Joh. Rudolph. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
DN. MELCHIORI HAIMINSFELDIO GOLDASTO, &c.
Dn. & Patrono meo colendo.
Franckfurt bey Herrn Peter Kopfen.

CCCCXXI.

J. H. S.
SVO GOLDASTO

S. P. D.

GRatiſſimas tuas literas amicitiæ plenas, pridie Paſchatis datas, poſt octiduum Aquis accepi, ex quibus ſortem Typographi intellexi, de qua prius nihil inaudiveram: Itaq; aliquantulum me perterruerunt. Recreavit tamen ſpes in tua & Lavateri amicitia ſita, quorum opera & conſilio rem ſalvam fore haud diffido. Conditiones quas Halbeius proponit hæ ſunt: Vt dimidium exemplarium ab illo accipiam, quæ pro commodo meo diſtrahere mihi liceat ubicunque emptores notos habeam. Utque commodius fiat viam monſtrat. Habere me ait, Occaſionem Papyri tenerioris & elegantioris, quæ fiat in Helvetia, quæque minori vendatur pretio, quam ea quæ Francofurti & fiat & vendatur: Se igitur permutaturum exemplaria pro papyro miſſa, unde non parva lucri ſpes ſeſe mihi offerat. Mihi verò, qui lucri non ſim cupidus, neque unquam mercaturam exercuerim, alia mens eſt, nec placet conditio niſi quam ſtatim ſubjicit: Were

aber

dieſer Vorſchlag E. E. bedencklich / ſo bitte ich bey erſter Poſt umb endliche Reſolution. Dann wann dieſes nicht ſeyn köndte / wil ich das Papier allhier beſtellen / und im Namen Gottes / alle præparatorien zur Hand ſchaffen / daß dem Werck ein Anfang gemacht werde / &c. Mitit unâ cum literis formam papiri & Characteris, quæ haud valde diſplicet, ſi aliam habere nequeat: Ita tamen ne in ſingulis paginis binæ, ſed una tantùm ſit columna, & margo latior, ut, ſi quæ in margine notanda, à librariis non abſcindantur & liber deformetur. Placet etiam ut ſingulæ paginæ 50. vel ad ſummum 53. verſus vel lineas contineant, Singulæ item ſectiones à capite incipiant, ne omnia promiſcuè & indiſtinctè facta, lectori nauſeam pareant unde legendi ſtudium evaneſcat, & liber vulgo contemptui fiat.

Tuum in hac re conſilium peto. Audio te inſignium Typographorum, & eorum qui opibus valent, plurima uti familiaritate. Itaque quid facto ſit opus tu pro tuo judicio & facultate optime diſpicere poteris. Si itaque alium mihi Typographum conſulueris qui valeat judicio, labore, ſtudio, induſtria, ut emaculatiſſimè & elegantiſſime in lucem prodire, hi mei quantulicunque labores poſſint, ambab. amplectar manibus, neque nunc mihi gratius quidquam facere poteris: Modo certus ſim, intra tempus annuum abſolvendos. Quod ſi fieri non poteſt, eô, in quem nunc incidi, me contentum eſſe oportet. Interea communica conſilium cum Lavatero noſtro: ut communi noſtra opera adjutus, aliquo prodire tenus valeam.

Halbeius, etſi maximè velit, Diſſimulare tamen non poteſt, aliquod disſidium inter ſe & Dn. Lavaterum intercedere vel interceſſiſſe. Quade cauſa fiat incertus ſum. Malo tamen Dn. Lavaterum opus meum inter manus habere, cujus literas (quem ſcribis recepiſſe ſuper toto negotio ad me perſcribere,) deſiderio deſidero. Miſeram Halbejo duas tabulas Geographicas Helvetiæ; Unam quæ ſuccinctior etiam vicinas Helvetiæ regiones complecteretur, in uſum hiſtoriarum noſtrarum: Quam meo ſumptu octo primariis

mariis Helvetiæ urbibus; Veſtium item Helveticarum pacis bellique uſitatarum pictores exornarunt; Eam à ſe amiſſam conqueritur, alteram miſit ut ex illa reſarciatur amiſſa. Jd fiet, ſive ille, ſive alius hiſtoriam imprimat. Tu igitur mi Goldaſte facies amici officium, cum Lavatero deliberabis & quodcunque ex re mea futurum exiſtimaveritis facietis. Si alium commodiorem nacti fueritis Typog. Litteras ad Halbeium diſcindite & Vulcano conſecrate: Sin autem, reddite, ſimul etiam exemplar hiſtoriarum eidem committatur. Interea curate omnia tanquam noſtra, quæ noſtræ fidei tota commendo, & ſi quid vel uſibus vel nomini meo acceſſerit nobis accepta feram. Fac brevi reſciſcam quid ſit conſilii noſtri, nam uni tibi literas ultro citroque mittendi facultas eſt. Val. Dat. Aquis Baden in der Eydgenoſchafft ubi tres quatuorve ſeptimanas adhuc valetudinis ergo commorabor. 21. April. Anno 1610.

T. Amantiſſimus

Suizerus.

quem noſti.

Doctrina & pietate ornatiſſimo Viro Dn. Melchiori à Haminsfeld Goldaſto, amico ſuo ſingulari & honorando.

An Herrn Melchiorn Haiminsfeld Goldaſten
bey Hn. *D. Zacharia Palthenio*
zuerfragen.
In
Franckfurt am Mayn.

CCCCXXII.

IGnoſce verò mihi Vir nobiliſſime & ampliſſime, quod totiens, ſanè præter votum, & voluntatem, tua ſtudia interturbo. Mitto denuo ad D. Palthenium puerum meum, repetitum exemplar cum carminibus eidem additis. Nullam certè homo ille tergiverſandi habet occaſionem, præſertim cum noviter Cameræ Se-

Secretario jurarit fratris abſentiam in cauſſa eſſe, quo minus maturè inter Schidas quæratur, cœteroquin horæ ſpatio haberi poſſe. Tu quæſo Vir Nobiliſſime denuo ſchedula ipſum compella, moneque, nimia me importunitate Tibi moleſtum eſſe, cui exemplar tradiderim, ut & te, & ipſum ulteriori moleſtia liberet Quod ſi hac vice nil impretraro, cras ſummo mane, volente DEO ipſus Francofurtum veniam, poscamque exemplar coram Senatu. Vale Nobiliſſ. Vir, Patrone magne, & me amplit. T. obſerv. amare perge. Raptiſſ. ipſis Kal. Ma. 1610.

Nobiliſſ. amplit. T.
Devotiſſ.
Joh. Rodolph. Lavaterus

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
Dn. Melchiori Goldaſto von Heiminsfeld/ *&c.*
JC. & Hiſtorico celeberrimo
Domino & amico colendo.
Francfurt.

CCCCXXIII.

S. P.

Graviſſimo dolore affeciſſet Silentium veſtrum, niſi crebri rumores ad nos perferrentur, de Domini Lavateri felici rerum ſucceſſu adeo fauſto, ut ipſe ſibi propriam compararit Typographiam. Æquius igitur tuli intermiſſionem veſtrarum literarum in ſpem erectus, fore ut, quod hactenus Lavaterus de aliis promiſerit, ipſe ſit præſtiturus. Id ſi eſt, mihi conſultum arbitror, qui mea deſideria cum patientia miſcuerim: Sin minus, peſſimè mecum actum exiſtimabo, qui ſpe vana lactatus, omnes alias occaſiones è manibus dimiſerim. Cæterum meliora de affine & amico meo Lavatero ſperanda cenſeo. Si ſunt (uti ſpero) impreſſi labores mei, mittetur proculdubio aliquot exemplarium faſciculus ad me, ut videam quid præſtiterit Novus Noſter Typographus: Quod ſi in-

ſi inchoata, nondum tamen ſunt abſoluta, mittetur tamen ternio unus aut alter, ut de toto ſpem certam concipere poſſim. Si neutrum fuerit, nihil aliud reſtat, quam ut mea omnia, ex priſca formula, ut illius litteræ promittunt, mihi remittantur per certos homines. Quam rem per te confici, maximis contendo precibus, qui tibi tuiſque ſum gratificaturus, ubicunque occaſio ſeſe obtulerit. Mortalis enim cum ſim, hoc magis mihi curandum eſt, ut mea ad meas ali(q)uando redeant manus, Vale. Dat. ocyus. Rikenbachi, prid. Idus Februarii, cum ante octidum D. Joſua Maalerus, Glatfeldenſis Eccleſiæ Paſtor vigilantiſſimus, naturæ conceſſiſſet, qui 22. Januarii prius uxore amiſſa, viduus eſt factus. Affinis mihi omnium chariſſimus, exemplum humanæ fragilitatis præbuit. Iterum vale & memor eſto.

Tui Amantiſſimi

Joan. Henr. Suizeri.

Dem Hoch- und Wohlgelehrten/
Edlen Ehrenveſten und Wohlgeachten
Hn. Melchior Heiminsfeld Goldaſten/
meinem inſonders Ehrenden Herrn
und guten Freund.
In
Franckfurt.
Im Leinwaht-Hauß zuerfragen

CCCCXXIV.

S. Vir Nobiliſſ.

Remitto tandem Thuani libros illos poſteriores, & ago gratias, quod tamdiu iis mihi uti permiſeris. Polleti Forum Rom. & Petronium, ſi non amplius modò uſui tibi ſunt, potes remittere ad me. Novi nil apud nos editum, præter Oecumenii Exegeſeon ſaltem particulam, Gruteri noſtri opus abſolutum non fuit. Hæremus adhuc in Notis. Utriuſque præterea officinæ Wechelianæ, qui jam rem librariam diviſerunt, in ipſis Nundinis

catalogum excudimus. Cujus exempla ad te mitto. Alias novi nildum ex his nundinis vidi: monſtrabit catalogus, quem hodie exſpecto. Nec ferè etiam litterarum quid aliunde. Scilicet & ego in iſta calamitate, quæ hactenus me premit, tacui. Vale, Clar. & Nob. Dn. & ſalve quoque raptim poſtrid. Dominicæ Palm. è lectulo meo Hanoviæ, in urbe nova.

T. Excell. ſtud.

Jungermannus.

Viro Nobiliſſ. & Clariſſ.
DN. MELCHIORI HAIMINSFELD.
GOLDASTO,
Dn. & amico obſervando.

Franckfurt.

CCCCXXV.

S. P.

Litteras meas 22. Aprilis datas, acceperis nec ne, etſi ſum neſcius. Tamen ac ſi accepiſſes ſcribo. Continuo deſiderio ex crucior ſcire quid cum Lavatero, mea cauſa effeceris: de die in diem litteras veſtras expecto, nullas accipio: & in primis Lavateri, in quibus illum de toto negotio ad me perſcripturum ſcripſeras, non vidi hactenus. Vereor ne non rectè dederit quibus non debuerat. Quartus jam agitur annus, ex quo labores meos Hortatu Lavateri Hanoviam miſi meis ſumptibus, majores interea ſum perpeſſus propriis hinc, inde Mittendis Tabellariis quòd nullas unquam receperim litteras niſi per proprios miſſas. Miſit nuper Halbejus tabulam chorographicam unam, alteram periiſſe conqueritur, metuo de toto opere, quæ me coquit & verſat fixa ſub pectore cura. Exſpectavi fruſtra transverſas ad proximas præteritas Nundinas. Cogor alium iterum mittere tabellarium, qui mea repetat, niſi prius tuis literis certior factus, de toto rerum mearum negotio

negotio, iſtis ſumptibns parcendum putem. Quare mi Goldaſte te etiam atque etiam rogo & obſecro efficias brevi ut reſciſcam quid de meis 18. annorum laboribus fiat, & ſciam quid opus ſit facto. Quod ſi viciſſim officium meum deſideraveris, me Hercule, non deero. Neque dubito quin aliquando aliqua ſeſe, referendi gratias, occaſio ſit oblatura. Poteris autem quam primum literis Santogallum, ad Nobil. Dn. Jacobum Studerum miſſis, me facere certiorem, & me cura & ſolicitudine liberare. . Vale plurimum. Dat. ocyus 19. Octobr. anno 1610.

T. ex aſſe Totus.

Joh. Heinr. Suizerus,
Paſtor Ricebachanus
prope Vitodurum.

Dem Edlen Ehrnveſten
Hn. Melchior Heiminsfeld Goldaſten
zu Franckfurt im Leinwaht-Hauß / meinem
hochehrenden Herren und guten Freund zu handen.
In
Franckfurt.

CCCCXXVI.

S. Vir Nobil. & Clar.

QUæ nuper ad te perſcripſi, Vir Nob. Excerpta [de Barthii noſtri litteris, tibi probè tradita per Dn. Emmelium ſpero. Jam aliud incidit, in quo ſi mihi gratificari poteris, de voluntate enim nullus dubito, mirum quam ea res mihi grata ſit futura. Scilicet *Ammiani editionem Lindenbruchianam* ad octiduum quo utar, ſummè expeto. Mitte, ſi habes: remittam brevi Sartam tectam cum gratiis, Mea valetudo adhuc imbecilla prorſus: & quæ me lecto pertinaciter affigere pergit. Sed ſuo tempore dabit Deus illi malo finem: & me liberabit à Malo Omni quoque. Vale atque ſalve, Domine & amice nob. & Clar. & tuum Jungermannum juva, ſi potes.

 9. Jun.

9. Jun. 1610. veſperi, Raptim. è Typographio Vileriano, in Urbe nova Hanoviæ.

T. obſerv. plurimum

G. Jungermannus.

Vir. Nob. & Clar.
Dn. Meliori Goldaſto Juriſconſ.
Dn. & amico honorando.

Franckfurt.
Bey Hn. Peter Kopffen zuerfragen.

CCCCXXVII.

V. Nobil. & Clariſſ.

DN. MELCHIORI GOLDASTO

Gothofredus Jungermannus.

S. P. D.

IGnoſce, Nobiliſſ. Dn. & amice, quod ſerò ita tuis reſpondeam. Curavi me interim deportari in Superius meum Cubiculum, quo æſtate uti ſoleo: quamvis jam oppido quam frigere rurſus incipit. Sic jactatione laſſatus, & reoulis meis confuſis in diem ſubinde reſponſionem ſuſpendi. Petronium accepi, & ago magnas gratias. De quisquiliis meis, miror inventum qui tolleret, nam ante ſeptem annos in Patria mea, Criticorum minimè Nutricula, hoc quidquid eſt, imprudenter allevi. De Thuano ita addis: *Thuanum quoque in peculio tuo numerabis, quem olim miſi.* Quæ non capio; niſi de illa particula ultima intelligis, Pariſiis excuſa in 12. quam petenti hac hieme commodaſti: egoque his Nundinis cum gratia & ni fallor Catalogis Wechelianorum remiſi, ſperoque reddita à Jacobo Scriba Bernate cui commiſi. Tuam alias editionem, quæ Offenbachii edita, nondum videre licuit. Nec addo plura: quum nil novorum habeam,

vel

vel ſi quid habeam, id jam antea te Scire rear. Vale & ſalve. Raptim poſtrid. Paſc. Hanoviæ in Urbe Nova.

Viro Nobiliſſimo & clariſſ.
DN. MELIORI GOLDASTO,
amico honorando.
Franckfort.

CCCCXXVIII.

Salutem in Chriſto Jeſu ſempiternam.

MEritò amo *Hortlederum* noſtrum, Nobilis ampliſſime & doctiſſime Vir, Domine & fautor cumprimis honorande, cum propter ſingularem quam cum pietate conjungit eruditionem: tum propter indefeſſum ſtudium benè merendi de Republ. Chriſtiana & Litteraria. His verò jam illud accedit (quod in maximi beneficii & ſingularis officii loco repono) quod nuper litteris ſuis. Aditum mihi ad Tuam Amicitiam, quam magnifacio aperuit, viamque ad tanti Viri noticiam, cujus fama, ob præclara in Rempubl. merita, de quibus erudita & ingenti labore & ſtudio conquiſita & elaborata volumina paſſim apud doctos loquuntur, dudum apud me cœpit eſſe venerabilis. Utinam vero utiliſſimos hos labores & ſcripta aliqua ſaltem ratione locupletare poſſem, nulli certè parcerem operæ. Et ſanè *ſcriptum iſtud Anglicanum* lubentiſſimo miſi animo, viſurus illud aliquando inter præclaras illas & admirandas lucubrationes tuas. Iniquos enim arbitror eſſe ejuſmodi ſcriptorum poſſeſſores eos, qui preciosum theſaurum defodiunt, & utiliſſima ſcripta bono publico invident ſeu potius occultando ſurripiunt & furantur. Non itaque eſt quod T. Nobiliſſ. Excellentia mihi prolixas ob communicationem agat gratias, eo enim ipſo abunde refers, quod locum ei inter tua relinquis. Sic enim ab oblivionis injuria vindicas & ex umbratili & qualicunq; mea Biblioth. in Ampliſſima Illuſtrium & magnorum Virorum Muſæa & pulpita, transfers & collocas. Dominus Deus noſter, qui eſt Deus ad ſalvan-

vandum vitam tibi protoget, Spiritusque Domini, ſit cum ſpiritu tuo, ut opus illud quoad potueris felici Sydere enitaris, atque Rempubl. Chriſtianam tuis laboribus juves plurimum.

Porro ad Acta Concilii Conſtantienſis de quibus ad Te Hortlederus ſcripſit, quod attinet, retulit mihi ante hac reverendus & præclarus Vir Magiſter Georgius Silberſchlagk Paſtor Erphordiæ, in Æde Prædicatorum, ibi in Bibliotheca Auguſtinianorum à ſe viſum prothocollum, uti vocant, cujuſdam Notarii Apoſtolici in quod Acta dicti Concilii retulerit. Nondum autem videre id mihi licuit. Ut primum autem eo loci venero, quod σὺν θεῷ fiet propediem, videbo ipſe, & ſi operæ precium viſum fuerit, Curabo ut deſcribatur, quamvis, uti audio, propter notas vetuſtiores & obſoletos litterarum characteres crebraſque abbreviationes lectu ſit difficilimum. De his vero omnibus, ſi rectè cognovero, faciam te per litteras certiorem.

Pro Decreto *Parlementi Pariſienſis*, contra ſcriptum *Famoſi illius Jeſuitæ Bellarmini*. Tibi meritiſſimas ago gratias, & deploro mentium humanarum cum cæcitatem tum levitatem, quod plurimi eò Dementiæ venerint, ut Quæſtui habeant Religionem. Apud multos enim hodie, ejus uſus alius non eſt, niſi Politicus, uti hactenus in Gallia vidimus. Regnandi enim gratia jus illud ſacroſanctum quoties Violatum eſt! DEUS Gubernet Spiritu ſuo Sancto Principes Germaniæ, ut primum quærant Regnum DEI & juſticiam ejus. Sic Cætera adjicientur illis. Vale Vir præſtantiſſime in Domino mihique aliquem inter tuos locum, ſit licet infimus, liberaliter concede. Vale iterum atque iterum. Vinaria 24. d. Febr. anno 1611.

T. nob. Excell. obſervantiſſ.

M. Abraham Lange.

Nobiliſſ. ampliſſimo & Clariſſimo Viro,
Dn. Melchiori Goldaſto ab Haiminsfeld,
JC. & Hiſtorico Francofurti celeberrimo,
Domino & amico ſuo reverenter colendo.

CCCCXXIX.

CCCCXXIX.

S. Nobiliſſ. Dn.

HEbdomadà præcedenti litteras à Barthio accepi breviſſ. quibus narrat ſe Marpurgo ad ſuos redire, inde Belgium petiturus. Ego ipſum Marpurgi fuiſſe jam primum ſcio. Sed quæ addidit de ſuo Claudianò, ad te perſcribenda putavi :

„ Admonitos vos per amorem mutitantem te & Goldaſtum „ (qui ſalveat) volo, procurationi veſtræ, quam ex pacto Clau- „ diano meo debetis, non negligenter porro adſitis, ſed cum „ apud typographum, quantum poteſt, urgeatis. Præfationem „ nullam præfixam volo, neque adeo quid emblematis laudato- „ rii, quæ pro veſtrâ prudentiâ omnia vos tollere rogo.

Hæc ille : de quibus tibi, nobiliſſ. amice, melius conſtabit. Ego enim illius Claudianum nondum vidi. Quæſo te, doce me, an hiſce nundinis quid augmenti è Gallia ad Thuanum allatum fuerit: Et ſi quid eſt, tua opera, commodè tamen ſi queas, hic poſſim perlegere. Meum malum nondum inveteraſcit : videor in dies ita abſumi, donec tandem prorſus contabeſcam. Et fiat quodcunque Deo meo viſum, cui laus & gloria in perpetuum. Eidem & te commendo, mi nobiliſs. Dn. Raptim Hanoviæ in Urbe nova è lectulo meo 21. Maij.

T.

Jungermannus.

Nob. & Cl. V.
Dn. Meliori Goldaſto, J. C.
amico honorando.
Franckfurt.

CCCCXXX.

Nobiliſs. Vir.

ACcipe excuſa, quæ reliqua ſunt folia. Sed & cætera mitte, quando, & ubi volueris. Imprimis cupio priora Apologiæ

 fo-

folia, quæ, ut nuper ſcripſi, Germanicè reddita unà cum Cottonianis recudemus. Quin & hoc peto officioſè, epiſtolam illam Germanicam integram mihi mittas, ne qua ſubeſſe fraus putetur. Ad cætera tuum reſponſum exſpecto, Tibique ad omnia ſervitia paratiſſimus ſum, eroque quoad vivam. &c. Vale Nobiliſſ. V. Dn. colende, & me Tuo Patrocinio dignare. Raptiſſ. Hanov. 24. Januar. 1611.

Nobiliſſ. Amplit. T.
Devotiſſ.
Joh. Rod. Lavaterus.

Nobiliſſ. & ampliſſ. V.
D. Melchiori Goldaſto von Haiminsfeldt/ *&c.*
Dn. & Patrono colendo.
Franckfurt.

CCCCXXXI.

Vir Nob. & Cl. S.

Libros tuos, Vir Nob. & Cl. amice obſervande, ſartos tectos ad te perlatos ſpero. Nudius quartus eſt quum commendaverium nautæ. Sed rogo te adhuc uno, niſi jam convaſaſti, mihi gratificare. Prudentium inquam mitte, non definebo ultra dieculæ ſpatium, quum remittam ſtatim. Hymnus S. Vincentii & Romani Martyrum perlegendus eſt mihi uterque. Rogo te noli hîc mihi deeſſe, ſed ut primâ ſtatim occaſione habeam, ſi poteſt fac ſis. Ni intra quatriduum habeam, fruſtra poſtea fuerit. Viciſſim ſi quid potero, promptum experiere. Vale atque ſalve.

T. Excell.
Stud.
Joh. Jungermannus.

V. Nob. & Cl.
Dn. Meliori Goldaſto,
amico honorando.
Franckfurt.

CCCCXXXII.

CCCCXXXII.

MELIOR HAIMINSFELD,

QUem ut meipſum amo; ut optimum & doctiſſimum quemque æſtimo; SALVE à tuo Taubmanno, qui iſta ab Ruſticatione Academica domum reveniens papyro illino, probè......... ſcilicet ut decet

Famulum Communem
quem illi tamen noſtri
MAGNIFICUM
appellant.
Ah dulce caput iterum ſalve
& tuo tuo tuo
Taubmanno
ignoſce.

Nobiliſſimo & Excell.
Melchiori Haminsfeldo Goldaſto,
amico ſingulari.
Francofurti.

FINIS.